This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

Národní knihovna ČR
Historické fondy
36 D 69
Národní knihovna
1003115705

XXXVI
D 69

Digitized by Google

f. VIII.
149.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibliotheca Majoris Collegij Spalatensis Soc: Jesu

MARCI MARVLI

PALÆSTRA CHRISTIANARVM VIRTUTUM

Ad benè beatèque vivendum instituta, veteris, novique Testamenti exemplis fundata:

Pragæ ad S. Clemen

Dictis, factisque memorabilibus virorum vitâ, scientiâ & sanctitate illustrium exercitata:

1691

Sanctorum denique Patrum, præcipuè Hieronymi, Gregorii Magni, Eusebii Cæs. Cassiani, aliorumque sententiis & historiis mirificè confirmata,

Et in Libros VI. commodè distincta, Additis duobus Indicibus Rerum & Capitum utilissimis.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM WILHELMUM FRIESSEM.
Anno 1686.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD REVERENDOS OMNISQVE ET DOCTRINÆ ET RELIGIONIS Christiana ſtudioſiſſimos Patres, Societatis JESV.

Vm hujus libri ſtudio teneri Societatem veſtram, Patres Doctiſſimi Religioſiſſimiqúe, ejuſque lectionem in Collegiis veſtris jam diu frequentari intelligerem; non immeritò ſanè plus quam quatuor his annis excitatus ſum, & ipſe ad eam curam ſuſcipiendã, quo idem liber typis paulo elegantioribus excuſus, & emendatiore lectione exornatus in lucem prodiret, & præſertim cùm vix ulla jam extarent uſpiam tam pii atque eruditi Operis exemplaria. Igitur quòd hoc tam utile, ac ſtudioſis omnibus piiſque viris tam diu expetitum negotium non citiùs expedierim, id turbulentis his temporibus adſcribite, quæ nos bellicis tumultibus ac terroribus retardarunt hactenus, & ab inchoando opere ſæpius abſterruerunt, jamque adinceptum intermittere coëgerunt, atque adeò olei operæque ſumptum omnem hoſtili aliquo caſu corrupiſſent ac perdidiſſent penitus, niſi Deus ipſe manifeſto nobis adfuiſſet, pacemque optatiſſimam pro ſua ſumma miſericordia (ſi nos modo tanto bono non indignos nosipſos præſtiterimus) in terras has tandem immiſiſſet.

Itaque & hoc veſtro ſtudio, & meo ſimul animi affectu, & aliis quoque nonnullis cauſis, videbar ipſe mihi provocatus, & quaſi manu ductus, ut hanc

Digitized by Google

noſtram in hoc libello recudendo opellam qualemcunque, veſtræ quoque commendarem Societati. Quam quidem Societatem ego ſummè ſemper colui, atque ita animo ſæpiſſime cogitavi hoc veſtris caſtiſſimum piiſſimumque Inſtitutum divinitus planè conceſſum eſſe poſtremis his noſtris temporibus, quò ſeculi hujus nequam mores corruptiſſimos, fidem infirmiſſimam, ac Religionem depravatiſſimam, reſtituere paulatim, Remque publ. Chriſtianam maximâ ex parte jam collapſam, ac tantum non everſam funditus, denuo reſtaurare, ac ſuis quaſi humeris ſuſtentare niteretur; non ſecus profectò quàm priſcis illis temporibus laboranti ſimiliter Eccleſiæ, variiſque ſchiſmatum, errorum, hæreſumque ac ſcelerum fluctibus agitatæ, peneque interdum obrutæ, extremaſque tunc etiam & morum & fidei jacturas patienti, Dei dono & gratia infinita miſſi ſunt Patres illi omni memoria celeberrimi, qui ſuo exemplo, ſtudio ac ſapientia cæleſti authores fuerunt inſtituendæ omnis diſciplinæ Eremiticæ, Monaſticæ, & cujuſcunque Ordinis Cœnobitici. A quibus tanquam à fontibus quibuſdam puris ac perennibus ad totius Eccleſiæ decorem magnoperè illuſtrandum amplificandumque emanavit tanta utriuſque ſexus varietas, & cujuſque ætatis tanta multitudo in omni perfectæ vitæ caſtitate, cultuque religioſo erudita. In quo quid aliud voluerunt viri illi verè Evangelici, quam ut certis regulis quaſi limitibus quibuſdam purior Chriſtiani populi pars continere ſe poſſet ſecuriùs, verique Evangelii veſtigiis inſiſtere confidentiùs, non ſermone tantùm ac verbo (quod noſtri novi homines faciunt, idque ſolum ſibi fide ſua ficta ſatis eſſe falsò jacti-

Digitized by Google

lacitant) sed spiritu ac virtute bonorum operum, tum ad suam ipsorum vocationem certam faciendam, ex Principis Apostolorum Petri consilio, tum ad lumen aliquod pietatis ac vitæ sanctioris in domo Dei universis hominibus clarius extollendum. 2. Pet. 1.

Quamobrem cùm nunc, Patres Optimi, advenerint vestræ vices deserviendi in templo Dei, tantoque magis, quòd postremi omnium videamini, quando & Divus Paulus suo etiam tempore putarit, quòd ipsos Deus Apostolos novissimos ostendisset, quibus tamen successerunt multi (ut modo diximus) variis diei horis vocati in vineam: debetis sanè ita vobiscum reputare, magnam vobis impositam esse rei bene gerendæ necessitatem, idque pluribus maximisque de causis. Primùm etenim, quanto veniistis seriùs, tanto majore alacritate, diligentia, atque industria vobis est elaborandum, quo & aliorum quæcunque murmura leviùs sustineatis, & ipsi salario vestro diurno non minùs digni efficiamini, quam qui venerunt primi: centuplumque porrò accipere mereamini, & in hoc seculo, & in futuro. Deinde verò & vos quoque facti estis spectaculum universo mundo, Angelis & hominibus: quo magis vobis prudenter est ambulandum, ac vocationi vestræ incumbendum sedulò, ex quo & mundus scandalizetur minus, & Angeli tum vobis tum nobis congratulentur magis, atque omnes homines ad suam salutem pacemque cum Deo conciliandam vos missos esse, certius agnoscant, ac palàm confiteantur. Denique (quod tamen imprimis ac præcipuè animadvertendum ac prospiciendum est) si ad correptionem nostram, in quos seculorum fines devenerunt, (ô quanto nunc magis, quàm quo tu 1. Cor. 4. Matt. 10.

Digitized by Google

1. Cor. 10. tempore, ô Paule Dei vas electissimum, apertissima sententia sic scriptum annis plus mille quingentis jam elapsis pronunciasti) si ad nostram, inquam, correptionem, si ad pœnitentiam mundo prædicandam, si ad scandala præsentis vitæ murmuraque gravissima tollenda, ut ne pereamus omnes ab exterminatore propter scelera & peccata nostra, si denique ad ipsum Domini jam adventantis diem illum horrendum, Judiciumque extremum ac terribilissimum quasi retardandum paululum, vos præmissi sitis, tanquam ad congregandas oves, & reliquias Israel in Catholicæ Matris gremium colligendas. Videte Patres per Deum immortalem Superosque omnes sanctissimos, quanta, ut dixi, vobis imposita sit necessitas hoc vestrum munus solicitè obeundi, quandoquidem hæc omnia vel bona vel mala ex vestro officio vel bene vel malè administrato, & vobis ipsis, & nobis omnibus impendere jam jamque videantur.

Profectò si omnium temporum historias memoriâ repetere, si Principum mundi diras persecutiones, si Schismatum hæresumque nefanda portenta, si morum maximam depravationem, si scelerum gravissimorum effrenatam licentiam, si hæc singula suis quæque divisa locis ac temporibus olim exorta variis, velimus reputare: atque eadem nunc simul omnia quasi in unum congesta cumulum, atque adeò supra modum aucta, nos pariter hoc uno tempore, atque unis iisdemque locis opprimere, seriò animadvertamus: quid nos inde tandem expectemus eventurum, aut quem nos nostri seculi futurum exitum, meritò formidemus? Si tota ferè Asia & Africa, atque omnis Ecclesia Orientalis olim ipsis Aposto-

Digitized by Google

Apostolorum fundata manibus, & primitiis Spiritus sancti imbuta, atque ditata donis, propter has ipsas malorum causas defecit tamen paulatim à vera in Deum fide, ac tandem ab Ecclesiæ Catholicæ unitate penitus avulsa, non in Paganismum denuo relapsa suum, sed in potestatem Christiani nominis inimicissimum redacta, Tyranni Turcici jugum barbarum, crudele, immane ferens, deplorato atque adeò desperato & rerum omnium & animarum damno, jam diu suum casum frustra queritur ac lamentatur: quid itidem Europæ nostræ pars reliqua, quid Ecclesia hæc Occidentalis simili expectet modo, non dissimili quidem via & gradu, sed longè magis certis & manifestis vestigiis ad idem ruinæ præcipitium continuò festinans? Si ipsa oliva primitiva tantum ramorum comminutionem passa, tanta Dei severitate à radice penitus est excisa: quid porrò continget oleastro, ubi à radicali bonitate sua deficiens, non permanserit neque steterit firmiter in ea fide, qua Majorum radici, & quasi pinguedini Olivæ bonæ insertus est? Et si (ut ipsemet dixit Servator) in viridi ligno hæc contingunt, quid demum fiet in arido? Et meritò sanè aridos nos ipsos nunc appellemus, non tantùm bonorum operum sterilitate exiccatos penitus, sed peccatorum insuper conscientia, ac futurorum inde malorum expectatione & timore arescentes indies, ut ipsius quoque Servatoris nostri disertis utar verbis.

Rom. 11.

Luca 23.

Luca 21.

Hanc igitur Occidentalem mundi Plagam, hæresum & nequitiarum omnium mole ruentem, & à Catholicæ fidei firmitate, (qua hactenus nixa constanter stetit, floruitque) manifestè decidentem; non jam Mahometes aliquis Saracenus, aut Sultanus

Digitized by Google

nus Arabicus Perſicuſve, vel etiam Tyrannus quiſpiam Turcicus, ut in oriente nunc & olim, (quanquam nec ab his quoque Graſſatoribus ubique tuta eſt aut fuit Europa ob remotiorem ſuam diſtantiam) ſed ipſemet Perditionis filius, ipſe ementitus, idemque mendaciſſimus Meſſias, ipſe planè ſingularis
2. Ioan. 2. & 4. ille Impoſtor Antichriſtus (cujus quidem Anteſignani multi vocati & ipſi Antichriſti, & olim ſæpe, & nunc jam in mundo extant) videtur occupaturus; eo quòd temporum ultimorum ſeries, & ipſum omnium nequitiarum faſtigium ſummum, extrema jam omnia quaſi ultro accerſere videatur. Nam ſi in ipſo ferè mundi exordio propter multam tunc hominum malitiam, ipſamque coram Deo corruptam terram, & repletam iniquitate ſua, delevit
Geneſ. 7. Deus hominem quem creavit à facie terræ, uſque ad animantia & volucres cœli; nunc in ipſo mundi exitu, cùm nullus videatur ſuperſtes Noe juſtus atque perfectus in generatione ſua, neque Arca ulla amplius fabricanda ad ſervandum ſemen viventium, ſed neque aquarum diluvio res denuo peragenda ſit ex promiſſo Dei: quid reſtat porrò, com-
Geneſ. 9. Apoc. 17. pletis jam fortè Sodomorum iniquitatibus, & Babylone magna matre fornicationum & abominationum terræ inebriata jam ſanguine Sanctorum, & ſanguine Martyrum Jeſu, quo minus ab homine & animantibus, & avibus cæli, etiam uſque ad piſces omnes & monſtra maris pertingat Divina ultio: nulloque alio jam reliquo ſupplicii genere, quod tantarum impuritatum fœditates ac ſordes valeat eluere, extremo ſulphuris atque ignis incendio omnia penitus horrendum in modum concrementur.

Cùm

Digitized by Google

Cùm igitur ad hanc Judiciorum Dei tum severitatem, tum accelerationem tantoperè formidandum permoveant, meritò hinc gravissimæ bellorum & pestium plagæ, quas & oculis & manibus ipsis persentimus quotidie, facileque in iis agnoscimus certissima occidentis Mundi signa & præsagia, inde verò non minus, occæcata atque obdurata tamen hominum corda, charitatis omnis refrictio, philautia maxima & amor hujus seculi, tantæ superbiæ, blasphemiæ, proditionis, scelerumque omnium gravissimorum enormitas, vitæ tam parum emendatæ perpetuus cursus, tanta animorum propensio ac docilitas ad novas & inaudîtas quasvis dogmatum vanitates hæreseseque perdiscendas; Religionis verò orthodoxæ vel retinendæ vel instaurandæ neglectus tantus, tantusque adeò contemptus ad intelligendum, providendum, & noviſſima ista præcavendum in his nos mediis malorum undis constitutos & conclusos quodammodo (post Dei solius clementiam, quæ his quoque diebus ostensa est multis ac miris modis) nulla profecto res alia ita recreat ac consolatur, quam ea spes & expectatio, quam modò concepimus, Patres charissimi ex industria, diligentia, & solicitudine vestra in agro Dominico repurgando etiam hac noviſſima diei hora; quanquam & hæc quoque Dei unius clementia est, & summum donum, ac non solùm vestri proprium, tametsi ex mera Dei gratia quæcunque vobis collata sunt dona cœlitus, & Dei dona sunt & vestra, qui sua dona coronat in nobis. 2. *Tim.* 3.

Vos ergo commissum nunc vobis Gregem Domini pro parte vestra custodite sedulò, vos oves & Agnos Christi pascite, implete ministerium ve-

 strum,

Digitized by Google

strum, resuscitate gratiam Dei quæ in vobis est, ac collaborate Evangelio secundum virtutem Dei qui nos vocavit vocatione sua sancta. Et (quod facitis) prędicate verũ Verbũ, instate opportunè, importunè arguite, obsecrate, increpate in omni patiẽtia & doctrina. Collegia & Societates vestras bona disciplina institutas, & ab omni specie mali mundas, severè conservate, ut tum Dei nomen clarificetur in vobis, ipsiusque Ecclesia unica & Catholica ab hæreticæ pravitatis corruptionisque omnis zizaniis expurgetur, bonæque frugis uberrimè proventuræ locus abundè fiat; tum vos quo cœpistis cursu eodem, porrò possitis semper pergere, ad vestram propriam, & nostram, & ad ipsius usque mundi consummationem. Vos estis sal terræ, quale jam aliàs sæpius misit Deus in mundum ad condiendos hominum mores. Hoc sal nunc bonum est, quod si & ipsum quoque evanuerit, aut insulsum aliquando fuerit, heu nobis miseris quid deinceps superest, quam ut & vos & nos projiciamur foras, & conculcemur ab hominibus, & illo demum omnes rapiamur igne, qui in fine mundi conflagrans ac consumens universa, nunquam postmoritur, nec extinguitur. Sin verò (ut admonuit Servator hominum Jesus) retinueritis hunc salem in vobis, si pacem inter vos habueritis, si odorem bonum vestrorum operum & Deo & mundo præbueritis, si ab instituto & disciplina primi Præceptoris vestri nihil prorsus unquam deflexeritis, si hujus mundi luxum omnem & delitias à vestris tabernaculis procul abdicaveritis, si in omni vitæ puritate & perfectione vos ipsos castos & incontaminatos custodieritis, si nullam proficiendi hominibus occasionem prætermiseritis, si denique

omnia

Digitized by Google

omnia rectè & prudenter ſancti Spiritus illuſtratione docti adminiſtraveritis, (uti ſanè feciſtis hactenus) procul dubio & vos ipſi (tanquam pueri Jeſu Socii ac Sectatores verè facti) ſapientia & gratia apud Deum & homines indies proficietis, & centuplo adhuc majora incrementa breviſſimo temporis ſpatio accipietis, & plures terrarum Principes populique gratiam & virtutem veſtram admirabundi ſuſpicient ſuſcipientque, & ampliora mundi Regna Eccleſiæ Catholicæ unitati conjungere ſe feſtinabunt, cunctique mortales Hæreticorum fraudes, vanitates, & ſpurcitias deteſtabuntur magis, & Antichriſti Tyrannis ultima nondum revelabitur, neque Filius hominis adventum ſuum ac Judicium acceleratabit adeò, ſed expectabit tantiſper converſionem Gentium, fratrumque ſuorum conſummationem, ac tum denique florebit adhuc denuo ubique terrarum & una fides, & grex unus, & unus paſtor in una ſancta, Catholica per univerſum orbem Eccleſia. Quod & vobis nobiſque atque omnibus Chriſti nomen profitentibus bonum fauſtumque ut ſit, tam opto ex animo, quàm id cunctis ſimul mortalibus neceſſariò expedire, horum temporum ratio & deplorata conditio clariſſimè demonſtrat.

MARCI

Digitized by Google

MARCI MARVLI CARMEN DE DOCTRINA DOmini noſtri Jesu Chriſti pendentis in Cruce.

Chriſtianus interrogat, Chriſtus reſpondet.

Chriſtianus. *Summe Deus, quare mortales induis artus,*
Et terras, cœli lapſus ab arce, colis?
Chriſtus. *Vt per me terrenus homo, quem torſerat error,*
Ad cœlum recta diſceret ire via.
Chriſtianus. *Quid te, qui ſemper procul eſſes crimine ab omni,*
Velle pati pœnas compulit atque necem?
Chriſtus. *Erga ipſam pietas, ut quem ſua culpa gravabat,*
Luſtratum noſter ferret in aſtra cruor.
Chriſtianus. *Quare expanſa tibi tenduntur brachia? quare*
Conſertim juncti ſunt tibi, Chriſte, pedes?
Chriſtus. *Hinc illinc quoniam diverſas convoco Gentes,*
Inque unam ſtabili fœdere jungo fidem.
Chriſtianus. *Sed cur demiſſa pariter cervice reclivus,*
Sic defixa tenes ora oculoſque ſolo?
Chriſtus. *Mortales moneo, non inturgeſcere faſtu,*
Sed ſubmiſſa pio colla domare jugo.
Chriſtianus. *Qua cauſa eſt nudi tibi corporis? arida quare*
Stat vultu macies, membraque ſicca rigent?
Chriſtus. *Hoc volo, ne pigeat luxum teſpernere mundi,*
Atque famem mecum pauperiemque pati.
Chriſtianus. *Candida ſed graciles cingunt velamina lumbos:*
An ne, rogo, quicquam pars quoque tecta monet?
Chriſtus. *Hinc diſcas, quod caſta placeant mihi corpora, & odi*
Si quibus illicitus turpia nudat amor.

Quid

Quid colaphi, quid sputa notant, opprobria, flagra,
Spinea serta, Crucis cætera supplicia?
Perferat offensas omnes, non inferat ullas,
Qui super alta cupit sydera pace frui.
Vita brevis, modicus labor, optatissima merces,
Immensum semper perpetuumque bonum.
Quod si quem ne summa quidem jam præmia tangunt,
Terreat æterni carceris exilium:
Indamitique ignes, indiscussæque tenebræ,
Semper edax vermis, semper amara lues:
Horrendi gemitus, dolor acer, mœsta querela,
Assidui luctus, & sine fine malum.
Talia quippe manent, quos desertura voluptas
Nunc tenet, & blandis decipit illecebris,
Divitias cupidis ostentans, otia pigris,
Mollibus infandæ concubitus Veneris,
Dulce merum, dulces ventri indulgentibus escas,
Inflatis pompas, fortibus exuvias.
His illecta dolis infelix turba, salutis
Immemor, in pœnas perniciemque ruit.
Nec monitus audit: mea nec vestigia servat,
Denique judicium nec timet inde meum,
Judicium horrendum, cum tandem venerit ille,
Ille dies iræ, turbinis ille dies:
Cùm concussi ingens fragor ætheris, astra rotatu
Turbabit rapido, decutietque globos:
Sanguinea populos terrebit lampade Luna,
Sol nullâ, radios contrahet ille suos:
Cuncta trement, totusque simul quassabitur orbis,
Angelicos videas obstupuisse choros:
Corripiet mundum flammis crepitantibus ignis,
Atque unus fiet terra fretumque rogus:
Mox virtute potens & Majestate verendus
Adveniam, & rutila nube sedebo super.

Cir-

Digitized by Google

Circunfusa aderunt Sanctorum millia multa,
Multa coruscantium millia spirituum.
Extemplo horrificum sonitum tuba fundet ab alto,
Diffindens terras, tartara & ima ciens.
Nec mora, consurgunt omnes quos lumine cassos
Excepit magno magna parens gremio.
Stabit & ante meum rediviva caterva Tribunal.
Expectans pavido jussa tremenda metu.
Namque indiscussum nihil occultumve latensve,
Nec quod quis tacitus mente agitarit, erit.
Pro meritis dabitur merces, seu vita perennis,
Seu jam non ulla mors moritura die.
Ergo agite, ô miseri, quos nunc malus implica terror,
Dum licet impliciti solvite vincla pedis,
Evigilate gravi ne pressos lumina somno
Occupet extremi temporis atra dies.
Cernite quam celeri labuntur tempora cursu,
Quamque fugax nullam sentiat hora moram.
Felix qui semper vita bene computat usum,
Cogitat & finem jam fore jamque suum.

Digitized by Google

INDEX CAPITULORUM.

LIBER I.

Cap. 1. De terrenis bonis contemnendis propter Christū fol. 2
2. De eleemosynis faciendis fol. 9
3. De hospitalitate servanda 24
4. De inani gloria fugienda 29
5. De humilitate appetenda 36
6. De dignitatibus non concupiscendis 41
7. De avaritia vitanda 47
8. De paupertate servanda 53
9. De vita solitaria 62
10. De vigiliis, & somno, & strato 74

LIBER II.

Cap. 1. De cura & modo orandi 80
2. De orationis virtute 92
3. De tentationibus tempore orationis 108
4. De contemplatione 111
5. De Scripturarum lectione 121
6. De fide unius Dei contra Gentiles 128
7. De fide Christi contra Iudaos 135
8. De fide Christi contra Gentiles 133
9. De fide Christi contra Magos 136
10. De fide Christi contra Philosophos 138
11. De fide Christi contra Hæreticos 140
12. De spe divinæ misericordiæ 145

LIBER III.

Cap. 1. De charitate erga Deum 156
2. De charitate erga proximum 168
3. De charitate erga inimicos 178
4. De officio doctoris Evangelici 189
5. De Sacerdotibus honorandis 208
6. De pace colenda 214
7. De consortio habendo fugiendoque 224
8. De vestitu cultuque corporis 231
9. De operibus manu exercendis 243
10. De corporis castigatione per flagella 248

LIBER IV.

Cap. 1. De corporis castigatione per jejunium 256
2. De cibi potusque vilitate ac parsimonia 268
3. De obedientia servanda 292

4. De

Digitized by Google

4. De veritate colenda, mendacioque fugiendo 304
5. De mansuetudine animi 319
6. De taciturnitate, sermonisque moderatione 326
7. De castitate servanda, exempla virorum 333
8. De castitate servanda, exempla feminarum 350
9. De pœnitentia peccatorum per exempla veterum 367
10. De pœnitentia peccatorum per exempla novorum 379
11. De peccatorum confessione 400
12. De sacrosancta Communione 408

LIBER V.

Cap. 1. DE nemine temere judicando 427
2. De patientia injuriæ 444
3. De patientia damni 460
4. De patientia ægrotationis 467
5. De patientia martyrum sexus virilis 480
6. De patientia martyrum femineisexus 502
7. De ratione resistendi diabolo 512
8. De perseverantia bene agendi 534
9. De mortis meditatione 545
10. De hora mortis 552
11. De Purgatorio 590

LIBER VI.

Cap. 1. DE signis ultimi Judicii 578
2. De Antichristi persecutione 582
3. De die Judicii incerta 588
4. De apparitione Crucis, & Christi, interitu[que] Antichristi 592
5. De horrendo Christi ad judicandum adventu, & creaturarum adversus peccatorem accusatione, & igne quo consumenda sunt omnia 596
6. De resurrectione mortuorum 603
7. De Domini descensu ad judicandum vivos & mortuos 606
8. De sententia Christi adversus impios 610
9. De sententia Apostolorum adversus peccatores 612
10. De sententia Prophetarum inter iniquos 624
11. De damnatorum ad inferna abductione 623
12. De Sanctorum cum Christo ad cœlum ascensione 628
13. De damnatorum pœna 630
14. De revelationibus infernalium pœnarum 629
15. De beatorum gloria 642
16. De revelationibus cœlestis beatitudinis 665

FINIS.

M. MA-

Digitized by Google

M. MARVLI DE RELIGIOSE PIEQVE VIVENDI INSTITUTIONE PER EXEMPLA EX VETERI NOUOQUE TESTAMENTO COLLECTA, ATQUE EX OPTIMIS AUTORIBUS, D. D. HIERONYMO, GREGORIO MAGNO, EUSEBIO CAESARIENSI, IOAN. CASSIANO, ALIIS Q. QUI VITAS CONSCRIPSERE SANCTORUM, LIBER PRIMUS.

PROLOGVS.

OPERAE pretium mihi visum est, quaedam quae de diuinis hominibus in historijs ecclesiasticis diffusiùs narrata sunt, carptim collecta breuiter describere, vt propositis euangelicarũ virtutum, id est, Christianę perfectionis exemplis, & me desidia adhuc torpentem excitarem, & alios excitatos alacresque ne lassescerent magis animarem: alios verò etiam redderem cautiores, ne, tametsi boni sanctique sint, facilè de se populariibus auribus credant. Quam enim periculosa sit humilibus Christi seruis mortalium laudatio, tunc planè intélligent, cùm relatũ legerint, non aliam ob causam quosdam reliquisse monasteria, vastasq; penetrasse solitudines, annosque plurimos feris tantùm peruias habitasse terras. Tu igitur cuius nutu cuncta reguntur fautor mihi adsis Deus, dictantem inspires, scribentem adiuues, ingenium, verba, manum, calamum moderare, vt nusquam ab eo, quod tibi placitum fuerit, declinasse argui possim. Tuque Fili Dei, Deus Christe, mentem animumque eorum, qui haec legent, tua gratia sic penitus confirmes, vt istos sectatores tuos æmulari cupiant pariter & possint, atque ad tui solius cultũ inflammati, ijsdem tandem vestigijs ad te perueniant quibus illi peruenêre. Sed quoniã ijs, qui te sequi volant, dimitten-

Marc. 19. Luc. 14. mittenda esse primùm omnia præcepisti: ab illis potissimum, qui ingentioribus se abdicarunt bonis, dicendi initium capiamus, vt & qui pari fortunarum copia perfruuntur, in promptu habeant quos imitentur: & qui tenuiores diuitias possident possideruntve, eas vel erogare, vel iam erogasse pro tui nominis amore, minùs grauari possint.

De terrenis bonis contemnendis propter Christum. CAP. I.

Matth. Apost. IAM PRIMVM, vt à quibus Ecclesiæ Christianæ iacta sunt fundamenta, ab his & operis nostri cudatur exordium: Matthæus publicanus statim vt à Christo vocatus est, Telonium derelinquens, pecuniosis vectigalibus præposuit Apostolicæ conuersationis nuditatem. Bartholomæus quoque Syriæ regum origine clarus, non est dedignatus in piscatorum numero haberi, vt placeret Christo: & cœlestis regni spem animo concipiens, seruire maluit in terra, quàm imperare; & persecutiones pati, quàm seculi honoribus perfrui. *Abdias in vita Bartholomæi.*

Bartholomæus Ap.

Apostoli. OMITTO nunc alios huius ordinis viros, non quia in contemnendis rebus minùs constantes fuerint, sed quia & ante apostolatum humiles inopesque extitisse apparet, stulta tunc & infirma Deo eligente, vt sapientia fortiaque confunderet. Quamuis verissimum sit eos quoque non minùs multa reliquisse, qui sibi nihil reseruauerint. Hinc est, quòd tamen piscatoriam nauim, & quæ resarciebant retia dimittentes, audacter proloquuntur: Ecce dimisimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis præmij? Et

Matth. 15. responsum merentur accipere Domini, dicentis: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israel: & omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

CVIVS quidem pollicitationis tum fide certi, tum magnitu-

Digitized by Google

gnitudine accensi, Maria, Martha, & Lazarus cùm inter se partiti essent hæreditatem, Mariæque Magdalum oppidum, Marthæ Bethania, Lazaro pars vrbis Ierusalem sorte obuenissent: omnibus post ascensum Domini distractis ac diuenditis, pecuniam ad pedes Apostolorum proiecêre in terram, vt cordæ erigere possent in cælum, quò Christum iam præcessisse conspexerant. Hunc morem seduló à fidelibus ea tempestate obseruatum Lucas in Apostolorum Actis testatur, dicens: Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebãt omnia communia, possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa, prout cuique opus erat. Et iterum: Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et paulo pòst: Possessores agrorum aut domorum vendentes, afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Subiungit etiam, Iosephum Barsabam cognomiñatum, agrum quem habebat vendidisse, pecuniamque Apostolorum conculcandam pedibus apposuisse, vt scilicet ea contempta, agrum sibi illum de Euangelio parare posset, in quo absconditus est thesaurus regni cælorum. Nunc qui deinde horum vestigia sunt sequuti, ordine referamus.

Maria Magdalena, Martha, Lazarus.

Act. 2.

Iosephus Barsabas.

Matth. 13.

GREGORIVS antequam Pontifex, vrbis Romæ Senator erat, neque diuitijs minùs, quàm nobilitate potens, in Sicilia sex monasteria sua impensa constituit, Romæ vnũ, paternas auitasque ædes in illud commutans, in quod se quoque ipsum conferens, viritimque indigentibus dispertito quicquid bonorum reliqui fuerat: ex nobili humilis, ex diuite pauper factus, monachi vitam duxit, donec communi Patrum populique consensu, ad pontificale culmen vel inuitus meruit promoueri, multo gloriosiùs à Domino promouendus in cælum, pro cuius amore dilargitus fuerat terrena. *Ioan. Diacon. in vita Gregor. lib. 1.*

Gregorius PP.

EADEM cupiditate in distribuendis opibus ardens Nicolaus Myreæ vrbis Episcopus, cum Pataræ Lyciæ oppido

Nicolaus episcopus.

Digitized by Google

patri matriq́ vnicus esset, eiq́ue hęreditas satis ampla satisq́ue commoda obuenisset, nihil priùs animo agitasse dicitur, quàm quo pacto distractis in pauperum alimenta rebus, expeditiùs liberiùsque soli Deo obsequeretur atq; deseruiret. Hinc illud memoratu digniſſimum: Quòd dũ vicinus quidam, vrgente in scelus inopia, prostitutis triũ natarum corporibus, victum sibi quærere decreuisset; ille accedens domui eius nocte intempesta, vt eleemosyna in occulto fieret, tantum auri per feneſtram iniecit, vt & inde virgines honestè locarentur, & pater ipse in spem sustentandi se non iniquam simul deueniret. Nicolao verò, quòniam bona sua prudenter dispensauerat, ecclesiastica credita sunt, & in Episcopum Myreæ diuinitus est electus.

Mat. 25. Ac post breuiſſimos vitæ huius labores, ad æternam vocatus est quietem, dicente Dómino: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui, *Ioan. Diacõ. Sur. Tõ. 6.*

Abraam Eremita. ABRAAM quoque Aegyptius non minus grandem (iã defessis ætate parentibus) hæreditatem mox aditurus, non expectauit, sed vt erat nudus, discedens in solitudine sibi cellam constituit. Deinde illis vita defunctis, cùm ad capiendum tantarum opum patrimonium vocaretur, tanti illud fecit, vt loco pedem non efferret. Porrò per procuratorem ita egit, ne quid sibi reliquum foret, sed rebus diuenditis, pecunia omnis mendicantium turbæ, viduisq; & pupillis diuideretur. Igitur diuitias, & cùm non haberet, contempsit, & cùm haberet, ne respexit quidem, sed alteri dilargiendas commisit, maiores diuitias existimans Christi paupertatem. *Effrem in vitis SS.*

Hilarion abbas. HILARION Palæstinus, (sicut de illo Diuus Hieronymus literis commendauit) parentibus defunctis, partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino reseruans. Dominicę sententiæ memor dicẽtis: *Luce 14.* Qui non renunciauerit omnibus quæ habet, non potest meus esse discipulus. Erat autem annorum xv. cùm sic nudus & armatus in Christo solitudinẽ ingressus est, sacco tantùm & pelliceo pallio membra coopertus. *Hieron. in vita Hilarion.*

BENE-

Digitized by Google

BENEDICTVS verò ille Abbas, qui viuendi formulas, (quas nunc plerumque sequuntur Monachi) scriptas edidit, à parentibus ex Nursiâ Romam ad excolendum liberalibus disciplinis ingenium missus, impubis adhuc à penè puer, altiùs quàm ea consueuit ætas, diuinitus inspiratus, cogitans literarum studia, Romam ipsam parentesque deseruit, vixitque solitarius, orationem studijs, Romę eremum, parentibus præponens Christum. *Gregor. Dialog. 2. cap. 1.* *Benedict. Abbas.*

PARI puer admiratione dignus mihi videtur Niuardus Bernardi Clareuallensis frater. Qui postquam ipsum reliquosque omnes, Cicilino patre, & Aletha matre, seque relictis, ad Religionem aspirare videret, maluit abeuntes sequi, quàm paterna in domo hæres ex aße futurus manere. Illi enim proficiscentes; paruulo inter æquales in foro ludenti dixere: Niuarde frater, nunc te solum totius summa respicit patrimonij; nos namque ius omne vni tibi cedentes Christum sequimur. Tunc ipse: Cœlum vos ergo possidebitis, inquit, ego terram? Nihilque moratus post eos adijt monasterium, vt potiùs cœlestes cum fratribus, quàm cum parentibus manens diuitias obtineret terrenas. *Ex vita Bernard. lib. 1. cap. 3.* *Niuard.*

SED quid de illis dicam, qui matrimonio copulati effecere, ne coniugatis tam sanctæ conuersationis aditum minus patere putaremus. Germanus Antisiodorensis Burgundiæ Præfectus, ingenuisque artibus apprimè eruditus, pari cum vxore castitatis religionisque suscepto voto, magistratum vltro deposuit, & tantas opes, quantas ea præditus dignitate habere poterat, pauperibus erogauit, nihilq; sibi quicquam reliqui fecit, tunica, cuculla, cilicioque cõtentus, vt lucrifaceret Christum. *Hericus Monach. ad Car. Calum, & Sur. Tom. 4.* *Germanus.*

GALLICANVS quoque Romani dux exercitus, postquam Scythis Dacisque & Thracibus pugna superatis, Cõstantiam Constantini Augusti filiam coniugem sibi pactã victor accepisset; ab ea conuersus Christianusque factus, continuò dignitatis abiecit insignia, detrectauit militiã, *Gallicanus.*

Digitized by Google

& quicquid plurimorum annorum stipendia victoriæque parauerant, repentè sustentaculum fit debilium. Denique sponsam virginem, forma insignem, & quod maius est, Imperatoris filiam relinquens intactam, humilis, pauper, castus, voto se obligauit Religionis. Neque illi tam magnificum fuit hostes vincere, quam quæ assecutus fuerat honorem, opes, voluptatesque contemnere. Illud enim hominis est, hoc supra hominē. *Terēt. in pass. Ioan. & Paul.*

Leonardus.

SED nec Leonardus natione Gallus silentio est prætermittendus, qui inter aulicos Regis primo loco habitus, relicta Regia, dilargitisque facultatibus religioni se tradidit, monasticisque sacris initiatus, in Aquitaniam est profectus, atque operam prædicationibus dedit, haud dubiè stabiliorem ampliorem que seruitij sui mercedem à cœlesti Domino accepturus, quàm receperat à terreno. *Iacob. Ianuens. Epis. in Legend.*

Lupus episcopus.

NON minùs memoratu dignus, Leonardoque aliquanto maior, siue fortana spectetur siue genus, Lupus Senonū tandem Archiepiscopus nunc occurrit. Siquidem regia stirpe in Gallia ortus nobilitatem æquauerat diuitijs. Sed dum indeficientem in cælo thesaurum sibi comparat, eas pia in pauperes largitate libenter effudisse, non tam liberalis quam prudentis hominis esse existimauit. *Sur. Tom. 5.*

Egidius.

EGIDIVS Athenienſis & ipse regio genere nobilis, dum adhuc sub tutela patris ætatem ageret, mendico ægrotanti (quoniam aliud quod daret non habebat) seipsum despolians, proprium amiculum dedit. Quo quidem ille indutus (tantum donatoris misericordiæ meritum fuit) è vestigio sanus consurrexit. Postea verò quàm defunctis parentibus liberam suscepit bonorum possessionem, tam prompto animo omnia egenis dispertiuit, vt ea non priùs habuerit, quàm donauerit. Sed iam ad eos veniamus, qui non modò priuatis opibus, verùm etiam maximis regnis in terra renunciantes, digni fuerunt qui cum Christo regnarent in cælis. *Fulbert. Carnoten.*

Polemius.

POLEMVS potentissimus Indorum rex Bartholomæi Apostoli prædicationibus ad fidem conuersus, atque baptiza-

Digitized by Google

ptiatus, relicto Imperio, eidem constanter adhæsit, discipulusque maluit esse Apostoli, quàm Indiæ dominus. *Abdias in vita Bartholom.*

IOSAPHAT quoque Indiæ rex, Auenir regis filius, Barlaam eremitæ salubri persuasu fidem amplexus Christi, postquam omnes qui sue ditionis erant, baptismatis gratia renouandos diligéter curasset, cœdificatis vicatim ecclesijs deposuit regnum, nihilque secum ferens nisi mundanę gloriæ contemptorem animũ, secessit in solitudinẽ. Cùm enim in vrbibus adhuc sine honore esse non posset, ab hominum frequentia procul se habendum decreuit, iunctusque ipsi Barlaam, vitã traduxit in eremo quæ dicitur terræ Senair. Itaque quem vrbis instar regia vix capere poterat, angustum informis spelunca tenuit habitaculum: & qui tot populis totque gentibus imperitauerat, vnius homunculi præceptis obediuit. *Damas. lib. de Barlaam & Ioasph.* *Ioasphat.*

AT NON solùm susceptum sceptri honorem deponere propter Christum, sed etiam oblatum refutare, exemplis admonemur. Etenim Iudaelles Britanniæ rex cùm monasticam vitam ducere in animo haberet, Iudoco fratri voluit tradere regnum. Ille itidem ad Dei aspirans seruitium, ne quod vltro offerebatur, vel inuitus susciperet aliquando cogeretur, clàm inde profugit, atque ad ripam Alzei fluminis in agro Pontinij constructo paruo humilique tugurio solitarius habitauit. Tunc, vana & stulta mortalitas per cædes & parricidia, quære tibi dominatum, quem sanctissimi viri tam vili habuerunt, vt alter deponere vellet, alter recusaret accipere. *Florent. Abb. Rodolph. Agricola in vita Iudoci.* *Iudocus.*

IN HOC sanctitatis genere, Feminæ quoq; æternæ sibi laudis locũ vẽdicant, eundem affectũ, quoniã & eodẽ impulsę spiritu, in terrenis rebus contẽnendis prę se ferẽtes. *Feminæ.*

EVPHRASIA Romana, genere nobilis, opibus pollens, ætate florens, forma præstans, post mortem viri Antigoni neque rursum cuiquam nubere voluit, licet multum suaderet Theodosius Augustus, neque Romæ manere, quamuis & patria esset, & orbis Domina, neque diuitias posse- *Euphrasia.*

Digitized by Google

dere, tametsi honestissimè posset. Procis repulsam dedit, mare transmisit, ad Thebaidē venit, & eo loci considens, quicquid secum attulerat facultatum, partim erogauit egenis, partim Ecclesijs, neque aut sibi aut filiæ paruulæ Euphrasiæ quicquam residui fecit. Quinimo moriens eidem in monasterio manenti solicitè iniunxit, ne tardaret, quod reliquū Romæ fuerat, simili liberalitate vt distribuatur, curare. *Sur. Tom. 4. & in vitis Patrum.*

Paula.

PAVLA etiam Romana tanta quidem in hac parte ac talis sese offert, vt non alio ore satis dignè laudari queat, quam quo laudata est. Quid enim vberius elegantiusve ab vllo vnquam afferri possit ijs, quæ de illa diuus Hieronymus literis commandauit? Sed quæ ad rem spectant quam nunc tractamus, hæc sunt: Paula, inquit, nobilis genere, sed nobilior sanctitate, potens quondam diuitijs, sed nunc Christi paupertate insignior, Graccorum stirps, soboles Scipionum, Pauli hæres, cuius vocabulum trahit, Martiæ Papyriæ matris Africani vera & germana progenies, Romæ prætulit Bethlehem, & auro tecta fulgentia, informis luti vilitate mutauit. Post hæc discessum eius ab vrbe describens, ait: Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & (quod his maius est) liberis prosequentibus, & clementissimam matrem vincere pietate cupientibus. Iā carbasa tendebantur, & remorum ductu nauis in altum protrahebatur. Paruulus Toxotius supplices manus tendebat in litore. Ruffina iam nubilis, vt suas expectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat. Et tamen illa siccos oculos tēdebat ad cælum, pietatem in filios, pietate in Deum superās. Nesciebat se matrem, vt Christi probaret ancillam. O magni animi feminam, & tanto virtutum suarū præcone dignam, quantus fuit ipse Hieronymus. *Epit. Paulæ, Hierō. in Epist. Si cuncta.*

Elizabeth.

PARIS proposīti, nec minoris constantiæ fuisse creditur Elizabeth Pannonum regis filia, quæ Lantgrauio Turingiæ Regulo nuptui data, deinde marito Ierosolymis peregrè defuncto, ab ijs qui eius Tetrarchiam hæreditario acceperāt, nequiter ejecta, maleque habita, quasi rem viri

sui

Digitized by Google

sui dissipasset, quoniam in dandis eleemosynis minus parcam fuisse dolori erat auaris animis, cùm vix tandem dotalia ab illis extorsissent bona (ea erant duo millia pondo argenti infecti, facti, cælatique) pauperum & peregrinorum satis amplum in Marupre construxit receptaculum, Ibique ijs humiliter ministrando, quanto se inter mortales fecerat viliorem, tanto sublimiùs inter sanctos & electos postmodum fuit exaltata. Cóstantis verò animi haud obscurum argumentum fuit, quòd cùm à patre, vt in Pannoniam rediret, missis nũtijs plurimum solicitaretur, nũquam acquieuit, malens alienigenarum opprimi iniurijs, quàm suorum illectationibus blandimentisve deliniri. Denique orasse Dominum dicitur, vt contemptis omnib⁹, liberorum etiam, quos propinquis commendarat, abiecta cura, ei soli toto corde, totisque viribus famularetur ac deseruiret; & responsum accepisse, preces suas esse, vt petierat, exauditas. Adeo illi omnia extrema potiùs pati, quã à seruitio Christi discedere, certum ac deliberatum erat. *Conrad. Concionator S. Elisabetæ.*

SI TAMEN relictarum rerum metiri voluerimus magnitudinem, non animum; omnium Christi ancillarum parem, priores partes dabimus Kunegundi Henrici Imperatoris coniugi. Quæ cùm summum dignitatis locum adhuc inter principes fœminas retinere posset, defuncto tamen Henrico, ingressa ecclesiam, inspectante populo abiecit imperialia ornamenta, & religionis induit habitum. Maluit enim abiecta viuere in domo Domini, quàm sublimis versari in tabernaculis peccatorum. *Sur. Tom. 2.* *Kunegundis.*

De eleemosynis faciendis. CAP. II.

SED ne nimius sim in huiusmodi exemplis recensendis, cùm multa præterea sese offerant; non incommodè nunc ad eleemosynas transitum fecerim, quãdo & ejusdem generis sint, & ad omnes prorsus spectent, latissimæque pateant: cum etiam peccatori dictum sit, Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Verùm vt in reliquis omnibus, ita & hac in *Daniel. 3.*

Digitized by Google

hac in parte tutissimum erit sanctorum niti exemplis, ne vel in dando manus erret, vel in supputando mens vacillet, vel in largiendo inani ostentatione elatus animus liberalitatis amittat mercedem, dum hominibus magis quã Deo placere studet.

Ioannes Apostol. NEQVE enim immerito Cratonem Philosophum, dũ Ephesi contemnendarum opum ederet spectaculum, gemmas immodicæ æstimationis contundentem, à Ioanne Apostolo reprehensum ferunt. Nam si pietati magis, quàm gloriæ studuisset, nunquam profectò illas contriuisset, sed potius venditarum prerio indigentibus succurrisset. Quã quidem sentẽtiam & ipse postea est secutus. Lapillis quippe ab Apostolo pristinæ integritati restitutis, miraculo ad fidem Christi conuersus, quod ad suam ipse iactantiam instituerat, ad proximorũ vertit vsum, iam satis edoctus, Sapientiam huius mundi stultitiam esse apud Deum. *Abd. in vita Io.*

Thomas Apostol. THOMAS autem Apostolus ad Condophorum Indiæ regem pro architecto non terreni (vt ille putauit) sed cælestis ædificij missus, cùm magnam pecuniæ vim in ædificandę regię sumptus accepisset, profecto in aliam prouinciam rege, argentum omne pauperibus diuisit. Quod vbi innotuit regi, vinctus ductus est in carcerẽ. Interim Gad frater regis elatus, cùm die quarto reuixisset, testatus est, vidisse se in cœlo mirabilis structuræ basilicam gemmis auroque fulgentem, atque audisse à Thoma Regi conditam nisi ea se ipse fecerit indignum. Rex itaq; rediuiui fratris, tum miraculo attonitus, tum verbis permotus, Apostolum vinculis liberat, Christum prædicanti credit, & credens intelligit, non in terra, sed in cœlo eleemosynis paranda esse mortalibus habitacula. *Abd. in vita Thom.*

Osualdus. NEC secus quidem sentiẽs Osualdus Britanniæ Rex, miserorũ turbam quotidie ad se in atrium confluentium alere solitus perhibetur: & cũ die quodã maior esset mendicantium multitudo, quàm ciborum copia, ne eos qui superfuerant vacuos dimitteret, totidem argenti fragmẽtis, esculenta lâce comminuta, donauit. Fortè aderat Aidanus

Digitized by Google

nus Lindisfarnensis Episcopus. Et liberalitatē miratus, apprehensam Regis dexteram, dum deosculatur, ait: Tā prōptam in dando manū senescere prorsus non debere. Hinc aiunt adhuc integram in monumento illibatamque ostendi, vt quàm meritò id olim ab episcopo prolatum fuerit, tam certus euentus testis etiam posteris foret, & nemo vnquam dubitaret, ipsius animum fulgere in cælo, cuius corporis partem tot iam annos incorruptam permanere cerneret in sepulchro. *Beda histor. Eccles. Angl. lib. 3. cap. 6.*

EVPHEMIANVS quoque Romanus & Aglaē vxor eius. quū diuitijs pollerent, nec prolem vllam habere possent, quotidie positis trielinijs pauperculos domi conuocatos reficiebant, proprijs manibus ministrantes. Quibus pietatis officijs meruerunt parentes fieri sanctissimi viri Alexij. Quo vnico contenti, deinceps continentiam inter se perpetuò seruarūt. Tot igitur fructus produxit eleemosyna, vt sterili partum daret, partui sanctitatem, parentibus castitatem, omnibus paradisum. Talem pietatis cultū ne in Ethnicis quidem sine vitæ æternæ retributione marcescere passa est diuina clemētia. *Metaphrast. in vita Alex.* *Euphemianus & Aglaē.*

CORNELII namque Italicæ cohortis Centurionis eleemosynæ (vt in Actibus Apostolorum legimus) ascenderant in memoriam in conspectu Dei, atque ad illum adhuc Gentilem, Angelum de cælo, Simonem Petrum ab Ioppe Cæsaream vsque euocarunt, dignum vtique reddentes, qui cum Angelo colloqueretur, ab Apostolo baptizaretur, à Spiritu sancto, priusquam baptizatus sit, visibiliter illustraretur. Adeò vt & qui aderant ex circuncisione fideles, mirati sint, Spiritus sancti gratiam in Nationibus esse effusam, & Petrus in veritate se comperisse dixerit, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gēti, qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi. *Cornelius. Actor. 10.*

EADEM quidem de causa & beatum Eustachium tradunt ex Gentili Christianum factum, ex Christiano Martyrem immortalitatis palmā assecutū. Cæsaris enim Traiani temporibus Magister equitum super cornibus cerui, quem venando insecutus fuerat, Christum in cruce fulgentem videre meruit. Qui dum ob ipsius erga inopes *Eustachius.*

bene-

Digitized by Google

beneficia ei se apparuisse diceret, & mysteria veritatis reseraret, credentem baptizari iussit: Vt qui charitate iuuerat miseros, fide inter verè felices recipi idoneus foret. *Damascen. lib. 3. de Imag.*

IGITVR cùm hæc ita sint, quis mentis compos non iã excussa tenacis auaritiæ compede, ad liberalitatem gradũ feret; & de ijs, saltem aliquid quæ suæ supersunt necessitati, aliorum indulgebit inopiæ? Zachæus publicanorum princeps & ipse dives, eodem die, imò eadem hora, qua se bonorum suorum partem dare dixit pauperibus, oraculũ accepit: salutem factam esse domui sui, seque non iam inter publicanos & peccatores, sed inter Abrahæ filios computari.

Luce 19. Zachæus.

AT CONTRA dives ille purpuratus, quia luxuriæ suæ deditus, Lazari pro foribus iacentis non respexit ærumnas, impietatis pœnas tulit sepultus in inferno. Et qui dudum panis micas de mensa cadentes, non concesserat mẽdicanti, nec ipse postea in igne positus vel vnam aquæ guttulam, qua linguam refrigeraret, valuit impetrare. Quoniam sine misericordia iudicium fiet illi, qui non facit misericordiam. Et qui obturat aurem suam ad clamorẽ pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.

Luce 19. Dives purpuratus.

Luce 16. Iacob. 2.

SED non talia Bernardinus ordinis Minorum secunda gloria, qui cùm parentibus orbatus sub Dianæ materteræ tutela degeret, & virenti adhuc ætate futuræ perfectionis floreret signis, prandiolum suum cum pauperculis partiri consuesse dicitur, Et dum in panario die quodam vix qui domesticis sufficeret panis exaret, ac materfamilias mendicanti defectum, qui tunc casu affuit, excusaret; eam Bernardinus tam diu orare non destitit, donec exorauit id saltem petenti concedi, quod sibi reseruabatur, affirmans semet esurire malle, quàm esurientem non pauisse. *Sur. Tom. 3. fol. 365.*

Bernard.

DOMINICVS Hispanus dum Valentiæ bonis artibus perdiscendis operam daret, ciuitas annonæ caritate laborare cœpit. Ille multorum famem miserans, cùm pecuniã non haberet, qua indigentibus pro tempore subueniret,

Dominic.

libros

Digitized by Google

libros vendidit: nec dubitauit literarum ſtudijs ſtudium præponere pietatis. Et quoniam ſcriptum eſt: Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur: ad tantam deuenit perfectionem, vt Ordinis Fratrum Prædicatorum fieret Author. *Sur. Tom. 4.* *Prou. 28.*

NVNC ſanctorum Sacerdotum munificẽtia referatur, vt Eccleſiarum Præpoſiti, penſionum atque prouentuum, qui vel Epiſcopatus, vel alio id genus titulo cenſentur, diſpenſatores ſe, non poſſeſſores eſſe, agnoſcant.

SYLVESTER Pontifex, viduarum & orphanorum, reliquorumque Chriſti pauperum nomina in codicillo ſeriatim deſcripta lectitabat, neque die vllo præteriret, cuius miſeriam æqua ope non iuuaret, ſeruans illam religioſitatis vitæque munditiem, de qua Iacobus Apoſtolus ait: Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt; Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorũ, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. *Io. Gerſon.* *Syluester. PP.* *Iacob. 1.*

HOC idem ante eum & Clementem Pontificem factitaſſe tradunt, ſed ita, vt etiam ad longinquas regiones trãſmitteret indigentibus ſubſidia. Neminem ex ijs, quos ad veritatem ab errore conuerterat, paſſus eſt mendicare, vt qui ſe autore iam Chriſto viuerent, ſe quoque adiutore famem non timerent. *Simon. Metaphraſt.* *Clemens PP.*

VERVM ijs vt ſcientia præſtantior Gregorius & dignitate par, ita ſanctitate vitæ non inferior, non contentus vulgi tantùm ſubuenire inopiæ, omnibus vbique Chriſti ſeruis, quantum Romanæ cenſus eccleſiæ ſuppeditare potuit, neceſſaria miniſtrauit, & miniſtrando effecit, vt in monaſterijs Monachorum creſceret numerus, in ſolitudine degentibus incommoda ſolitudinis minus grauia forent, per Syriam diſperſis & in Syna vſque habitantibus Roma non ita multum abeſſe, vt abeſt, videretur. *Io. Dial. lib. 2. cap. 24.* *Gregorius PP.*

AD eundem etiam, dum adhuc Abbatis officio fungeretur, veniſſe quendam, atque eleemoſynam poposciſſe legimus, quòd ſe naufragium feciſſe diceret: & cùm ſex nummos ab eo accepiſſet, mox reuerſum, totidem pari facilita- *Idem.*

Digitized by Google

cilitate(tanta erat largitoris benignitas)impetrasse. Perè die deinde rursum accessisse lamentantem, minimũ quid præ ijs, quæ in mari amiserat, sibi fuisse emẽdicatum, proinde ad opem eius implorandam, iterum atque iterum necesse se habere confugere. Tunc murmurante multum dispensatore ac dicente: Iam aliud nihil quod dari possit, præter argenteam lagunculam in monasterio testare, cõtinuò eam ipsam à Gregorio tradi iussam. *Io. Dial. libr. 2. cap. 23.*

Idem. CAETERVM Gregorius haud multo pòst summus Põtifex designatus, cùm duodecim tantùm peregrinos pauperes, in illos Apostolos Domini veneraturus, inuitari præcepisset, discumbentes intuitus, præstituto numero vnum supereesse animaduertit: & cum inuitatorem criminis argueret, quòd plures quàm iussus fuerat, conuocasset, ille è contrario nequaquam plures esse asseueraret, eos de integro considerare cœpit, atque cùm ipsum, quem vt solus videre potuit, ita solus residuum esse adnotarat, subinde mutari deprehendit, & modò iuuenis, modò senis speciem vultu præferre: tali ostento attonitus, silentium tantisper tenuit, donec peracto conuiuio seorsum euocatum, quisnam esset interrogauit. Ille se non hominem sed angelum esse respondit, cui aliquando sumpta naufragi forma mendicanti, ipse & pecuniam, & argenteam lagunculã largitus esset. Cumque subiunxisset, tum demum illum à Deo electum, qui præesse Ecclesiæ post Pelangium Pontificem deberet, è vestigio tenues dilapsus in auras conspectũ eius dereliquit. Gregorius igitur quoniam neq; sæpius petentis procacitate sic offendi potuit, vt non miseretur, neq; monasterij sui tenuitate sic deterreri, vt petenti aliquid nõ tribueret, dignissimus iudicatus est, cui vineæ Dei manu plantatæ, & mundi per Christũ saluati cura regimẽque cõmitteretur. *Ioan. Dial. in vita Greg. libr. 2. cap. 23.*

Ioannes Patriarcha. NON dissimile benignæ liberalitatis exemplum dè Ioanne Alexandrino Patriarcha ab his, qui vitam eius conscipsêre, memoratur. Nam (vt aiunt) cum aliquando mendico sibi obuiam facto sex nummos dispensatorem dare iussi-

Digitized by Google

iussisset, ille acceptis diuertit paululum de via, & progredientium præuertens vestigia, gestu, habituque alium mētitus, alios sex, non quia non agnosceretur, accepit, sed quòd talem nactus fuerat datorem, qui etiam deprehensa dolositate manum poscenti subtrahere nesciret. Et iam tertiò pari astu vso, cùm Patriarcha duplicatam pecuniā numerari præcepisset, succlamare dispensator in malitiā hominis cœpit. Conuersus verò Ioannes: Tace, inquit, fili, nam fort asse hîc Dominus noster Iesus Christus, periculum nostri faciens, an tandem offensi crebris repetitionibus cessabimus misereri. Hic, quia maximè in dādo propēsi animi erat, cognomento Eleemosynarius dictus fuit. *Leontius Episc. in vitis SS. Patrum.*

IDEM pauperes non aliter quàm Dominos suos appellare solitus dicitur: Et cùm à diuite quodam, vile ac sordidum grabatuli sui tomentum miserante, plumeam culcitram dono missam accepisset, vbi primum ea substrata cubauit, noctem illam totam insomnem egit, identidem ingemiscens, mollius tunc se iacere, quàm Dominos suos. Cumque illuxisset, culcitram venum dari, pecuniam pauperi erogari mandauit. At dives ille ab emptore redemptā iterum misit, precatus ne munus suum vltrà venale haberet, sed eo ipse frui vellet. Verùm diuitis preces superabat Patriarchæ in egenos misericordia, neque vllo modo Ioānes tenere se potuit, quin rursum itidem faceret vt priùs. Dives autem iam secundo recuperatam eidem referri iussit: videbimus, dicēs, vter nostrum citiùs defatigabitur, tu vendendo, an ego redimendo. Ille ioculo dicta modesto admodum risu excipiēs: Deo gratias ago, inquit quòd inituri simus certamen diuiti salubre, pauperi commodum, mihi iucundum. Itaque quoties id muneris missum sibi accepit, totiens vendendum curauit, vt inde Dominis suis, id est, Christi pauperibus subueniret, facians sibi sacculos qui non veterascunt, thesaurum indeficienetm in cœlis, quò fur non appropiat, nec tinea corrumpit. *In vitis Patrum.* *Idem.*

RES etenim, quæcunque in sinu miserorum recondun- *Verbum, PP.*
tur,

Digitized by Google

tur, illuc inferri palàm testatus est Pontifex Maximus Vrbanus, à quo cum Cæciliæ martyris thesauri, quos dispensandos acceperat, quærerentur, quoniam eos iam indigentibus impenderat, ait: Cæciliæ thesauros pauperum manu in cœlum sustulerunt. *In histor. Ceciliæ.*

Laurentius Leuita. LAVRENTIVS quoque Leuita à Decio tyranno quæstione agitatus, vt argentum indicaret, quod Philippum Philippi Augusti filium olim Ecclesiæ obtulisse cõstabat, protensa in pauperes manu, quibus iamdudum erogatum erat: Apud hos, inquit, Philippi argentum depositum seruatur. At Decius sibi proculdubio illudi putauit, quia vbi veræ diuitiæ essent & vera gloria, ignorauit. *Prudent. in Peristeph. & Ambr. Off. lib. 2.*

Soranus Abbas. CVIVS quidem gloriæ cupiditate quondam flagrans Abbas Soranus, Longobardis Italiam vastantibus, redimere captiuos, & eos, qui amissis rebus prædæ subterfuerant iuuare non destitit, donec latronum gladijs, Ecclesiæ thesauros ab eo frustrà quærentium, (quoniam iam nulli erant) confossus occubuit. Eo confluente, terra tremuit, testata (credo) tam pium hominem tam impiè cæsum non oportuisse, nisi ad pietatis mercedem cumulus accederet corona martyrij. *Gregor. Dial. lib. 4. cap. 22.*

Martinus Episcop. CELEBRATISSIMVS in hoc laudis genere Martinus, nec à nobis nunc silentio prætermittendus est. Cuius pietatem militis adhuc, an iam Turonensium Episcopi, magis mirer, incertus sum. Constantino & Iuliano imperantibus, stipendia faciebat, quando brumæ tempore pauperis nuditatem dimidiatæ chlamydis suæ parte operuit. Et in quieto Christum se in paupere texisse agnouit, dum eadem illa lacinia indutum cernit, dicentemque audit: Martinus adhuc Catechumenus, hac me veste contexit. *Seuer. Sulpitius, circa principium.*

Idem. POSTEA verò Turonensium Episcopus factus, cùm in vestibulo Ecclesiæ offendisset hominem detrita lacerna seminudum, in sacrarium euocato, tunicam quam sub pallio solam habebat, dedit. Allato sibi demum collobio, indutus ac superindutus podere, reliquisque sacerdotalibus

ornã-

Digitized by Google

ornamentis, dum sacra peragit, atque inter agendum ambas suppliciter manus ad cælum tollit, de labentibus lineis manicis brachia nudata ostendit. Sed priusquam ea demitteret, amicta apparuêre tegumento ornatus supra modũ mirabilis oppidoq; stupẽdi. Vt scilicet miraculo admoniti crederem⁹, eũ qui indigẽtes vestierit, vestiendũ cælestis gloriæ lumine, cùm Dominus Iesus Christus trãsformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. *Seuer. Sulpit.*

SED quid de Paulino Nolanæ vrbis Episcopo dicam? qui depopulata Campania VVandalorum excursionibus, cùm in redimendis captiuis cuncta consumpsisset, seipsũ quoque in eleemosynam tradidit. Profectus enim in Africam, vicaria seruitute redemit viduæ Nolanæ filium. Olitoremque se fecit barbari domini, vt matrem vnici amissione consternatam, eo recuperato consolaretur. Iactent se, qui volunt facultates non modicas in pauperum vsum impẽdisse. Ecce qui omnia impenderat, inuenit præterea, quemadmodum inops factus omnium diuitum eleemosynas superaret. Cæterùm misericordiæ remunerator Deus, virum tanta pietate prẽditum, non est passus diutius iugo premi impiorum. Contulit illi prophetiæ spiritum, quo afflatus cùm prædixisset regem in proximo moriturum, diuinationique respondisset euentus, tantæ admirationi fuit, vt statim libertatem sibi acciperet, alijs impetraret. Pro vnius liberatione se in seruitium obtulit, sed cum omnibus simul qui è Nola abducti fuerant, liberatus, frumento insuper nauibus impositio, ad patriam postliminio redijt, pristinæque dignitati honorificentissimè fuit restitutus. *Aug. de Ciuit. Dei, lib. 10. c. 10. Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 1. Prosper. lib. 2. cap. 9. vit. contempl.* *Philip. 2. Paulinus.*

SERAPIONIS quoque Monachi eleemosynæ haud minori commẽdatione dignæ, si donantis tantum animus perpendatur, non etiam doni magnitudo. Cùm enim nihil præter tunicam, & pallium, & Euangeliorum Codicem haberet, duobus pauperculis obuiam factus, alteri palliũ, alteri tunicam dedit, & cùm nudus sederet, interrogatus quis eum despoliasset, protento codice illo quem manu

Serapion Monach⁹.

Digitized by Google

tenebat: hic, inquit: Iterum alios mendicantes conspicatus, etiam codicem vendidit, & venditi pretium illis distribuit, dicens à Domino præceptum esse: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Necdũ se istud implesse putauit, donec semetipsum quibusdam Gentilibus vendidit, ita tamen vt ipsos Domino lucraretur. Cumque eos ad Christum conuertisset, pecunia quam acceperat se redemit. Rursum idem Lacedæmoniæ fecisse dicitur, eodem successu, conuerso diuite quodam ac principe viro. Post talia charitatis officia in Abbatem electus apud Arsinoen, decem millium Monachorum pater fieri meruit, & qui omnes præibat pietate, omnibus præesse dignus fuit. *In vitis PP. Palladius hoc refert de Besarione.*

Marc 10. *Luc.* 18.

Petr. Temarius.

AEQVE pium virum & Petrum Constantinopolitanũ cognomento Telonarium fuisse ferunt, sed tantò maiori admiratione dignum, quantò ante conuersionem vixit nequiùs. Cùm enim opum copia redundaret dubitatum est, vtrùm ditior an auarior esset. Hinc inter mendicos ortum est certamen: vnus profitebatur se ab eo eleemosynam eliciturum, cæteri id omnino fieri posse negabant. Qui se facturum promiserat, accessit cum multo precum ambitu, & dum hominem auertentem sese vrgere cœpisset, in irã concitauit, ita vt furore ardens repentè arreptum panem (panes autem casu ancilla è fornace domum coctos referebat) in faciem peccantis intorqueret, qui cùm declinasset ictum, sublato pane discedens, se tandem voti sui compotem factum socijs nuntiauit. Petrus verò postea aduersa valetudine agitatus, cùm postremò horis aliquot exanimus iacuisset & reuixisset, narrauit sibi interim visũ fuisse, se ante tribunal Dei in cœlo sisti, ab alijs accusari, ab alijs defendi, in altera libræ lance peccata quæ commiserat appendi, in altera vnicũ panem illum, quem ipse quondã proiecerat iratus. Et cùm exæquatum vtrinque pondus staret: reuerti, ac pani superaddere aliquid quod præponderet, si multi reatus supplicia cuperet euadere, sibi iussum. Itaque cum conualuisset, quæ cupidè conflauerat, liberaliter cœpit effundere, neminem indigentium opis suæ expertem fieri passus. *In vitis Patrum.*

DIS

Digitized by Google

DIE quodã cùm cõſpexiſſet hominem attrito lacero-que amictu tantùm, non nudum, ad ſe euocatum veſte, quã ipſe induebatur, donauit. Eã pauper (quia honeſtior erat, quam vt perſonæ ſuæ conueniret) in forum delatum vendidit. Quamobrem Petrus ſe indignum ratus, cuius veſtibus tegeretur, animo vehementer angi cœpit. Et dum doleret nocte inſecuta veſtimento illo indutum Chriſtum vidit pauper. Hoc ſomnio facilè perſuasũ habens, id Chriſto dari, quicquid datur inopi, omnia dilargiendo nihil ſibi reliqui fecit. Nec ſic quidem ſatiatus, Ieroſolymã profectus, venum ſeipſum dedit, vt haberet quo adhuc aliorũ ſubueniret inopiæ: ſeruusque factus eſt hominis, vt ſeruitutis pretium offerret Deo: Dixi dubitatum aliquando, diuitijs, an auaritia, magis præſtaret: nunc adijciam, & hoc incertum eſſe potuiſſe, an illis vtriusque maior in eo deinde liberalitas fuerit, ſi idem liberalitatis qui opum finis fuiſſet, & non impenſis facultatibus neceſſitati proximorum ipſemet etiam ſuperimpẽdiſſet. O verè mutatio dexteræ excelſi, in vno homine ſummæ cupiditati, ſummæ ſucceſſit munificentiæ. Quòd ſi tantum panis cum iniuria datus efficere potuit, quid nõ efficiet benignè & cum charitate porrectus? *Invitis PP.* *Idem.*

SICVTI porrexiſſe aliquando Iudocum legimus. Qui cùm ad fluminis ripam in ſolitudine ſibi domicilium cõſtituiſſet, vno dũtaxat diſcipulo contentus, partem quartam panis, quẽ tũc vnicum habebat, mendicãti dedit: mox iterum, & tertiò, & item quartò, diuerſo ſemper ne agnoſceretur habitu, petitum reuertenti ſemper partem largitus, nihil ſibi, neque diſcipulo, niſi certã in Domino ſpem dereliquit. Et dum hæſitantem diſcipulum conſolatur, ne de victu dubitaret, ei ſeruiens qui irrationabilia quoque paſceret animalia, aſpiciunt duos lembos proximæ ripæ applicuiſſe vectore nullo. Cũq; cõperiſſẽt omni cibariorũ genere, quo ipſi veſci ſolebant plenos: Deo gratias egerunt, qui pro vno pane, pauperi dato, tã vberẽ alimentorũ copiam ſibi ſine cunctatione prouidiſſet. *Rodolph. Agricola carmine ſcripſit vitam Iudoci.* *Iudocus.*

SIC & Monachus Sabba, dum Hilarionem Abbatem *Sabba Monach⁹.*

Digitized by Google

cum trium millium Monachorum comitatu venientem excipiens in vinea sua ad vuas, quæ iam maturæ erant, inuitasset, & omnes earum pasto refocillati essent, vsque adeò multiplicatum inde collegit fructum, vt vinea, quæ integra centum lagenas æstimata fuerat, depasta trecentas redderet. *In vita Hilarion.*

OLIM huiusce rei exempla præmiserat Dominus noster Iesus, iubens discipulos, vt turbis in deserto epulum darent. Quinque panes & duos pisces, cũ nihil aliud præterea haberent, discumbentibus apposuerunt. Atque vbi omnes pransi ac saturati essent, pro quinque panibus, duodecim cophinos reliquiarum plenos retulêre. Aliàs item de appositis septem panibus, & paucis piscículis, cũ multitudinem esurientem satiassent, septem sportas fragmentis, quæ superauerant, impleuêre. Vt experimento discerent, ne quaquam fallere eum, qui dixerat: Date, & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum. *Luc. 6.*

HANC grandem vberemque mensuram non tam in terra, quàm in cœlo nobis repositam esse, non ignorauit Simon monachus Sitionis filius. Qui cùm in cœnobio illo, vbi tunc manebat, in vesperum edendi mos esset, viritimque cibaria fratribus diuiderentur, sæpenumero nihil delibans, cœnulam suam integram seponebat, demum quã poterat secretius pauperculis eò ventitantibus offerebat, hebdomadarum interdum inediam passus, vt alijs alimenta præbere posset. Et cùm tot dies nihil gustaret, famẽ non sentiebat, dum fami prospicit aliorum. Spem sibi certissimam extendens ad illud veræ felicitatis pabulum, de quo Psalmista ait: Satiabor cũ apparuerit gloria tua, Domine. Sumant hinc documentum ieiunãtes, vt saltẽ cibo quẽ sibi interdixerint, pauperes alant, alioqui nõ ieiunare, sed impensæ parcere meritò videbũtur. *Euagr. Eccl. Hist. l. 4. c. 33.* *Simon Monach⁹.* *Psal. 16.*

NE CESSE vt causetur quis fortunarum suarum tenuitatẽ. Nemo tã pauper est, vt pietatem colere non possit. Seruulus mendicus erat, imò mendicorum miserrimus, si tantum sortis attendatur malignitas, non etiam animi patiẽtia, qua sola poterat videri felix. Hic (vt Gregor. in Dialogo re-

Digitized by Google

go refert (paralysi resolutus, cùm se prorsus mouere non posset, iacebat in Carruca sub porticu S. Clementis Romæ à prætereuntibus victum mendicans. Et cum eleemosynis sustentaretur, quicquid in diem sibi residui erat, cęteris offerebat, nihili solicitus in crastinum, sed quærens regnum Dei, & iustitiam eius. Quod quidem facilè est adeptus, dū & suam calamitatem patienter fert, & miseretur alienæ. *Greg. Dial. lib. 4. c. 14.*

FRANCISCVS Ordinis Minorum pater (quibus solis tantum possidere lex est, vt mendicare necesse sit) dum iter ageret, incidit in hominem, cuius vestimenta diutino vsu detrita, vix pudenda corporis operuerant, & nuditatem eius dolens substitit, suspirauit, ingemuit. Frater verò, qui illum contaminabatur, quid, inquit, ita tristaris pater? et si hic indumentis eget, forsan abundat concupiscentijs. Tūc Franciscus fraterni erroris non dissimulator, sed corrector, iussit protinus vt ille sua se tunica exuens pauperem tegat: & quod de ipso perperam opinatus fuerat, ab eodē veniam roget, ac tandem discat, nefas esse miserorū mores fugillare, indigentiam negligere. Vtinā talē subire cogantur mulctā, ne pœnis grauioribus obnoxij sint, qui mēdicos ob hoc solum interdū improbitatis arguūt, & increpationibus repelluat, vt quòd eis subuenire nolunt, iudicij esse videatur, nō impietatis. Nūc infirmioris sex⁹ haud infirmiora exempla subnectā. *Bonau. in vita Francisci. c. 8.* *Franciſc.*

BRIGIDA Abbatissa aliquando simul cum aliquot sororibus curru vehebatur, & occurrens pauperculis ligno- rum fasces dorso baiulantibus, vt alterius onerą portando implerent, legem Christi, solui iugales equos iussit, eisq; tradi. Oneratis iumentis læti abierunt, ipsa cum suo comitatu in via residens præstolabatur Domini auxilium. Ecce autem eandem viam quidam regulus ingrediens, vbi causam morę earū intellexit, suos illis equos largitūs est. Brigida ergo tantæ pietatis fuit, vt necessitati proximorum suam posthaberet; tantæ spei, vt nunquam se à Domino deseri timeret. Sic lampadi infundens oleum, id est, virginitatis decus misericordiæ operibus exornans, admissa est ad Sponsi nuptias cælestis celebritatis, ineffabili *Femina Brigida Abbatissa.*

Digitized by Google

gaudio semper fruitura. *Bonifac. 9. Sur. Tom. 4.*

Paula. PAVLAM in largiendo sic profusam fuisse ferunt, vt sibi tandem necesse fuerit, ne rogantibus repulsam daret, pecuniam mutuò accipere, vsuris sese obligare, versuras facere. Prodigalitatis accusata Deum testabatur, se pro illius nomine cuncta agere, & hoc habere voti, vt mendicans ipsa moreretur, & in funere suo alieno syndone inuolueretur. Ego, inquit, si petiero, multos inueniam qui mihi tribuant; mendicans si à me nó acceperit, quæ ei possum etiam de alieno retribuere, & mortuus fuerit, à quo anima eius requiretur? Nulla itaque in pauperes liberalitate satiata, ad ægestatem penè vltimá peruenit, sed quáto tunc se fecerat pauperiorem, táto postea amplioribus locupletata est diuitijs in regno cælorú. *Hierõ. in Epit. Paula.*

Elizabeth. ELIZABETH nondum marito Lantgrauio viduata, ob assiduam in pauperes benignitatem, mater eorum cognominabatur. Sanis vitæ subsidia mittebat, afflictos consolabatur, ægrotos visitabat, mortuis fun' sua procurabat impensa. Quos in plebe magis inopia oppressos animaduertebat, ex his compatruos atque commatruas sibi comparabat, vt eis liberius subueniendi causas haberet. Si quando pecunia non suppeteret, vestimenta vendebat; cernens pauperculum quendam nudum efferri, detracto sibi capitis velamine, inuolui iussit cadauer. Quo tempore fame laboratum est, vim magnam frumenti diuisit. Et id quidé absente viro atque inconsulto, vel quia approbaturum speraret, vel quia quod vnius erat, alijs quoque commune esse debere facilè persuaserat necessitas multorum. Denique cùm esset regis Pannonum filia, & Turingiæ domini coniux, nere, texere, suere suis ipsa manibus non est dedignata, vt de laboris sui peculio eleemosynas dare pos-

Prou. vlt. set. Et de illa ergo non incongruè dici potest: Manum suã misit ad fortia, digiti eius apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperẽ. Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo. *Conrad. Minor. Concionator.*

Vidua de Euangelio. SED multa dare locupletiorum est, pauca tenuiorum: nec tamen ideo non par meritum; quarum æqualis affect'.

Ani-

Digitized by Google

Animum etenim largientis pensat Deus, non donum. Nec quantum oblatum est inspicit, sed de quanto. Vidua pauperecula duo æra minuta misit in gazophylacium, & diuitibus præfertur. *Luc.* 21. *Marc.* 12. *Lucæ* 21.

VIDVA etiam illa, cui nihil aliud erat præter pugillū farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho, totum id quod habuit petenti Eliæ Prophetæ concedere non dubitauit. Et ex illa die hydria ei farinæ non defecit, nec lecythus olei fuit imminutus, donec pluuiam dedit Dominus super terram. Denique paruulum filium, quem mors abstulerat, pietas viuum in sinu matris restituit, annuēte Domino precibus Prophetæ, quem illa & cibo pauerat, & & fouerat hospitio. 3. *Reg.* 7. *Viduæ Eliæ Prophetæ hospit.* 3. *Reg* 17. *Tabita.*

PRO Tabita quoque Dorca, nonne pauperum, quibus illa se benignam præstiterat, obsecrantium voces Apostolum Petrum compulerunt, vt illi iam conclamatæ ad pristinam vitam reditum à Domino impetraret? *Actor* 9. *Actor.* 9. *Drusiana.*

NONNE & pro Drusiana egenorum Ephesi turba Ioāni Apostolo occurrens, vt quam illi tunc efferebant, ipse protinus suscitaret, obtinuerunt, dum vestes ab ea receptans ostentant, dum illa incolumi se nunquam famem timuisse affirmant? Mulier igitur ad vocem Apostoli à morte veluti à somno exurgens, illum suscepit hospitio, solitaque subsidia pauperculis misit, nunquam pietatis deserens officium, ob quam & ad hanc vitam redire illi licuit, & proficisci ad æternam. *Abdias in vita Ioannis Euang.*

O PRAEGRANDIS eleemosynæ virtus! Diuites sanctificat, pauperes beat, peccatores iustificat, iustos glorificat, mortuos suscitat, & immortalitate mortalibus donat.

SED ne cuiquam tam fructuosum opus tunc demum exercendum differatur, cùm aut nihil aut parum profuturū sit, documento nobis erit Lucia virgo. Quæ cùm matrem Euticiam ad erogandas pauperibus facultates hortaretur, illaque diceret, vti vitæ suæ finem expectaret, ipsa postea quod vellet, de opibus suis factura: Non est (inquit) admodū gratū, ô mater, Deo munus, quod qui offert, ideo offert, quia illius vsum suprema sibi interdicit dies. Da dum sana es, ne si moriens dederis, inuita dedisse arguaris, rē vti- *Lucia.*

Digitized by Google

que, quam (velis nolis (relinquere cogeris. Victa rationibus Euticia, laudauit filiæ sententiam. Lucia verò iam bonis omnibus ad vorum erogatus, cùm dijs sacrificare compelleretur, ait: Sacrificium Deo acceptissimum esse, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Et quia etiam inter torméta misericordiæ in egenos comminiscebatur, misericordię semper remunerator Deus effecit, vt cùm ad lupanar traheretur, loco moueri nō posset: cùm vreretur, illæsa inter flammas maneret: cùm iugularetur, morti nō cederet, donec ad cœlos itura, vitale viaticum de manu sacerdotis accepit: Corpus videlicet & sanguinem Agni, pro cuius amore sua omnia in eleemosynam, seipsam in sacrificium, tam confidenter quàm libenter obtulerat. *Ita Martyrol. Sur. Tom. 6.*

Iacobi 1.

De hospitalitate seruanda CAP. III.

POST eleemosynas, hospitalitas sibi postulat locum, ex eodem fonte manans charitatis. Nam vt mendicāti porrigere aliquid, misericordiæ opus est; sic peregrinos suscipere hospitio, humanitatis officiū. Quæ profectò virtus, vel qualiter exercenda, vel quanti apud Deū momenti sit: & Patrum exemplis patet, & aliorum deinceps Sanctorum, quos aut apostolicus sermo celebrat, aut celebrandos postea censuit ecclesia.

Abraam. Genes. 18.

ABRAAM in valle Mambre ante ostium tabernaculi sedet, ne quis pertranseat, quem ad se diuertere non roget. Tres venire videt, neque donec aduenient expectat, sed currit obuiam atque adorat, vt hospites non fouendos solùm, sed etiam honorandos scias. Orat ne se prætereant, quasi accepturus, non daturus beneficium. Et primū aquā pedibus parat, vt doceat omnium virtutum fundamentum esse humilitatem. Subcinericios panes, butyrum, & lac, & vitulum coctū apponit, vt copiosè potius, quā luxuriosè, hospites pascendos esse demōstret. Deniq; discedentes deducit, vt quos benignè accepimus, eosdē cū honore discamus dimittere, ne si incomitati hospitij limē exierint, expulsi magis quā dimissi esse videātur. Nec arbitreris ideo illos

Digitized by Google

illos ab eo sic acceptos, quia scierit angelos esse: sed potiùs quia sic homines acceperit, Angelos quoque accipere meruisse, & tales Angelos, in quibus sub Trinitatis typo Maiestas vnius Dei adoranda facilè appareret. *Genes.* 18.

EADEM erga externos obseruatione & Loth Sodomæ vsus, eosdem etiam Angelos hospitio suscipere meruit, licet plures ad Abraam accesserint, quia pater multarum gentium ille: sed Loth non rogasse solùm, verùm etiam compulisse eos, vt ad se diuerterent, dicitur. Itaque alter exoratos statim suscipiendos moretur, alter si vlteriùs recusarint, cogendos suadet; arguens nempe illos, qui sic summis labijs etiam notos interdum inuitant, vt palàm sit, ipsos hospitales videri, quàm esse malle. Loth præterea tanto affectu hospites suos ab iniuria nefandissimorum hominum eripere nixus est, vt duas virgines filias pro illis stuprandas offerret. Sed perturbatus, flagitium flagitio voluit commutare: nos in illo fidem hospitij imitemur, non mentis turbationem, ne dum hospes præter modum defenditur, offendatur Deus. Denique Angeli, vt Loth gratiam referrent, illum de consortio eorum, quos pro scelere vltum aduenerant, cum suis simul incolumem eduxerunt. Cumque euerterent Sodomam & Gomorrham, sulphure & igne de cælo misso, pepercerunt Segor propter eum, quia illuc confugerat, ne simul cum impijs perderent iustum, & cum aduenarum infestatoribus aduenarum susceptorem. *Genes.* 12. *Loth. Genes. 18.*

NON dissimilis hac in re mihi videtur senis illius fuisse fides, qui (vt in Iudicum libro legimus) habitans in Gabaa vrbe Tribus Beniamin, cùm vidisset hospiti suo Leuitæ vim parari ab infrenatæ libidinis viris, loco ipsius filiam eis virginem tradere voluit. Hospes verò ne illi, à quo benignè exceptus fuerat, dedecoris ignominiæque causa existeret, sua, quam secum habebat, coniuge raptoribus satisfecit, qua illi sic abusi sunt, vt extinctam reddiderint. Digna imitatu & senis humanitas & Leuitæ gratitudo, si modum seruet affectus. Sed defugiendum execrandumque exitiale Gabaonitarum scelus, quo effectum est, vt Tribus Beniamin propè deleta fuerit, vrbes viciique *Senex Gabaonita. Iudic. 19.*

Digitized by Google

eius incensi, & his qui eadem fuga euaserant, connubia reliquarum Tribuum diu interdicta. Tam magni mali causam præbuit libido paucorum. Ad recentiora veniamus. *Iud.*19.

Onesiphorus. ONESIPHORVS Ephesius discipulos Christi suscipere solitus, sic ab Apostolo Paulo benedicitur, vt dubitandum non sit, quin hospitalitatis officijs æternæ vitæ præ-
2.Tim.1. mia sibi compararit. Det, inquit, misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, sed cùm Romam venisset, solicitè me quæsiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Deo in illa die. Et quanta Ephesi ministrauit mihi? O felix igitur Onesiphorus, qui aliquando auditurus est optatissimam vocem illam vocantis Domini, ac dicentis:
Matth. 2. Veni benedicti Patris mei, posside tibi regnum paratum à
1.Tim.1. constitutione mundi: hospes enim eram, & collegisti me: in carcere eram, & venisti ad me. Amen dico tibi, quicquid feciſti vni de his fratribus meis minimis, mihi fecisti. *1.Timoth.*1.

Sylvester PP. SYLVESTRVM quoque hospitalitatis præter cætera studiosum fuisse ferunt. Timotheum ab Antiochia venientem presbyterum, & ipse presbyter domi suæ benignissimè suscepit: eundem mox, quia Christum prædicabat, martyrio coronatum condidit ac sepeliuit. Cui enim viuo hospitium præstiterat, mortuum tumuli honore carere non sustinuit. Deinde ad pontificale officium promotus effecit, vt omnibus ad vrbem aduentantibus, apud se hospitandi ius esset. Ita vtecum beato Iob iure suo dicere poterat: *Iob* 31. Foris non mansit peregrinus: ostium meum viatori patuit. *In Actis Syluestri.*

Gregorius PP. GREGORIVS verò Pontifex non solùm facilem ad se aditum concessit peregrè aduenientibus, sed etiam per fora & compita passim quæsitos inuitauit. Insuper discumbentibus interdum ipsemet ministrauit. Qua humilitate meruit aliquando conuiuam habere Christum. Semel enim inter ministrandum, dum se pauliſper auertisset, conuersus deprehendit vnum ex conuescentibus non apparuisse. Quam rem vehementer secum admiranti, no-

Digitized by Google

de proxima adfuit in visu Dominus, dicens: Eo quòd cæteris quidem diebus membra sua hospitio mensaque acceperit, dignum fuisse, qui hesterno acciperet & caput. Palam quippe fieri voluit Saluator noster, qui est caput nostrum, seipsum in peregrinis recipi, quos sua membra esse dixit: sibique præstitum imputari, quicquid præstaretur illis. Si ergo Iesum suscipere cupimus, aduenas & peregrinos non contemnamus. *Ioan. Diacon. In vita Gregor. lib. 2. cap. 22.*

QVOS quidam sub tecto receptos sic tutati sunt, vt eorum salutem sua potiorem haberent. Gerbonius Populonij Episcopus occidi potuit, cogi autem, vt hospites proderet, non potuit. Totilæ regis irati minas contempsit, nolens prorsus latebras indicare eorum qui ad se confugerant. Et cùm vrsis ferocissimis obijceretur lacerandus, atque inter illos illæsus versaretur: verecundia regem coepit, nolle ei parcere, cui feræ beluæ pepercissent, ac protinus hominem dimitti iussit. *Gregor. Dialog. lib. 3. c. 11.* *Gerbon. Episcop.*

AD MARINVM Monachum paruulo sub tugurio in solitudine habitantem, aprum aliquando à venatorijs canibus actum, confugisse legimus. Quem ille apud se tamdiu latere permisit, donec ei sine periculo ad sua lustra redeundi facultas affuit. Cui tantæ curæ fuit tutum bestiæ præstare hospitium: quo eum studio vel suscepisse homines, vel suscepturum fuisse putabimus? Certè etiam rationis expers ac syluestre animal humanitatem fidemque illius quodam naturæ præsagio videtur persensisse, cum in tam præsenti periculo sese ei credere, quàm syluas fugæ petere, maluerit. *In vitis PP.* *Marini Monachi.*

NVNC pauca feminarum exempla referantur. Neque enim multis conuenit virorum consortium, ne dum hospitalitas seruatur, periclitetur pudicitia. *Femina.*

MVLIER Sunamitis transeuntem Elisæum legitur tenuisse, & secum panem comedere cõpulisse, tam familiariter, vt deinde nõ pigeret Prophetam ad illam virumque eius frequenter diuertere, eorum consuetudine vti, cum ipsis vnà cibum sumere. Multus hospitis aduentus (putas) restrinxerit studium erga se eorum? Minimè quidem, *Sunamitis.* 4. Reg. 4.

sed ma-

Digitized by Google

sed magis inflammauit, vt etiam cœnaculum illi construerent, in quo veniens requiesceret, & diutius apud se manendi occasionem haberet. Quibus meritis precante Elisæo, & filium genuerunt, cùm antea steriles extitissent, & eundem cùm decessisset, vitæ restitutum receperunt. 4. *Reg.* 4.

Martha. His iungatur Marthæ mira sedulitas: postquam excepit Iesum in domum suam, ministerio intenta, parandique conuiuij solicitudine ardens, nequit facere animo suo satis. *Luc.*10. Proinde Mariam sororem, vti se adiuuet, secumque collaboret, citat. Itaque quali cura quantoque affectu hospes honorandus sit, documento nobis est. Nec ideo nos negligentiores esse debemus, aduenam aliquem suscipientes, quia seruum non dominum suscipimus, cum ipse protestetur ac dicat: Qui susceperit vnum paruulum talem *Matth.*18. in nomine meo, me suscipit. Et iterum: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Nec quenquam moueat, quòd Maria sedens secus pedes Iesv, & verbum illius audiens, optimam partem dicitur elegisse. Non enim propterea hospitalitatem Marthæ improbatam credimus, sed bono melius prælatum, actioni contemplationem. Ad quem tamen non potest peruenire, qui non priùs iustitiæ exercitationibus labem expiauerit delictorum. Vt tunc demum ad considerandā Dei inuisibilia animus attollatur, cùm liberum se esse persenserit onere peccatorum. *Luc.*10.

*Matt.*23.

Ab actione ad contẽplationẽ descendimus.

Duo discipuli. Denique duo illi ex Discipulis in castellum Emaus tendentes, cum Iesu simul eunt, simul fabulantur, & externum ac peregrinum esse putant, donec compulsum secum *Luc.*24. manere, & secum recumbere, in fractione panis agnouerunt eum. Sic igitur hospitalitatis officium ad agnitionem Dei nos adducit, vt quem nunc in ænigmate & per speculum videmus, post hæc facie ad faciem, & sicuti est, videre valeamus. *Luc.*24.

1. *Cor.*13.

Paulus Apostol. Idcirco Paulus Apostolus Hebræis præcipiens ait: Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis. Et Dominus ad discipulos: Qui recipit vos,

*Hebr.*13.

Digitized by Google

pit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetę accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine Discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Matth.18.*

De inani gloria fugienda. CAP. IV.

NVNC, quoniam periculum est, ne pijs operationibus inanis gloriæ surrepat appetitio: de ijs dicendum videtur, qui vt iactantiam vitarent, aut occultari magnificè facta voluerunt, aut eorum laudem alijs non sibi attribuere, ne se existimantes stare, in præcipitium elationis ruerent, & gloriam quærentes hominum, gloriam quæ à Deo est, amitterent.

HVIVSCE rei documenta exhibere nobis volens magister ac Dominus noster Iesus Christus, leprosos mundat, cæcos illuminat, infirmos curat, surdo & muto aurium linguæque officium instaurat, & tamen singulis ne nemini quicquam dicat iniungit. Archisynagogi quoque filiam mortuam suscitaturus, turbam, iuxta cadauer tumultuantem, abscedere præcepit, nec in publico, sed domi vitale operatus est remedium, ne popularem gloriam expetere videretur. Quòd autem multa id genus non ita secretò, sed in conspectu peregerit plurimorum, atque etiam prædicari voluerit non fuit inconstantię volubilitas: (nullum vitium in eo, qui Dei sapientia est, cadere potest) sed piæ dispensationis miseratio, quę diuinæ conuenit bonitati. Non solùm enim illi, qui iam credebant, quomodo ostentationem vitarent, instruendi; sed etiam qui nondum credebant, ad fidem manifestioribus signorum spectaculis conuertendi erant. His dicitur: Si mihi non creditis, operibus credite. Illis: Cauete, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. *IESVS Christum. Matth.5. Marc.5. Luc.8. Ioan.10. Matth.6.*

SIC & Apostoli dominica vestigia secuti, ad confirmationem prædicatæ fidei, in propatulo quidem miracula operabantur: reuelationes autem visionumque mysteria, ni- *Apostoli.*

Digitized by Google

ria, nisi necessariò in vulgus proferenda essent, occultabant.

Paulus. 2. Cor. 12. PAVLVS Apostolus cùm raptus in paradisum, siue in corpore, siue extra corpus, audisset arcana verba, quæ non licet homini loqui, annos XIIII. rem tantam silentio texit, conscientia sua contentus, donec Corinthijs (veritus ne Pseudoapostolos sibi vel sui similibus præferrent, alienati à veritate, quam ab ipso didicerant) eam aperuit, palamque fecit. Sed & hanc gloriandi necessitatem insipientiam vocat. Factus sum insipiens, inquit: vos me coegistis, ego enim à vobis debui commendari. Nihil enim minus feci ab ijs qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum. Quibus sanè verbis testatus est, minimè de se loquendum, nisi cùm incumbit necessitas. Sed & tunc ita temperandum, vt & res dicatur, & euitetur iactatio. 2. *Cor.* 12.

Ioannes Monachus. TALI quidem temperamento vsus Ioannes AEgyptius monachus, cum Spiritu sancto reuelante multis futuri euentus responsa daret, inferebat, non suis meritis eam reuelationem sibi factam, sed illorum qui rogatum aduenerant. Morbo affectos coram se curationis gratia adduci vetuit, quoniam vltro citroque commeantium agmen ostentatione esse potuisset. Oleum eis benedictum mittebat, quo perunctì conualescebant, atque à languoribus liberabantur. *In vitis PP.*

Antonius Abbas. ANTONIVM quoque Abbatem tradunt Martiniano militum Præfecto pro filia, quam nequitiæ spiritus possederat, supplicanti respondisse: Ne suam opẽ poscere, cùm & ipse peccator esset. Sed si in Christo confideret, eidem supplicaret, iuxta fidei meritum gratiam ab ipso impetraturus. Credidit Martinianus, & domum rediens Deum precatus incunctanter, filiam à dæmonio liberauit, vt prædictum ab Antonio fuerat. Pulchrè igitur vnico responso Antonius tria simul expressit bona, humilitatis obseruationem, fidei virtutem, infirmitatis remedium. *Athanas. in vita S. Antonij.*

Moyses Abbas. MOYSES verò Abbas haud dissimulauit, non solùm se laudationem sui non quærere, sed etiam detractione delectari. Si quis enim visendi eius studio aduenisset, rarò adiçus

Digitized by Google

aditus copiam faciebat, tanti se habere, molestissimè ferens. Quamobrem Præfidi quoque prouinciæ spe conueniendi primùm quidem decepto, deinde iterum aduentanti obuiam tandem profectus, cùm interrogaretur, vbinam esset Moyses Abbas (nam fama tantùm ipsi notus erat): Quid tibi, respondit, cum stulto illo ac deliro sene? Denique de semet quasi de alio licentiùs obloquendo, discedere hominem compulit, non mediocriter mirantem, quòd tam diuersa de illo, quem iam secundò quæsitum venerat, sibi audire contigisset. Qui reuersus ab indigenis, eum quidem ipsum Moysen fuisse, à quo eiusmodi responsum accepisset, & magis mirari cœpit, tam gratum illi esse sui contemptum. *In vitis PP.*

Constant. Monachus.

NON minùs se contemni gaudens Constantius Anchaonitanæ Ecclesiæ Monachus, cùm è longinquis partibus quidam (vt ipsum videret) aduenisset, ostensumque despexisset, eò quòd statura admodum breui esset, quasi corporis vitium animi virtuti officere possit: irrisorem suum osculo excepisse dicitur, lætari se affirmans, quòd tandem nactus esset hominem, à quo iure paruipendendus existimaretur. Seruum enim se esse vt habitu pusillum, ita ad ea quæ facto opus erant, ignauum inertemque, ac prorsus inutilem. Nonne satis declarauit, quantum ab humanæ gloriæ concupiscentia procul esset, qui sic exultauit contemptus? *Gregor. Dialog. lib. 1. cap. 5.*

Gregorius PP.

MAGNA quidem hæc Constantij erga calumniantes patientia, sed non minor illa Gregorij Pontificis erga laudantes modestia. Cuidam enim probato viro, ipsum attollenti, respondisse fertur: Deum deprecare, frater, vt his, quæ de me prædicas, dignus efficiar, sicuti & tu dignus es, cuius opinio improbari non debeat; sed plerumque euenit, vt ea, quæ de ijs quos amamus, in medium proferimus, maiora vero sint. Itaque quamuis ista commendatione tua longè inferiorem me esse agnoscam, charitati tamen gratias ago. Huiusmodi responso sapientissimus Pontifex & laudatori satisfecit, & cùm summo honore præditus esset ab humilitate non discessit. *Ioan. Diacon. lib. 4. cap. 62.*

QVAM

Digitized by Google

Apollon. Abbas. QVAM autem arduum & difficile sit, non illici quandoque humanæ laudis affectatione, testis est Apollonius Abbas. Qui cùm annos XL. in deserto solitarius vixisset, iussus voce sibi è cælo delata iam tandem ad frequentem locum pergere, cœnobium construere, discipulos comparare, tam constanter Dominum rogasse dicitur, ne qua se deinde inter homines versantem iactantiæ aura perstringi fineret: vt non aliud olim magis veritus ad eremi latebram confugisse videatur, non ante vitæ finem fortasse inde discessurus, nisi iussio interceßisset diuina, quæ postremò dignum illum iudicauit, vt consuasor & autor fieret salutis multorum. *In vitis PP.*

Idem. HINC eundem haud parum sæpe Monachis præcipere solitum tradunt, ne quis propterea se ante alios esse existimaret, quòd aliquo miraculi ostẽto insignitus esset, quan-
Luc. 10. doquidem & Dominus Discipulos suos non ideo gaudere iusserit, quia dæmonibus imperarent, sed quia in libro vitæ æternæ scripti censiq́ue essent. *In vita Apollonij.*

Idem. ITERVM admonebat, si quam aliquis ex illis vel secretæ visionis, vel spiritalis fruitionis dotem à Deo accepisset, nemini nisi necessitate cõactus proderet. Alioqui si exinde illum præ cęteris æstimationi haberi contigerit, haud facilè vánæ gloriæ vitio cariturum. Eo autem surrepente, gratiam omnem, quam assequutus fuerat, irritam fore, di-
Eccle. 9. cente Scriptura: Qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Deniq; domicilia eorũ ob hoc cellas appellari, quòd in his celarentur quæ occulta esse velint.

NEC mirum, aliquem interdum plausu assentatorum suorum blanditijsque duci: cùm frater Leonardus etiam cogitationũ suarum circumuentus fuisset, nisi maturè, qui eum periculo eriperet, inuenisset. Beatum Franciscum a-
Francis. sello insidentem ipse pedes comitatus mente voluere cœpit, quanto ante illum quondam ierit generis nobilitate potentiaque seculari. Franciscus Spiritu sancto edoctus, vt intellexit gliscentem in præcordijs comitis tumorem, statim desiliens asellum se illi cedere dixit, ipse potiùs pedibus iter facturus, eò quòd obscuriore loco natus esset. Agnouit ille, insolentis cogitatus culpam penè apertè sibi obijci,

Digitized by Google

obijci, & miratus deprehendi potuisse, ad pedes eius suppliciter prouoluitur, seque peccasse confitens, veniam impetrat, cautiùs deinceps humilitatis propositum seruaturus. Aratrum quippe tenens post tergum respexerat, sed magistri opera rursum citò conuersus, aptum se fecit regno Dei. *Bonauent. in vita Francisc. cap.* 11. *Luc. 9.*

IDEM Franciscus cùm se inter homines fama sanctitatis efferri percepisset, ne quam ex eo voluptatem caperet, alteri negotium dedit, vt è contrà probris petulantiaque ipsum incesseret. Et cùm ille rusticanum, idiotam, ignauum, inutilemque eum appellasset, calumnianti gratias agebat, affirmans veriùs de se sentire oblocutores suos, quam laudatores, qui opinione decepti, supra id quòd esset se æstimarent. Itaque quantò ab alijs magis extolleba-tur, tantò se gerebat submissiùs, cauillationibus potiùs, quam commendatione ingenij morumque suorum delectatus. Isaiæ memor dicentis: Populi mei, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. *Ibid. cap. 6.* *Idem.* *Isaia.*

EGIDIVS Athenienſis quoniam miraculis clarere coeperat, iactationis occasionem fugiens, patriam dereliquit, ad eremum se contulit. Et dum apud Veredenium Eremitam in agro Arelatensi habitaret, fabuloso ac sterili solo, ab ipso terræ conditore Deo fœcunditatem precibus impetrauit. Mox inde discedens, vastioris solitudinis latebras petijt, ibi quærens domicilio locum, vbi non facilè mortalium de se rumores audire posset. *Fulbertus Carnotens.* *Egidius.*

IVDOCVS item fama sanctitatis regumque Britanniæ stirpe iuxtà clarus, dum solitarius habitaret, & signorum, quæ fecerat, rumor multos ad visendum eum à diuersis partibus exemisset, videns in tanta se adeuntium frequentia periclitari humilitatem, in vlteriorem deserti angulum sedem transtulit, vt tam ab inanis gloriæ cupidine semotus esset, quàm à consuetudine hominum. *Rodolph. Agric. carmine scripsit eius vitam.* *Iudocus.*

EVLALIVS quoque Monachus criminis olim suspectus, vt innocentiam probaret, iubente Abbate fiscellam, *Eulalius.*

Digitized by Google

quam de palmeis folijs ipse texuerat, igni imposuit, atque vbi à flammis eam lædi non posse animaduersum est, non solùm omni suspitione fuit absolutus, verùm etiam ob miraculum venerationi haberi à fratribus cœptus. Cæterùm se in celebritate esse indignè ferens, procul inde secessit in desertum, maluitque in speluncis cum feris habitare, quàm in monasterio ab hominibus honorari, memor dictum esse à Propheta: Saluabuntur qui fugerint ex eis, & erunt in montibus quasi columbæ conuallium. *In vitis PP.*

Ezech. 7.

Hilarion. SED quid de Hilarione Abbate dicemus? qui iam sexagenarius cernẽs circa se tum monachorũ multitudinem, tum eorum qui sanandi ad eum vndique confluebant, flebat quotidie, & ad seculum redisse se, atque in vita mercedem recepisse, aiebat. Abire cupientem inhibebant. Denique biẽnio in tali animi solicitudine peracto, cum postremò comedere nollet, donec discessum impetraret, & iam dies septem nihil gustasset, ne inedia conficeretur, dimissus reliquit Palæstinam. Præterea gloriam semper fugiendo, dum crebrò sedem mutat, Bethilium, Pelusium, Theubaton, Babylonemque peragrauit, deinde Aphroditon, eremum Antonij, rursum Aphroditon, Alexãdriam, Osam, Brutium, Paretonium, inde Siciliam, & inde Epidaurum, ac post hæc Cyprum. In cuius insulæ vastiore minusq; noto angulo cùm sese abdidisset, diu latere non potuit, miraculis cum vbiq; prodentibus. Quia tamen viribus partim ætate, partim labore exhaustis, inde iam emigrare illi incõmodum erat, ibidem & fugę finis & vitæ fuit. Hunc tantum in ipso honoris contemptum præter cætera extollens Hieronymus: Mirentur, inquit, alij signa quæ fecit, mirentur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem: ego nihil ita stupeo, quàm gloriam illum & honorem calcare potuisse. Concurrebant Episcopi, Presbyteri, Clericorum & Monachorum greges, Matronarum quoq; Christianarum grandis tentatio, & hinc & inde ex vrbibus & agris vulgus ignobile, sed & potentes viri & Iudices, vt benedictum ab eo panẽ vel oleum acciperẽt. At ille nihil aliud quàm solitudinẽ meditabatur. *Hieron. in vita Hilar.*

IN HAC

IN HAC salutarium virtutum parte feminas quoque suæ laude fraudare non decet. Tabita virgo sacra monasterij magni Thebaidis cùm se omni humilitate deiecisset, insanire putabatur. Verùm quia stultum Dei sapientius est hominibus: Sancto Pierio Abbati in eremo degenti reuelatum fuit, illius merita suis esse potiora. Proinde ad visendam eam perrexit, & responsa quæ diuinitus acceperat, palàm fecit: Ex quo ipsa vt vidit se non iam vt stultam contemni, sed potiùs vt sanctam honorari, clàm discedens, monasterium pariter honoremque dereliquit, & in solitudine vitam duxit. *Feminas. Tabita virgo.*

MARIA natione Gallica de vico Niuella Episcopi Leodiensis, ignobilis genere, celebris sanctitate, frequentiam hominum illuc ad se visendam turmatim accurrentium molestè ferens, precata est, ostendi sibi locum sanctæ quieti magis opportunum. Et reuelatione accepta discedens, tridui iter arripuit, nullo labori parcens, vt humilitatem conseruaret. Peruenitque quò volebat ad Ecclesiam sancti Nicolai cognomento Decegnies, & ibidem solitaria consedit. Ferunt sacelli illius fores, cum clausæ obseratæque essent, aduentanti sua sponte protinus patuisse, vt vel hinc intelligas, gloriam humanam fugientibus facilem præberi aditum ad gloriam Angelorum. *Iacob. Vitriac. Cardin.* *Maria Gallica.*

EVPHRAXIA etiam Christo dicata, virgo signis in Thebaide diuinitus factis clara, cùm puerum quendam paralyticum, mulieremque phanaticam sanitati restituisset: ne miraculorum magnitudine insolesceret, laboribus cumulum addidit: crebrius vtens ieiunijs, vigilijs, precationibus, cæterisque corporis exercitijs, nullum otio tempus remittens, ne desidiosa aliquando cogitaret se alicuius momenti esse, cùm nihil æstimari mallet. Igitur tametsi à monasterio non recessit, inuenit tamen quemadmodum abesse posset à gloria. Corpus enim castigando, & in seruitutem redigendo, consentire coegit spiritui, semper humilitatem affectanti. *In vitis PP.* *Euphraxia.*

Digitized by Google

De humilitate appetenda. CAP. V.

PLERIQVE verò non solum à iactantiæ vitio procul abesse studuerunt, sed etiam sic humilitatem sectati sunt, vt penè omnibus seruilibus officijs sese addixerint. Qui nihil detrectantes eorum, quæ vilissima factu putantur, tanto excellentiores in conspectu Dei apparuerunt, quanto inter mortales magis infimi videbantur. Horum nunc exempla percurrere non intempestiuum duco.

Monachi Nitrye. Ioan. 13. MONACHIS Nitrye morem fuisse constat, præter cætera in peregrinos beneficia, pedes eorum lauare, linteolisque abstergere, illum imitari volentibus, qui magister & Dominus, discipulorum pedes lauit: Exemplum, inquiens, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. *In vitis PP.*

Apollon. Abbas. HINC Apollonius Abbas ad se magis, quam ad eos quibus præerat, huiusmodi seruitium pertinere arbitratus, suis ipse manibus hospitum lauabat pedes, Abbatemque se in monendo duntaxat corripiendoque nouerat, præterea omnium minimus erat. *In vitis PP.*

Hor Abb. HOR etiam Abbas eadem erga peregrinos obseruantia, certo tamen ordine vsus dicitur. Primùm cum illis simul suppliciter prouolutus Deum adorare, deinde pedes eorum abluere, postremò ablutis præcepta salutis dare, quasi innuere volens, ijs qui peccatorum sordes pœnitentiæ lauacro mundare cupiunt, necessariam esse pietatem, humilitatem, iustitiam. *In vitis PP.*

Thomas Archiepisc. THOMAS Cantarienſis Archiepiscopus quotidie xiij. pauperes domi conuocabat, sedere iussis genu flexus pedes lauabat, discumbentibus ministrabat, abeuntes cum dono dimittebat, singulos eorum quatuor nummos largitus, ita vt liberalior an humilior fuerit, non facilè discerni queat. Veruntamen serui interdum dedignantur mendicis ministrare, Archiepiscopus etiam pedes lauit. *Herbert. de Hoschan. Sur. Tom. 6.*

Gallicanus Monach⁹. GALLICANVS quoque monachus, quem & consulem, & victorem, & Constantini Augusti generum fuisse dixi-

Digitized by Google

diximus, omnibus pro Christo contemptis, tam ardenter in monasterio serui functus est officio, quàm priùs in castris Imperatoris ac Ducis. Nec magis olim militaris gloriæ auidus fuit, quàm postea humilitatis. Operæpretium erat videre pauperum lauantem pedes, Monachorum manibus aquas dantem, mensas concinnantem, pauimenta verrentem, & reliqua id genus exercentem, paulo antè tot clientium patronum, tot seruorum dominum, tot militum ductorem, quot conuenire potuit principi viro, Cæsaris genero, Romani exercitus Præfecto, sæpe victoria potito, nunquam victo. Tantam status mutationem nequisset efficere fortuna, quantam ille sua sponte suscepit, haud ignarus, multo maiorem certioremque felicitatem esse seruire Christo, quàm dominari mundo. Quoniam (vt Isaias inquit) à sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te, quę præparasti expectantibus te. *Terentian. in Pass. Ioannis & Pauli.* *Isaiæ 64.*

PACOMIVS Abbas fratribus morbo implicitis assedit, non dedignatus ministri operam, vt obsequium præstaret Domino, iubenti ac dicenti: Qui maior est vestrûm, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator. *In vitis PP.* *Pacomius.* *Matt. 20.*

ANTONIVS Abbas non minùs mansueti ingenij, vir Episcopis & Presbyteris solitus est submittere ceruicem, captans ab eis benedictionem. Idcirco benedixit ei Dominus, & custodiuit illum, ostendit ei faciem suam, & misertus est ipsius, conuertit vultum suum ad illum, & dedit ei pacem. *Athanas. in vita eiusdem.* *Antonius Abbas.*

EVNDEM tradunt spiritu raptum vidisse orbem terrarum quaque versum laqueis oppletum, & cùm mirabundus quis illos euadere posset, quæsisset, responsum fuisse, humilitas. Beati igitur humiles, quibus à periculo erutis competere poterit illa Prophetiæ gratiarum actio, dicentis: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Athanas. Ibidem.* *Idem.*

Digitized by Google

inifius bbas.

HINC est quòd Pinifius Abbas (vt liberiùs humilitatis incumbere operibus posset) diuersa perquisiuit loca, in quibus minus notus maneret; ab Aegypto transmigrauit in Thebaidem, & inde ad Palæstinam, semper inter alienos serui fungens officio, donec agnitus cogebatur simul relinquere & locum. Postquam nullibi se diu ignotum futurum vidit, ad suos tandem monachos reuersus, aliam conseruandæ humiliationis rationem inijt, vt quo plus honorabatur, eo magis corpus suum ieiunijs inediaque maceraret. Mallens fame affligi, quàm ambitione deliniri; & de cibis cogitare, quàm de honoris illecebra. *In vitis PP.*

regorius ap 4.

VERVNTAMEN quid Abbates Monachosve tantopere miramur? ipse summus Pontifex Gregorius primus se seruum seruorum Dei appellauit, ac ne dictu id illi, quam factu facilius fuisse putes, aduenienti Ioanni Abbati assurrexit, & prior honoris gratia in terram prouolutus est Pontifex, quam Abbas. Cæteri deinde Maximi Pontifices nomenclaturæ, istius titulum omnes vsurparunt, opus rari. Omnes se Seruos seruorum Dei dici, pauci esse voluerunt. Igitur Gregorij humilitatem approbasse videntur etiam qui imitari neglexerunt. *Ioan. Diacon. lib. 2. cap. 1.*

etrus elonarius.

SED quod ad priuatos attinet, mirabilis in primis humiliatio Petri Tolenarij fuit, qui distractis pro amore Christi facultatibus, à Byzantio Ierosolymam petijt, seruumque se venalitium fecit. Et cùm in aliena domo à conseruis maledictis verberibusque afficeretur, gaudebat in contumelijs, nunquam de iniuria sibi illata conquestus: in tãtum vt de medio calumniatorum suorum nusquam discesserit, nisi cùm Bizantij hospitis indicio cognitum honorare cœpissent. Denique tunc profugit, cùm coleretur vt liber, non cum sperneretur, vt seruus: humilitati studens, à gloriationibus abhorrens, displicere cupiens hominibus, vt Christi seruum exhiberet. *In vit. PP.*

artinus piscopus.

MARTINVS dum adhuc stipendia faceret, nec tamen tàm Cæsari quàm Christo militaret, præter illud celebratissimum pietatis opus, haud minus celebre præstitit humili-

Digitized by Google

militatis exemplum. Vno seruulo contentus, eundem vt fratrem dilexit, vt Dominum coluit, coenanti ministrabat, cubitum eunti calceamenta detrahebat, cæteraque penè omnia mutata cum illo officij vice exercebat, seruus serui factus, vt Christo se seruire probaret, non mundo. Miles erat, necdum baptizatus, sed tantùm catechumenus, & iam perfectionis viam ingressus. Spiritus sancti sententiam sequebatur per Salomonem in Prouerbijs prolatam: Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis. *Seuer. Sulpit. in vita Mart.* *Prou. 16.*

ALEXIVS quoque Euphemiani consularis viri filius, spreta generis nobilitate, Roma decedens, Edessam Syriæ vrbem venit, & inter alienigenas xvij. annos incognitus mendicauit. At postquam vulgatum est, vocem diuinitus allatam, Alexium mendicum in ecclesia recipiendum, videns ibidem miraculum illud honori sibi futurum, Laodiceam est profectus, à Laodicea Tharsum, à Tharso rediit Romam. In paterna domo pro peregrino pauperculo susceptus, alios xvij. durauit annos in summa rerum inopia, statuque miserabili, nec ipsis genitoribus suis sese manifestans, ob hoc solum, ne agnitum honore afficerent. In exitu vitæ & quis & quantus esset apparuit, hoc signis prodigijsque instanter editis, illud chirographo in manu defuncti reperto, ac rei ordinem indicante; tunc scilicet, cùm iam superato vanæ ambitionis periculo, secura humilitas ad cælos properabat, veræ & immortalis gloriæ honore semper fruitura. O beatum & felicem illum, qui sic se humiliat, vt sic exaltetur. *Simon. Metaph. Sur. Tom. 4.* *Alexius.* *Luce 14.*

NVNC ancillarum Christi humilitas referatur. Elizabeth & regis Pannonum filia, & Lantgrauiæ Thuringiæ Principis coniux, Deo gratificari cupiens, non alienum à dignitate sua putauit, mendicum quendam infirmum, obsitum, squalidum, olidum suo recipere sinu, suisque manibus crinem illius pectere, tondere, caput lauare, totum corpus, quantum licuit, à pedore sordibusque vindicare. Multos præterea eiusdem sortis pauperes visitare, benignè consolari, ad patientiam exhortari, cibos porrige-

Digitized by Google

re, potum propinare, modis omnibus opem ferre, & vlceratorum plagas contrectare, regere, linire, circumligare, & si quando fasciæ deficerent, sui capitis velamento obuoluere. Denique defuncto viro Lantgrauio, cùm multorum pauperum capax construxisset habitaculum, semet illis in ministerium dedit. Ibi puerum quendam ventris profluuio laborantem, ipsa in suis vlnis ad exonerandum aluum, etiam noctu consurgens, pluries portauit. Ibidem mulieris leprosæ curam habens, omnia illi libenter præstitit, officioseque ministrauit, quæ ipsa per infirmitatem non poterat. Post hæc non est passa se ab ancillis vocari dominam, sed sororem, & eis aliquò de industria emisis, ipsarum interim munus vsurpabat, vasa lauando, coquinam parando, pauimenta verrendo, vtensilia suis disponendo locis. Cæteraque diligentiùs exequendo, ancillis etiam se magis infimam fecerat. Nunquam tanta mulier ad tantam humilitatem descendisset, nisi priùs ardentissimæ charitatis feruore medullitus incaluisset. Nihil quippe tam paruum aut tam vile est, vt id se ducat indignum, qui perfectè diligit. *Conrad. Minor. Concion.*

Brigida Abbatissa.

BRIGIDA etiam virgo licet Abbatissam gereret, minorem tamen se ijs, quibus præerat, exhibebat. Quasdam in monasterio longo valetudine oppressas, vt saltem squalore leuarentur, lauari iusserat, sed ancillis sororibusque cunctantibus, protinus ipsa accedens lauit, tantumque humilitatis Abbatissæ fuit meritum, vt illæ lotæ è vestigio sanarentur. Tres erant diuersis infirmitatibus laborantes, alia paralytica, alia dæmoniaca, alia verò leprosa. Magnum miraculum fuit, tales languores curasse, sed non minùs mira extitit humilitas, sic affectas lauisse. Equidem opinor, parem virtuti datam fuisse gratiam, vt quæ dignata est lauare, ipsa etiam mederi posset. *Sur. Tom. 4.*

Eugenia.

EVGENIA virgo Philippi Alexandriæ præfecti filia, quoniam parentibus Idolorum culturæ deditis, Christo seruire non poterat, eos reliquit. Et sexu celato, virorum monasterium ingressa, monachi habitum induit, & se Eugenium vocari fecit. Tandem ob animi sapientiam morum-

Digitized by Google

morumque integritatem in Abbatem electa, hoc primum à fratribus exegit, vt quamuis dignitate præstaret, permitterent tamen se interdum officia obire infimorum, ne per otium insolesceret, præsertim in illo præposituræ honore constituta. Impetrata igitur venia, aquam portauit, ligna concidit, pauimenta euerrit, cellulam sibi omnium despectissimam elegit. Denique quo feruore concita parentes fugerat, eodem Primatum inter monachos tenens humilitatem coluit, & tandem martyrij palmam meruit obtinere: vt quæ mundi pompam calcauerat, tyrannorum quoque tormenta superaret, & in cæleſti gloria humilitatis præmium perfectæ patientiæ merces augeret. *Simeon Metaphraſt.*

PAVLAE Romanæ (vt Hieronymus refert) maternum genus à Scipionibus Gracchisque, paternum ab Agamemnone potentissimo quondam Græciæ rege erat. Liberos è Toxotio susceperat, qui ab ipso Aenea Iulioque trahere originem credebatur: postquam autem contemptis omnibus Christo cœpisset seruire, tanta se humilitate deiecit, vt qui eam videret (videre autem propter nominis celebritatem multi gestiebant) ipsam esse non crederet, sed ancillarum vltimam: quamuis enim frequentibus virginũ cingeretur choris, veste tamen, voce, habitu, incessu, minima omnium apparebat. Intellexit profectò sapientissima mulier, hominis nobilitatem non genere, non potentia, sed virtute constare. Inter virtutes autem Christianæ professionis nihil esse præstantius humilitate, nihil fructuosius. *Hieron. in Epitaph. Paulæ.* *Paula.*

De dignitatibus non concupiscendis. CAP. VI.

PROPTEREA quidam sanctissimi viri, cùm seculares tum Ecclesiasticas dignitates aut omnino recusarunt, aut inuiti coactique susceperunt. Sciebant enim, quãtò quis altiùs euectus fuerit, tantò propiùs periculo esse ne cadat: & si ceciderit, grauiorem ruinam fore. Honoris gradum superbiæ irritamentum, & inanis gloriæ materiã esse, nisi ita cautè adeatur, vt is, qui Episcopatum desiderat *1. Tim. 3.*

Digitized by Google

8. Thes. 4. rat(iuxta Apostolum) opus bonum desideret, non honorem, sed labores, non delitias: neque præesse, sed prodesse cupiens, seruum se & ministrum hominem cõstituat, propter Christum.

Marcus Euangel. DIVVS Marcus Euangelista, vt sacerdotio reprobus haberetur, pollicem sibi amputasse dicitur. Veruntamen (vt ait Hieronymus, tãtum consentiens fidei prædestinata potuit electio, vt nec sic in opere verbi perderet, quod priùs meruerat in genere. Cùm enim ex Leuitis esset, vt Alexandriæ Episcopus fieret, eo compelli dignior fuit, quo magis refugit. *Hieron. in Prolog. ante Marcum.*

Isaac Monachus. ISAAC etiam Monachus, cum resciisset, decerni sibi presbyteratum, de Scythia transmigrauit in Aegyptum, vastæ solitudinis secessum quæritans, vt hominum effugeret cõspectũ. Sed qui diuinitus eligebatur, latêre noe potuit. Cũ enim fratres in Aegyptum vsque illum quæsitum profecti essent, & asellus, quem secum habebant, per desertum fugiens ad speluncam ipsius subtitisset, eo insecuti, dum asellum comprehendunt, Monachum quem vix inuenire sperauerant, conspiciunt. Quare læti, gratantesque, simul ipsum vt secum redeant hortantur. Igitur cùm se ille muti animalis indicio deprehensum agnouisset, intellexit Dei voluntatem, & fratrum votis annuens, ad monasterium reuersus, presbyteri officiũ suscepit. Hic mihi probè obseruasse videtur, quod Apostolus ait: Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, inquit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. *In vitis PP.*

Hebr. 5.

Psalm. 2. Ps. 109.

Pastum. Monach. PASTVMIVS quoq; Monachus à Machario Abbate, post vitæ huius labores, ad beatitudinem quietem decedente, in locum suum succedere iussus, & fratrum curã habere, diu renuit ac recusauit, obnixè affirmans, se Abbatis honore indignum, officij ignarum, solicitationum laborũ imparem. Verùm obedientiæ pressus iugo, flens, tandem regendi monasterij munus suscepit. Et quia ex humilitate sibi prorsus diffidebat, à Domino meruit adiuuari, atque ita

Digitized by Google

ita, vt ei per Angelum suum præcepta institutionesq; dirigeret. Quibus ille fratres sibi commissos instruendo, in omni sanctitatis genere facilè reddebat perfectos. O verè igitur beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. *In vitis Pat.* *Psal. 93.*

ODDO item Cluniacensis Cœnobij Monachus à Benone Abbate proximè futurus suffectus, cùm fugam pararet, à fratribus comprehensus, coramque adductus, nō solùm Abbatis compellente iussione, verùm etiam Episcoporum vrgentibus censuris, regimen inuitus accepit. Indignum enim se esse arbitrabatur, qui præesse deberet, cùm se cunctis inferiorem constituisset: sic tamen se gessit, vt multis postea miraculorum signis nobilitatus sit, Deo humilitati eius gratiam conferente. *Ioan. Monach. Sur. Tō. 6.* *Oddo Monachus.*

ATVERÒ quoniam quanto dignitas maior, tanto maius in dignitate positi periculum, Lamon monachus mori præoptauit, quàm Episcopus viuere. Hieropoli electus, nullis suasionibus adduci potuit, vt electioni assentiret. Cumque Theophilus Episcopus forte ex itinere eodē loci diuertisset, atque itidem suaderet: quando iam tantæ autoritatis viro apertè refragrari difficilè erat, diem ad deliberandum impetrauit. Dum autem in solo loco genibus prouolutus, toto eo tempore secretæ precationi intendisset, inuentus est efflasse animam. Hoc ipsum petenti illi diuinitus indultum credi par est. Verenti vtique si Episcopum gereret, quæ Episcopi sunt, præstare non posset: aut si præstitisset, ne vel ex hoc in elationem aliquam mentis incidens, illis iam tandem comparandus euaderet, quibus dicitur: Væ vobis, qui diligitis primas Cathedras in synagogis, & salutationes in foro. *Lamon Monach.* *Matt. 23.*

PAR animi humilitas, vel idē periculi metus fuisse perhibetur sancti Goar Monachi in Gallia. Qui à rege Sigeberto ad Treuirensem Episcopatū vocatus, postquam recusando nihil se proficere videret, triginta dierum manēdi in monasterio moram, quasi res suas expediturus, perijt. Interim in cellula sua se includens, Dominum precatus est: Paratum se ad omnia dura pro illius amore sustinēda, tantum hoc Episcopalis officij onere ne se grauari sineret. *Goar Monachus.*

Mox

Digitized by Google

Mox ergo febri correptus, reliquum vitæ in lectulo æger peregit, ne sanus ad Præsulatum cogeretur, quandoquidē etiam quoduis pati sibi satius putauit. *VVandelbert. Prumiens. Sur. Tom. 4.*

Ammon. Monach.

AMMONIVM, Originis Didymique discipulum, aurē sibi præcidisse ferunt, ne idoneus Episcopali officio haberetur, & cùm nihilominus ad eam dignitatem suscipiendam ab omnibus vrgeretur, etiam linguam sibi se amputaturum, nisi missum facerēt, protestatus est. Tam ergo periculosam rem Episcopatum putauit, vt inde mēbrorum mutilatione se redimere non dubitaret. *Hist. Tripart. l. 8. c. 1. & Pall. ad Hist. 12.*

Thomas Archiepiscopus.

HAC ipsa de re non mediocriter sollicitus Thomas Cantuarienſis Archiepiscopus, vbi primùm dignitatem iniit, continuò inanis gloriæ lasciuientes cogitatus, carnis macerationibus reprimere cœpit, instantiùs orauit, frequentiùs ieiunauit, cilicium induit. Qui sic agit, is planè declarat, non se ad Pontificale fastigium, sed ad multiplicium laborum aceruum ascendere, nec de honoris pōpa sibi blandiri, sed de tentationum ingruentium pugna, iam anxium æstuare. *Sur. Tom. 6.*

Leonardus Monachus.

HINC quidem beatus Leonardus inter aulicos regis Galliarum aliquando primo loco habitus, cùm tandem contempta mundanæ ambitionis luxuria, ad religionem conuersus, Dei seruitio sese addixisset, nec adhuc tamen minoris æstimationis apud regem esset; Episcopatum ab eodem sibi oblatum recusauit. Ac ne deinceps huiusce rei illectatione aliqua tentari capive posset, quandoquidem & in dignitate periclitatur humilitas, & in diuitijs molestia, inde in Aquitaniam discedens, operam prædicationibus dedit. *Iacob. Ianuens. Episc.*

Quidam senex.

IN quanto enim salutis suæ discrimine versentur hi, qui cæteris præsunt, venusto admodum exemplo D. Hieronymus docere aggressus: Senex quidam (inquit) eremi cultor, & Spiritu sancto plenus, nepotem suum quærentem, vtrū Episcopus electus munus accipere deberet: super disco satis altè à terra erecto diu fecit volutari. Cumque ille postremò casum se timere dixisset, iussit vt descenderet, atque

Digitized by Google

que itidem super latam mollioris soli planiciem sese agitaret. Ex multa voluratione sudanti ac defesso: Surge (inquit) & iam facere perge, quod tibi tutius factu putas. Itaque edoctus de præeminentiæ periculo iuuenis, electioni renuntiauit. Aetatis vitio deliraſſe ſenem dicere poſſent improbi cauillatores, niſi rem, ſaluberrimi conſilij plenã, miracula confirmarent. Conſtat enim iuuenem illum poſtea vita defunctum ſeni apparuiſſe, & poſtquam gratias egiſſet, dixiſſe: Scio quia nunc eſſem de numero damnatorum, ſi fuiſſem de numero Epiſcoporũ. *Hieron. Regul. Monac. cap.* 15.

IDIPSVM oppidò formidans Geminianus Mutinenſis clericus, defuncto Antonio Epiſcopo, à populo electus fugit. Dum autem latitaret, & quæri dignus fuit, & inueniri. Qui quia inuitus conſecratus eſt, tantam promeruit gratiam, vt non ſolùm Mutinenſem Eccleſiam optimè gubernarit, ſed etiam miraculorum fama celebris mundo fuerit, Iouiniani Imperatoris filiam à dæmonio liberauit. Attila Italiam vaſtante, ſuos non repugnando incolumes ſeruauit. Ipſo enim orante, hoſtis apertis portis vrbẽ mediam percurrens, eam prorſus inoffenſam intactamq; reliquit. *Sur. Tom. 1. fol. 787. facit huius mentionem.* *Geminianus epiſcopus.*

Gregorius quoque Pontifex, quam grauatim Eccleſiæ gubernandæ ſubierit onus, hæc res indicio eſt. Quòd cùm illud palam repudiare ſibi integrum non eſſet inhibente populo, clandeſtina fuga ab vrbe decedere decreuit, & cũ exitum omnem diligenti ſeptum cuſtodia videret, dolio ſecondi & exportari fecit. Tum proximi montis vaſtam ſolitudinem penetrans, antrum quoddam adijt, ſatis ibi ſe latere ſperans. Cæterùm cùm quereretur, lucida nubes loco incumbens prodidit latentem. Inuentus ergo in ſedem, quam fugerat, redijt, non tam ab hominibus, quàm à Deo miraculo teſtante electus. Vt igitur Deo ſoli obediret, nõ vt ſibi blandiretur, ad tantæ rei gubernacula manum porrexit. At nunc quibus artibus is honos ambitur, quave aditur temeritate, dolendum magis quàm dicendum puto. Sed vt nihil aliud pro vero affirmare auſim, neminem tamen ætas noſtra ex ijs qui eliguntur vidit recuſantem. *Ioã. Diac. lib. 1. cap.* 44. *Gregor. Papa.*

ANTE

Digitized by Google

Cælestinus, PP.

ANTE HAC autem & Q. Cælestinus cùm menses sex rexisset ecclesiam, Pontificatum, quem Caroli regis solicitationibus agitatus acceperat, tam libenter deposuit, quã inuitus gerebat. Hinc primum degenerantis Curiæ signum apparuit, quoniam tãtæ integritatis vir à nemine ne id faceret, interpellatus est, aut cùm fecisset, discessissetque reuocatus, nisi ab eodem (cui ob virtutem charus fuerat) rege: quanquam ille solitariæ vitæ, quam repetebat, captus dulcedine, nullius iam dissuasionibus à proposito moueri potuisset, quoniam nec regis motus est. Id neque improuidè neque inconsultè factum facilè vel vno argumẽto probari potest, quòd magis deinde miraculis claruit, quã tunc Pontificatu, & tandem in numero sanctorum est habitus. Quis adeò mentis impos est, vt proposita sibi optione, nõ malletæius priuati habere conuersationem, quàm aliorũ in dignitate constitutorum honorem? in cellula latentis consolationem, quàm in cathedris sedentium potentiam, opes, delicias, luxum? *Platina.*

Episcopi.

Extant hoc in genere etiam & minorum Pontificum, fortasse non minùs imitatione digna exempla. Qui postquam aliquandiu rectè ac diligenter rexissent populum, alijs gubernaculo substitutis, tranquillæ contemplationis quieti sese dedidere.

Maiorus archiepis.

MAIORVS Britannus Dolensis Archiepiscopus, cùm Budocum in sua collocasset Sede, ipse se ad eremum cõtulit, & solitariam deinceps vitam duxit, tanto factus Deo vicinior, quanto ab vrbanis tumultibus fuit semotior.

Iustus Episcopus.

FECIT idem & Iustus Lugdunensis Episcopus, qui cum in terra positus vitam egisset cælestem, de solitudine deserti ad paradisi celebritatẽ euolauit, tugurioli angustias commutans cum amplitudine cæli. Corpus verò eius ab eremo ad Lugdunum relatum est. Et honore, cui renuntiauerat viuens, non caruit mortuus, exhibitis exequijs pompaque funerali, non tantùm vt Præsuli, sed etiam vt Sancto. *Martyrol. Vsuard. & Sur. Tom. 5.*

Remalchus Episcopus.

REMALCHVS quoq; Traiectensis Episcopus, postquã commissum sibi gregem, tum verbi pabulo, tum vitæ exẽplis

Digitized by Google

plis piè sanctèque annos aliquot nutriuisset, dignitatem officiumque deposuit, & cœnobium ingressus, monachũ se fecit ex Episcopo. Vt enim tutius, ita trãquillius sibi futurum iudicauit, obedire quam imperare, & subiectum esse, quam præeminere. Alterum optare, arrogantis est: alterum, se in omnibus submittentis, est veri serui Christi, qui ministrare venit, non ministrari. *Iacobus Placent. de Episcop. Leodiens. & Sur. Tom. 5.* Matt. 16.

EX HIS iam dictis exemplis, hâc demum summam colligi, atq; hoc concludi, quis ignorat? vt nemo primatum appetat, ne humilitatem amittat; nemo oblatum accipiat, nisi inuitus, vt electus & arrogãtiam euitet, & ab obediẽtia non discedat. Quamdiu liceat, recuset, vltra ne protrahat pertinaciam. Tam enim superbum est, dignitates concupiscere, quam maiorum iussis omnino parere nolle, & diuinæ reluctari voluntati.

De Auaritia vitanda. CAP. VII.

AT verò quia plerique religionis habitum induunt, non vt Christum, sed vt pecuniam lucrentur, quib' dicitur: Non potestis Deo seruire & Mammonæ: eorum auaritiæ Sanctorum continentiam opponamus. Vt qui piè in Domino viuere volent, omni cupiditate deposita, iam hinc discant: Quod gratis accoperint, gratis dare. *Matth. 6.* *Matth. 10.*

ELISAEVS Propheta cùm Naaman Syrum à lepra curasset, nullis precibus moueri potuit, vt dona acciperet. At Gihezi minister eius cupiditatis stimulo percit', cucurrit post Naamã, quasi à magistro missus, mendaciique procacitate impudenter vsus, argentum & vestes ab eo accepit: propterea & lepra, qua Naaman fuerat liberatus, adhæsit illi & semini eius vsque in sempiternum, vt saltem sic punitus discat, charitatem erga proximum gratuitam esse debere, non mercenariam. *4. Reg. 5.* *Elisæus Propheta.* *4. Reg. 5.*

NAM & de Samuele Propheta in Ecclesiastico scriptũ legimus, quòd pecunias & vsque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusauit illũ homo. Hoc quidẽ, post multas eius inibi enumeratas laudes, ideo fortasse in fine quasi in vestibulo collocatur, vt scias, donorum cõtem-

Samuel Propheta. *Eccli. 46.*

temnendorum curam non solùm virtutem esse, sed etiam virtutum seruatricem atque custodem. Quæ si abscesserit, cupiditati linquens aditum, irruente vitio dissipabitur virtutum cœtus. Conturbat quippe domum suam (vt Salomon in Prouerbijs ait) qui sectatur auaritiam: qui autem odit munera, viuet. *Eccl.* 46.

Prou. 15.

Daniel Propheta.

Daniel 5.

HINC etiã Daniel oraculi diuinitus in pariete descripti mysterium expositurus regi, dona dignitatemque pollicenti, ait: Munera tua sint tibi, & dona domus tuę alteri da. Scripturam autem legam tibi Rex, & interpretationẽ eius ostendam tibi. Quod verò deinde legitur, eum mox purpura fuisse indutum, torque aurea circundatum, potestate præditum: argumento est, licere aliquando peracto opere oblata recipere, non tamen ex pacto, sed ex donantis liberalitate, neque ad luxuriam, sed ad necessitatem. Considerandum autem, sic etiam acceptum munus quantę patuit inuidiæ: Nonne tantæ, vt aceptorem suum leonib⁹ obiecerit laniandum? nisi quòd mitior tunc sylue strium beluarum extitit feritas, quàm semper malesuadus flagitiosorum hominũ liuor. Nec mirum, si Deo volente protectus est; qui vt suos protegeret, honorem munusq; admisit, non vt sibi indulgeret. *Daniel.* 5.

In Clericos auaros.

SED si hi, qui adhuc sub legis vmbra versabantur, venalitati sese exponere in excipiendis diuinis nefas esse ducebant: quanto eos continentiores esse par est, quos iá chorusçante Euangelio in lucem eductos, omnium virtutum decet consummata perfectio? Proponantur nunc igitur Christi Apostoli, vt magis confundantur, qui ne veterum quidem Sanctorum parsimoniam imitari studeant, luxuriæ potius cupiditatibusq; dediti, nomen atque professionem Clericorum habentes, non vitam. Quos per Malachiam arguit Dominus, dicens: Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituũ, & munus nõ susçipiam de manu vestra. Sed iam audiant, quàm moribus eorum diuersa gesserint illi, quorũ sectæ se esse autumãt.

Malac. 1.

Petrus & Ioannes

PETRVS & Ioannes missi in Samariam, baptizatis imponebant manus, & accipiebant Spiritum sanctũ. Tunc Simon

Digitized by Google

mon Magus & ipse baptizatus, sed magis ad auaritiam quã ad fidem corde conuerso, pecuniam Apostolis offerre cœpit, ab eis perens, vt simili euentu, quibus ipse manum imposui sset, Spiritum sanctum acciperent: haud parum lucri se facturum ratus, si hanc potestatem assequi potuisset. Adeò quippe mentem animumque eius excæcauerat malitia, vt nesciret Sacramenta Dei, & venale putaret, quod nec vendi nec emi potest. Ideoque meruit audire: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Apostoli ergo non modò præmiũ non acceperunt, verùm etiam offerentis nequitiam acerba execratione prosecuti sunt. *Actor.* 8. *Apostoli. Actor. 8.*

BARTHOLOMAEVS quoque Apostolus Polemo Indiæ rege offerente sibi camelos argento auroque oneratos, eò quòd filiam eius ab immundo spiritu liberam reddidisset, nihil prorsus accipere voluit, sibi his nequaquam opus esse dicens, neque ob hoc se venisse vt munera acciperet, sed vt in Christum credentibus viam adipiscendæ salutis monstraret. Hæc res profectò non minus, quàm miraculum sanatæ filiæ impulit regem, vt Baptisma susciperet, & postremò relicto regno, discipulus Apostoli fieret, qui fuerat Indiæ dominus. *Abdias in vita eius.* *Bartholomæus Apostolus.*

IVDAS etiam Thaddæus cùm Abagarum gentis vltra Euphratem positæ regem, graui valetudine laborantem, solo tactu sanitati restituisset, magnam vim argenti atque auri pro eo sibi oblatam constanter recusauit. Si nostra, inquit, dereliquimus, quomodo accipiemus aliena? Itaque tantùm diuitiarum contemptum, in tam paupere viro rex admiratus, non ita cupidè paulò ante expediuerat sanitatem, vt tunc Christi susceperit fidem. Neque enim dubitauit, veritatem ab eo sincerè prædicari, à quo aberat captatio lucri. *Abdias in vit. Apost.*

PARI animi magnitudine præditus Cyriacus Martyr, cuius glorioſus exitus VI. Idus Augusti nobis celebris habetur, à Roma ad Persas vsque ab Sapore eorum rege euocatus, cùm filiam illius Iobiã à dæmoniaca vexatione vindicasset, dona quibus vel longi itineris labor compensari potuisset, oblata repudiauit. Neq; enim pro terreno pre- *Cyriacus martyr.*

Digitized by Google

mio peregrinationem illam susceperat, sed pro cœlesti. Itaque qui mortalis regis gazam contempsit, ab immortali Domino martyrio coronatus, æternam adeptus est beatitudinem. *Sur. Tom. 1. pag. 363.*

Cosmas & Damianus.

COSMAS & Damianus germani fratres, medendi arte clari, sed pietatis officio clariores, gratuitò curationem exercebant. Et cùm Damianus, Palladia matrona morbo liberata, munusculi aliquid ab ea precibus pulsatus, ac penè coactus accepisset, adeò id ægrè Cosmas tulit, vt mandasse dicatur, ne eodem tumulo cũ fratre componeretur, quandocunque ipsis vita defungi contigisset: nihil tam iniquum existimans, quàm pro labore, qui propter Deum susceptus fuerat, ab homine mercedem quærere. *Sur. Tõ. 5.*

Leonardus.

EADEM animi constantia Leonardus sancti Remigij discipulus, quoniam Gallorum regis coniugem difficili partu laborantem, medicis iam desperantibus, ipse diuina virtute à periculo liberarat, regi amplissima dona offerẽti, haud quaquam se ijs indigere respondit: proinde neque accipere velle, nihil cuiquam defuturum asserens, quicquid habere necessarium fuerit, qui omnium opifici libẽter seruierit. Cùm ipsa veritas dicat: Quærite primũ regnum Dei. & hæc omnia apponentur vobis. *Iacob. Ianuẽs.*

Matth. 6.

Hilarion Abbas.

HILARION Abbas, vt in cæteris omnibus, ita hac quoque in parte circumspectus, Orioni, à quo legionem dæmonum Christi virtute propulerat, dona immodica secũ allata porrigenti: nonne legisti, ait, quid Giheti, quid Simon passi sint? quorum alter accepit pretium, alter obtulit, vt ille venderet gratiam Spiritus sancti, hic mercaretur. Cumque Orion flens diceret: Accipe, & da pauperibus, respondit: Tu melius potes tua distribuere, qui per vrbes ambulas, & nosti pauperes: ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam? Multis nomen pauperum occasio auaritiæ est, misericordia verò artem non habet. Nemo melius erogat, quàm qui sibi nihil reseruat. Tristi autem & in terra iacenti, noli (inquit) contristari fili: quod facio, pro me & pro te facio. Si enim hæc accepero, & ego offendam Deũ, & ad te legio reuertetur. *Hieron. in vita eiusdem. cap. 6.*

Idem.

IDEM candidato cuidam Constantini Imperatoris, quẽ

Digitized by Google

ltidem nequitię ſpiritu vexatum ſanum fecerat, decem auri libras dono offerenti, hordeaceum porrexit panem, dicens: quod qui tali cibo aluntur, non pluris aurum æſtiment, quam lutum. *Ibidem cap. 8.*

IN Sicilia etiam quidam de primoribus viris morbo atque intercutis, ea ipſa die, qua ad eum venerat, curatus: cũ poſtea eidem offerret plurima munera, audiuit dictum Saluatoris ad diſcipulos: Gratis accepiſtis, gratis date. *Cap. 14.* *Idem.* *Matt. 10.*

EVGENIA virgo (ne feminarum etiam in refutandis muneribus conſtantiam ſileamus) dum ſub perſona Abbatis, ſexu diſſimulato, virorum præeſſet collegio, Melaniã Alexandriæ nobilem matronam, quadam deſperatiſſima corporis ægritudine affectam, Deum precata, & repentè & efficaciter curauit. Et cùm pro tali beneficio ingentia ſibi offerrẽtur dona, nihil accepit, ſe Chriſti paupertatem præferre diuitijs dicens, & pro eius amore ea, quæ cum ſeculo tranſeunt, contemnendo, ad illas, vbi ipſe eſt, nunquam deficientes delitias anhelare: quæ quidem vitæ huius incommodis, non opibus comparantur. Et certè fieri non potuit, vt quæ ſeipſam abnegauerat, ita vt etiam inter viros viuens mulierem ſe neſciret, quicquam præter Chriſtum concupiſceret. *Simeon Metaph. Sur. Tom. 6.* *Feminæ Eugenia.*

LVCRI autem pecuniarumque deteſtandam cupidinẽ, in ijs qui ſacris initiati ſunt, ſi fortè Gihezi ſuperius à nobis propoſitum exemplum non ſatis deterret, tanquam vetuſtate iam obliteratum, audiant recentiora. Cyrillus Heroſolymitanus Epiſcopus, poſt D. Hieronymi in Domino dormitionem, ad Auguſtinum ſcribens tradit, fuiſſe monaſterium quoddam in Thebaidis partibus ducentarum ferè feminarum, ſanctarum vtique, ſi non auaritiæ fœditate ſanctitatis decorem polluiſſent. Conſuetudo peſſima apud illas inoleuerat, nullam in Collegium admittendi, quæ certum pecuniæ numerum non afferret. Cuidam ex ijs, cuius Deo deuotus animus à tã prophana negotiatione abhorrebat, apparuit in ſõnis Hierõ. iubẽs vti cæteris pergeret nuntiare, niſi actarum pœnitẽtes ab ea exactione deſiterint, vltionem à Deo paratam iam ipſarũ capitib⁹ im- *De auaritia quarũdam Monialium.* *Aduertãt hæc diligẽter moderni monaſt. Rectores:*

Digitized by Google

minere. Cumque hæc in conuentu omnium narrata fuissent, ridiculo excepta sunt, existimantibus deliramentum esse mulierculæ aniliter desipientis, nec vera (vt erant) referentis. Altera deinceps & item tertia nocte eadem visa rursum coràm replicantem, iam odio habitam probris agitantes eiecêre: Deo pro illa disponente, ne scilicet Loth cum Sodomis disperiret, iustus cum impijs. Vix etenim mulier septa monasterij egressa fuerat, cùm monasterium ipsum terribili fragore funditus concussum reliquas oppressit ruina, vt ex tanto numero, ne vna quidem saltem extremum in mortem anhelitum ducens, post casum illũ sit inuenta. Itaque contusis miserabiliter artubus vnà omnes tam paruo temporis momento extinctæ, tunc demum auaritiæ, cùm vitæ finem fecêre. *Epist. 206. inter Epist. Aug. cap. 8.*

In auaritiam. QVIS hæc audiens non contremisceret? quis prauum animi propositum in melius non commutaret? Scio tamen & vehementer doleo, esse quosdam, qui etiam multa alia legentes, nihilo segniùs insistere cœpto sceleri pergunt, spinis concupiscentiæ præfocantibus sementem verbi. De *Ierem. 6.* quibus Ieremias clamat, dicens: Ecce circumcisæ aures eorum, & audire non possunt: ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud. A minore quippe vsque ad maiorem omnes auaritiæ student, & à *Sapie. 15.* Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Cui ita, nisi qeia (vt Philo ait) existimauerunt lusum esse vitam nostram, & conuersationem vitæ compositam ad *Osee 8.* lucrum, & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere? Aurum enim suum (sicut Osee testatur) & argẽtum sui *Coloss. 3.* fecerunt sibi idola, vt interirent. Auaritia namque (si Apostolo credimus) simulachrorum seruitus est, radixque malorum omnium cupiditas. Propterea quidem & Dominus *Exod. 23.* in Exodo præcipit, dicens: Non accipies munera, quæ excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. Idem in *Lucæ 12.* Euangelio: Videte, inquit, & cauete ab omni auaritia, quia nõ in abundantia cuiusquam vita eius est ex ijs quæ possi- *Eccli. 31.* det. In Ecclesiastico quoque legimus: Qui aurum diligit, non iustificabitur: lignum offensionis est aurum. Væ illis

Digitized by Google

lis, qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo. Deperierunt nempe in illo Achan anathematis reus, Ioel & Abias peruertentes iudicium, Saul victis Amalechitis, mandati Dei præuaricator, Achab cum Iezabele, Nabaoth Iezrahelitæ interfector, & vineæ eius cruentus occupator. Deperijt in illo & Iudas, Domini venditor, & Ananias cum Saphira pretij, quod vouerant, maligne interuersor. Quid multa? non homines solùm, sed vrbes etiã & regna auri sacra fames hausit atq; consũpsit. At nos egredi cupientes de Babylone, fugere de Chaldæis. i. de consortio eorum, qui satiari diuitijs nequeunt, simul cũ Psalmista nostro clamemus ad Dominum: Domine, inclina cor nostrũ in testimonia tua, & nõ in auaritiã: vt, sicut Isaias dixit: Proijcientes illam, & manus nostras excutientes ab omni munere, in excelsis habitem tecũ. Beati. n. qui habitãt in domo tua, Domine: in secula seculorũ laudabũt te. *Iosue 7. 2. Reg. 8. 1. Reg. 15. 3. Reg. 21. Matt. 27. Actor. 5. Psal. 118. Isaiæ 33.*

De Paupertate seruanda. CAP. VIII.

DIXIMVS qua constantia Sancti, ne Deum offenderent, munera recusarunt: Nunc quali patientia (vt illi placerent) paupertatem coluerint, pertractemus. Hinc altera diræ cupiditati inuratur nota, dum monstratur, quàm hi, qui hominibus benefacientes, hominum mercedem respuerunt, paruo modicoque contenti vitam sustentarint.

PETRVS, Andreas, Iacobus, Ioannes, piscatu sibi victũ quærebant, relictis retibus & naui, secuti sunt Christum, & dixerunt: Ecce, dimisimus omnia, & secuti sumus te. Cõstat igitur eos & ante Apostolatũ fuisse pauperes, & in Apostolatu pauperiores. Eisdẽ insuper præcipitur, ne quid auri, ne quid argẽti possideant, nõ pecuniã in zonis, nõ peram in via, nõ duas tunicas, non calceamenta, non virgã habeant. Quid hac vita tenuius? quid hoc angustius statu? Veruntamen quibus rerum copia interdicitur, ijs nosse mysterium Dei datur, ijs curandi, ligandi, soluendi potestas conceditur, & vt dæmonijs imperent, hominibus euangelizent, Angelis exæquemur, cum Christo regnent, impar- *Apostoli. Matt. 19. Matt. 10.*

Digitized by Google

Luc. 1. titur. Verè ergo Dominus esurientes impleuit bonis, & divites dimisit inanes, quos eligere contempsit.

Apostoli. QVOD de ijs dicimus, idem de reliquis Apostolis dicendum, quandoquidem eadem lex omnibus pariter dicta sit, & omnes dominicis mandatis æquè obnoxij fuerint, neq; alicui plus alio quicquam habere possidereve, aut aliquo frui, vtive licuerit. Vnde etiam interrogat illos Dominus, Luc. 22. dicens: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Et respondêt, nihil. Vt ex hoc etiam intelligas, quantumuis inopi homini nihil vnquam defuturum, cui affuerit Christus.

Abraam Eremita. QVID enim defuit Abraæ illi Aegyptio, vasta in solitudine, clausa etiam cellula, demoranti, cui nihil omnino supellectilis erat præter catinum vestemque cilicinam, & rusticum sagum. Sic vsque ad quinquagesimum ætatis suæ annum (qui vitæ vltimus fuit) dicitur perdurasse, ita vt nihil vnquà amplius concupijsser. Bona enim, & ea non modica, in quibus hæreditario absens successerat, egenis dedi largiri mandauit, ne obolum quidem passus ex his ad se deferri. In summa igitur inopia tam diues fuit, vt nihil appeteret: in summis opibus tam largus, vt omnia donaret, semper diuitijs præferens paupertatem. *Effren. in vit. Patrum.*

Menas Eremita. MENAE quoque Samnitũ prouinciæ Solitario (vt Gregorius tradit) paucula tantum apum aluearia victum suppeditabant. Eo accedens quidam Longobardus latro, fruſtraque ne aliena raperet monitus, sacrilegas apibus intulit manus. Sed sicut Isaias ait: Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? Continuò sceleris vltor Deus, raptorem tradidit Satanæ, vexarique permisit. Indoluit autem Menas inimici casum. Sciebat enim & inimicos diligere, vt obediret Christo. Indoluit ergo, ita vt vellet necapes habuisse. Et cùm decretum ei fuisset, nihil in vita possidere, nihil quærere: proximi vici beneficio sustentatus est, in diem panem afferẽtibus, quos ille præceptis imbuebat salutis. *Greg. Dialog. lib. 3. cap. 26.*

Isaiæ 33.

Idem. NARRATVR & aliud de illo miraculum, quo facilè cognoscas, pauperis virtutum diuitum potentiæ anteferẽdam,

dam. Sepe enim syluestres vrsos ferula, qua gradus ambulando firmabat, à suis aluearijs dicitur abegisse. Et qui frequenter venatorum tela cõtempserant, ferulæ ictũ imbelli senis manu molliter vibratæ pertimescebant. Proh facinus indignum, pauperem beluæ fugiunt, & lædere formidant: hominis auaritia quod inuideret inuenit, & quod inuiderat rapuisset, nisi in operibus manuum suarum cõprehensus peccator priùs pœnas dedisset, quàm cœptum peregisset scelus. Non est autem passus Dominus eam paupertatem ludibrio esse malis, qua boni mercantur sibi diuitias regni cœlorum. *Ibidem.* *Psal 9.*

EADEM sanè benignitate Hilarionem quoque Abbatẽ à latronum iniuria tutatus est. Hunc adolescentulum in solitudine habitantem, tota nocte quæritantes inuenire nequiuerunt, cùm nec locus illis ignotus esset, grassationibus eorum frequens, nec hominis nuper illuc appulsi sedes. Vt autem illuxit, inuentum de improuiso circumstetere, & mirati, quòd intrepidus expectaret rei euentum: Quid tu hîc, inquiunt, adolescens, si te adorirentur latrones? Nudus latrones non timet, respondit: At si vitæ aiunt præsens intentaretur periculum? Nec id quidem timet, inquit, qui paratus est mori. Tunc illi stupentes tantam in tam tenera ætate constantiam atque in Deum fidem, pariterque noctis errorem reuoluentes, extemplo animos demittunt, propositum mutant, crimen confitentur: & quem vel terrere vel spoliare venerant, eidem veniam poscẽtes supplicant, & impetrata, reuerenter discedunt. *Hieron. in vita Hilarion. cap. 4.* *Hilarion.*

IDEM sanctus ad Siciliam nauigio applicãs cum discipulo suo Gazano, nec aliud habens quod pro mercede vectori daret, Euangelium manu sua olim exaratũ cœpit offerre. Sed qui accipere rogabatur, cùm nihil eos habere cerneret præter codicem illum, & ea quibus tecti erãt, oblatum recusauit, neque deinde quicquam exigere voluit, & inopiam eorum miseratus, omni debito solutos dimisit. O & periculorum victrix paupertas, & libera pensionum, inter rapacissimos latrones securitatem, inter mercenarios nautas inuenisti tibi remissionem. Hi operam *Idem.*

Digitized by Google

gratis præstiterunt: illi terrere non potuerunt, offendere noluerunt. Cui vnquam locupletum hoc contigisset, qui quocunque sese verteriut, neque inuidia, neque insidijs carere possunt. Et dum omnia metuunt, quantum diuitijs, tãtum animi solicitudinibus abundant. *Ibid. cap.* 14.

Idem. AT VERÒ Hilarioni pauperculo tametsi penè nihil esset, cùm tamen nihil appeteret, nihil deerat. In secretiori Siciliæ angulo manens, succisiuis temporibus ligna colligebat, vt venditis vitam sustentaret, ac demum mereretur audire: Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit. Detestabatur autem monachos, qui infidèlitatem quandam præ se ferre videbantur, victui prouidentes in futurum, & curam habentes sumptuum, aut indumentorum, aut cæterarum huiusmodi rerum, quæ nõ magni momenti sunt: quasi quicquam ex his deesse possit Deo seruientibus, cùm nequam seculo seruientibus non desit. *Ibidem.*

Psal 127.

Idem. QVENDAM ergo de fratribus cùm percepisset hortuli fructus intentiùs custodire, & habere aliquantulum nummorum, à consuetudine sua submouit ac repulit. Ille in gratiam reduci cupiens, ciceris virentes scapos dono fratribus misit, quos mensæ appositos solus Hilarion grauiter olere persensit, & in cicere fœtere mittentis auaritiã dixit, statimque totum proijci iussit, ne mutos quidem greges tam fœtidam frugem comesturos clamitans, & fidẽ fecit euentus. Fasciculo enim illo ante boues in præsepiũ proiecto, non modò gustare noluerunt, sed immugientes atque auersi perfractis stabuli repagulis diffugerunt, præcipitatiore impetu proruendo, quàm si stimulis verberibusque agitarentur. Hinc patet, neutiquam esse communicandum, neque eum ijs, qui sua cupidè seruant, neque qui aliena turpiter appetunt, & cupiditatem, tanquam malum virus omnibus quidem, sed præcipuè Christi seruis, vitandam fugiendamque. *Cap.* 11.

Idem. QVANTVM autem illam cauerit idem ipse omnis sãctitatis exemplum Hilarion, cùm ex his quæ diximus perspicuum sit, tum ex epistola, quam, spiritum Domino redditurus iam octogenarius, ad Hesichium discipulũ suum scri-

Digitized by Google

ſcripſiſſe fertur. Diuitiarum, inquit, mearum hæres eſto. Hæ autem ſunt, Euangelium, tunica ſaccea, cuculla, & palliolum. Qui tantam tenuitatem diuitias ſuas vocat, ſatis declarat, quàm à diuitiarum cupiditate ſemper fuerit alienus. *Cap.* 17.

PORRÒ Alexius nobilis Romanus clam patre Euphemiano in Syriam abiens, in tantum adamauit paupertatem, vt gauderet ſe à ſeruis patris, qui ad quærendum eum miſſi fuerant, & non agnitum fuiſſe, vt eleemoſyna donatum. Ex his quæ emendicabat in diem viuens, quicquid ſibi ſupererat, alijs impertiebat, nihil ſolicitus in craſtinum. Tali vitæ tenore cùm xvij. annos in Syria peregiſſet, Romam redijt, & maioris etiam in paupertate conſtantiæ exemplum domi, quàm foris, dedit. In paternis enim ædibus pro mendico ſuſceptus, nec vlli cognitus, nec ipſe ſe prodens, totidem peregit annos. Mortuus poſtremò indicauit, quod viuens celauerat, relicto breui chirographo, quo quis eſſet, quidve egiſſet, deſcriptum continebatur, vt tunc demum ſe manifeſtum faciendo, cùm pro temporali inopia diuitias eſſet recepturus ſempiternas, & patri adhuc orbitatem ſuam lugenti, cauſam præberet conſolationis, & nobis materiam imitationis. *Simeon. Metaph. Sur. Tom.* 4. *Alexius.*

PARI paupertatis voto ardens Minorum Pater Franciſcus, & neſcio an etiam magis in propoſito firmus; quandoquidem neque perſecutionibus auerti potuit, quin nudus nudum Chriſtum ſequeretur: Iam primùm Romam profectus, cùm pauperculo cuidam occurriſſet, ſuas cum illius veſtibus permutauit. Quibus indutus, mendicantium turbæ ſe coniunxit, & cum ipſis die illo conſedit, cum ipſis manducauit, ipſis ſeſe exæquari concupiuit. Iam tum tacitus glòriari videbatur, ac ſi diceret: Ego mendicus ſum & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei. *Bonauent. in vita eius, cap.* 1. *Franciſcus.* *Pſal.* 39.

CVM autem haberet fortaſſe non parum pecuniarum, vt qui ante hac mercaturæ operam dederat, & egenis diſtribueret, idque percrebuiſſet, à patre, cuius pietatem in furorem verterat auaritia, manum ſibi inijci, iniuriam-

Digitized by Google

que irrogari æquanimiter tulit, atque eidem quicquid sibi reliquum vel pecuniæ vel tegumenti fuit, tam lubenter cessit, quàm auidè petebatur. Simulque abdicationem impetrata, & nudus & lætus abijt: nec minus lætus, quàm olim Ioseph, cum de manu adulteræ dominæ relicto euasit pallio. Nec minus nudus, quam adolescens ille, qui reiecta syndone, Pharisaicas effugit manus. Nuditatis pudorem libertatis gaudium superabat, in illam forsan erumpens vocem: Diripuisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. *Ibidem.*

Genes. 39.
Marc. 24.
Psal. 115.

EXINDE vili tunica contentus, detectisque incedens vestigijs, verbum Dei disseminare cœpit, sanctorum Apostolorum vitam aggressus effingere, sicuti nuditate, ita & prædicandi cura.

VICTV quàm tenuissimo vtebatur, & tamen vinci se dolebat, si quis ipso pauperior apparuisset: paupertatem dominam suam vocabat, se non modò pauperem constituens, sed etiam pauperum seruum.

DVM cum fratribus posita mensa recumberet, super mensarium lectorem de virginis puerperæ in Bethlehem hospitantis angustia mentionem feciſſe audiuit, & continuò consurgens, humi resedit, atque ait: Nunquid ego peccator, ego nequam, & inutilis seruus, ad mensam sedere debeo: cum Dei genetrici in diuersorio locus non fuerit, cùm mundi opifex ac Dominus natus sit in stabulo, reclinatus in præsepio? sic dicens, panem suam prouolutus in terra cum gemitu comedit.

DENIQVE quemadmodum ipse seruandæ paupertatis inprimis maximeque studiosus erat, haud aliter etiam fratres suos instituendos curauit, iussos proprij habere nihil, possidere nihil, & quo se submissiùs gerant, victum mendicando quærere.

INHIENT nunc struendis facultatibus mortales, & totis viribus congregare nitantur diuitias: nisi plus gloriæ Francisco sua compararit inopia, quàm vlli vnquam regum suum regnum, nisi eius nomen etiam regibus ipsis honori habeatur, & hominibus pariter & Angelis celebre sit.

Vos

Digitized by Google

VOS verò Ecclesiæ Antistites, qui villici personam induistis, dicentis: Fodere non valemus, mendicare erubescimus: Villici saltem & exemplo facite vobis amicos de mammona iniquitatis, fideliter dispensantes quæ vobis commissa sunt, alioqui audituri: Si in alieno infideles fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Bona, quæ habet Ecclesia, pauperum sunt: bona verò Sacerdotis, vita æterna. Qui ergo ea, quæ pauperibus debentur, in suos conuerterit vsus; vitam æternam, quæ sibi propria erat, amittet. Et cùm nec illa secum ferre poterit, quoniam velit nolit relinquenda sunt: nonne egere incipiet? nonne qui dudum mendicare erubescebat, iam etiam illis, qui mendicauerunt, inuidebit? & more diuitis purpurati nequaquam verecundabitur opem poscere ab ijs, quibus, cùm deberet, dare neglexit. Tormenta patietur, & nemo miserebitur, sed dicetur ei: Memento quia recepisti bona in vita tua, mendicantes autem mala. Tu nunc cruciaris, illi consolantur.

In opulentiam & luxũ clericorum.

Lucæ 16.

Ibidem.

IGITVR quisquis Ecclesiastici dispensatoris curam gerit, si metu supplicij liber, & spe præmij securus esse desiderat, agnoscat se pauperis Domini seruum, & paupertatem quam ille coluit, & ipse colat. Pontificali dignitate fulges, non est cur Christi vitam imitari non debeas, qui Christi in terra vicem tenes. Non est, inquit, discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius: & seruo, sicut dominus eius. Attende itaque cuius magistri discipulus es, cuius domini seruus: nempe illius, quem etiam Prophetæ non nisi pauperem venturum prædixerunt, vt est illud Zachariæ, dicentis: Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem. Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Tam autem pauper, tam inops, tam egenus, vt (sicut Euangelicæ veritatis testatur authoritas) non habuerit vbi reclinaret caput suum, non vnde pro se & Apostolo didragmam solueret. Alieno vsus est hospitio, alienis impensis sustentatus, aliena syndone inuolutus, alieno conditus sepulchro: deniq; suum habuit nihil, cuius sunt omnia. Quæ-

Episcopi etiam colant paupertatem.

Lucæ 6.

Zach. 9.

Lucæ 9.

Digitized by Google

nia. Quæris quare tam pauper vixerit in terra, qui tam dives est in cælo? Quare nisi vt discas terrena contemnere, & amare cælestia? Hæc apprehendi non possunt, nisi illa relinquantur. Hinc ipse ait: Vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me. Qui ergo pauper non fuerit, Christum sequi non poterit.

Matth.12. Marc.10. Luc.18.

Apostoli.

PRIMI quidem illum secuti sunt Apostoli, qui & ipsi quàm pauperes fuerint, in principio Capitis huius diximus: Euangelicæ historiæ sequentes fidem. Id si parum est, age modò, citentur etiam Prophetarum vaticinia, vt vtriusque Scripturæ collatis testimonijs, nullus ambiguitati relinquatur locus. Isaias Propheta: Conculcabit, inquit, eam (hoc est Ierusalem) pes pauperis, gressus egenorum. Rursus idem: Pauperes homines in sancto Israel exultabunt. Sanctificabunt S. Iacob, & Deum Israel prædicabunt. Item Ieremias: Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos. Sophonias quoque ait: Derelinquam in medio tuo populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine Domini, dicit Dominus. Quæ quidem omnia de ipsis Domini Apostolis fuisse significata, expositorum nostrûm assertio consentit. Igitur si ecclesiæ Christianæ fundatores atque ædificatores iam ab initio pauperes & egeni à Deo optimo Maximo electi sunt, quid est quod te pudeat pigiatve, pauperum esse, qui operi illorum præpositus es, minister & custos?

Isaiæ 26. Ibidē 29. Ierem.16. Sophon.3.

Paulus Apostolus 1.Tim.6.

RESPICIENDVM est, & quid vas electionis Paulus ea de re decernat, diligenter attendendum. Habentes, inquit, alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.

IDCIRCO sanctissimi viri habentes tantùm, sine quibus hîc viui non potest, nihil præterea quæsierunt, & illi (quibus res erat) eis, quibus non erat, erogabant. Multa id genus exempla possumus, cùm de eleemosynis tractaremus, & nunc repetere superuacaneum est. Ioannes tamen

Ioannes Patriarc.

Alexan-

Digitized by Google

Alexandrinus Patriarcha (à quo pauperes dominos diximus appellatos) non est silentio prætermittendus. Cùm enim ex hac vita migraret, haud parum lætatus fuisse dicitur, dum gratias Deo ageret, quòd morienti sibi nihil superesset præter vnum nummum, sed & hunc statim indigenti dari præcepisse. Annuum quippe illi Patriarchatus vectigal annuæ in egenos eleemosynæ erant, nihil sibi reseruanti præter Christum. Neque enim quicquam aliud suum esse aiebat, asserens ideo sacerdotibus neque possessionem, neque partem, neque hæreditatem, inter reliquas Tribus datam, quoniam pars, & hæreditas, & possessio eorum esset Dominus. Vę ergo vobis, (vt Amos Propheta ait) qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel. Talibus & per Ezechielem comminatur Dominus, dicens: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Vbicunque autem væ positum est in Scripturis, pœnam æternam obnuntiat delinquenti, quod tanto magis cauendum est, quanto quis maiori dignitate officioque præcellit. Scriptum est enim: Iudicium durissimum in eos, qui præsunt, fiet. Potentes potenter tormenta patientur, fortioribus fortior instat cruciatio. *Leontius Episc. in vit. Patrum.* *Num. 28.* *In opulentia Episcoporum.* *Amos 6.* *Ezec. 34.* *Sapiet. 6.*

SED dum nos auaritiæ ardorem extinguere cupimus paupertatis commendatione, penè modum excessit oratio. Ne tamen & feminæ sua laudatione hac quoque in parte fraudentur, vno duntaxat exemplo eam concludamus, iam ad reliquias tractationes generatim processuri. *Femina.*

ELIZABETH regis Pannonum filia, Lodouicoque Lantgrauio Turingiæ Principi matrimonio iuncta, non ignara dictum à Propheta: Si diuitiæ affluant, nolite cor apponere, cùm inter opes luxumque potentiæ secularis versaretur, paupertatem animo affectabat. Interdum domi sola cum ancilla manens, vilissimum sumebat amictum, totamque sese ad paupercularum morem componebat, dicens haud alio ornatus genere vsuram, si quando tandem *Elizabet.* *Psal. 61.*

Digitized by Google

tandem dignatus fuerit pius & misericors Dominus, expeditiùs viuendi copiam sibi concedere. Ad hæc quoties ad Ecclesiam audiendæ euangelicæ prædicationis gratia accedebat, non nisi inter infimas feminarum sibi deligebat considendi locum. Vt iam apertè concupiscere videretur, se de illarum numero fieri, quarum tam libenter inibat consortium. Defuncto itaque viro, omnia quæ habere potuit, indigentibus dedit, parumque putauit, fortunas tantùm pro Christo impendisse, nisi amore illius etiam seipsam addiceret seruitio miserorum. Igitur postquam constructo diuersorio, non modicam egenorũ ęgrotãtium turbam coegisset, Ministram se eorum fecit. Cumque à patre in Pãoniam reuocaretur, noluit eò ire, talem vitam præponens regno. Hinc, vbi ea postremò in Sanctorum gloriam recepta, miraculorum patuit indicijs, apparuit verum esse quod Propheta ait: Quia melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Et verissimum quod à Domino dicitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Væ autem diuitibus, qui habent consolationem suam. Argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini, dicit Dominus. *Conrad. in vita Elizabeth.*

Psal. 36.

Matth. 5.

Sophon. 1.

De vita solitaria. CAP. IX.

DIXIMVS de obseruatione paupertatis: nunc de his dicemus, qui vt liberiùs cælestium contemplationi vacarent, innocentiusque sese haberent, delinquendi occasione sublata, relictis vrbibus in solitudine victitarunt: habentes iam olim propositi huius duces, Eliam in torrente Carith propè Iordanum à coruis nutritum, Eliseum in monte Carmeli cum Prophetarum choro habitantem, Filios Rechap sub tentorijs demorantes, & incertis sedibus vagos, Ioannem denique Baptistam in Ennon iuxta Salim iam Baptismi mysteria auspicantem, & eos, qui ad se confluerent, nunc arguentem, nunc docentem. Erat enim vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, rectas facite semitas eius. Et quoniam hos omnes, quo magis à consuetudine mortalium semoti erant,

Elias. 3. Reg. 17.

Eliseus Propheta.

Filij Rechap.

Ioannes Baptista. Ioan. 1.

eo fa-

Digitized by Google

eo familiariùs Dei colloquijs reuelationibusque vsos, nemo dubitat: multi deinde ex Christianis eorum exemplis incensi, solitariæ vitæ conuersationem inière.

QVORVM primus Paulus Thebeus apud inferiorem Thebaidam, cùm Decij & Valeriani persecutionem fugeret, sedecim annorum adolescens, solus deserta petijt. Et inuenta in montis radicibus saxea spelunca, quam iuxta molliter fluens riuulus terram irrigabat, & effusis desuper ramorum vmbraculis palma Solis defendebat ardores, captus amœnitate loci, vbi latere concupierat, habitare cœpit: intantum, vt cùm centum & tredecim vixisset annos, nusquam inde discesserit, hominem nunquam viderit, præterquam die vitæ supremo Antonium, à quo & humatus fuit. Palmæ primò fructibus nutritus est, deinde per annos LX. dimidiati panis fragmentum singulis diebus comedit, coruo alite homini ministrante. Neque aliud quàm aquam bibit: Indumento de palmarum foliis contexto nuditatem operuit. Hoc tenore vitæ, in Dei seruitio tamdiu perdurans, non effugisse mihi videtur martyrium, sed protraxisse, & qui diei vnius mortem non tulerit, mortem annorum septem & nonaginta tulisse. Tanto quippe tempore hic perpetuus eremi cultor, humanis aspectibus semper inuisus, quotidianis corporis mortificationibus sese afficere, vt in æternum cum Christo viueret, non cessauit. *Hieron. Epist. de vita Pauli.* *Paulus primus Eremita.*

ANTONIVS verò XXXV. annorum erat, quando eremum adijt, multas dæmonum insidias insuper & verbera passus, à proposito deterrentium: Cùm sciret, se in solitudine vincendos, qui in frequentia solerent esse victores. Superatis igitur eorum machinationibus, montem conscendens, in quodam castello ab hominibus deserto se inclusit, vbi pane tantùm & aqua sustentatus, cùm iam XX. peregisset annos, vi eductus, & Abbas ordinatus, obstructis monasterij foribus manere cœpit, ita vt murasse latebram videretur, non deseruisse. Cùm tamen multi varijs morbis laborantes eò ventitarent, & sani reuerterentur, crescereteque indies confluentium numerus: gloriam fugiens procul in vlteriorem deserti partem solus abijt, *Antonius Abbas.*

& in

Digitized by Google

& in loco ab Angelo sibi monstrato consedit, vbi etiam sementem fecit, & oluscula coluit, fratrum labori parcens, ne sibi necessaria deferendo fatigarentur, cùm tridui iter ab eis distaret. Ibidem vltimum Deo spiritum reddidit, cùm centum & quinque vixisset annos, miraculis ac virtutibus clarus. *Athanas. in vita eius.*

Habitaculum S. Antonij Abbatis.

NON alienum videtur de hoc Antonij habitaculo verba Hieronymi apponere, in Hilarionis Abbatis vita sic dicentis: Saxeus & sublimis mons per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit, quarum alias arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapsæ paulatim riuum efficiunt. Super quem ex vtraque ripa palmæ innumerabiles, multum loco & amœnitatis & commodi tribuũt. De Hilarione deinde loquens, cùm post obitum Antonij discipulos eius visendi gratia adisset: Videres, inquit, senem huc atque illuc cum discipulis beati Antonij Isaac & Pelusiano discurrere. Hîc, aiebant, psallere, hic orare, hic operari, hic fessus residere solitus erat: has vites, has arbusculas ipse plantauit. Illam areolam manibus suis ipse composuit. Hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est: istum farculum ad fodiendam terram plurimis annis habuit. Iacebat in statu eius Hilarion, & quasi calens adhuc cubile deosculabatur. Erat autem cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quam homo dormiens extendi poterat. Præterea in sublimi montis vertice, quasi per cochleam ascendentibus, & arduæ valde duæ eiusdem mensuræ cellulæ visebantur, in quibus venientium frequentiam, & discipulorum suorum contubernium fugiens, moratus est. Verum hæc in viuo excisæ saxo, ostia tantum adita habebat. His quidem verbis D. Hieronymus (vt mihi videtur) non solùm loci formam atque naturam pulchrè expediteque describit, verum etiam eleganter effinxit, enucleateque expressit, quantus in illis Dei seruis intimi amoris feruor accendebatur, dum singula circumspectando, sic penitus Antonij memoria commouentur, tanquam præsentem cernerent, non tanquam desiderarent absentem. Vsque adeò ille efficax atque admirandum sanctitatis exemplum fuit. *Hieronym. in vit. Hilar.*

POR-

Digitized by Google

PORRÒ ipse Hilarion, viuente adhuc Antonio, XV. annos natus, cùm visendi eius cupiditate flagraret, ad eremum est profectus. Vt autem eum vidit, repentè mutato habitu non antè discessit, quàm vitæ eius ordinem morumque præstantiam edidicisset. Deinde frequentiam ventitantium non ferens, cum quibusdam monachis ad patriam redijt, & postquam defunctis parentibus omnem hæreditatem partim fratribus, partim pauperibus distribuisset, solitudinem, quæ in septimo milliario à Maioma Gazæ emporio, per littus euntibus Aegyptum ad læuam flectitur, ingressus est. Sacco tantùm membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum: vasta & terribili eremo fruebatur, nunquam in eodem loco mansitans, ne latronum pateret iniuriæ. Sed & dæmonum ibi multas variasque terrificationes constanter tolerauit. Multas tentationes, multas eorundem euasit insidias. A sexto decimo vsque ad vicesimum suæ ætatis annum, æstus & pluuias, iunco & carice texto tuguriunculo, declinauit. A vicesimo vsque ad tricesimum primum cellula vsus dicitur, cuius latitudo pedum quatuor erat, altitudo quinque, longitudo paululò protensior quàm eius corpusculum patiebatur, vt sicut Hieronymus ait, sepulchrum potius, quàm domum, crederes. Profectò qui talibus delectantur habitaculis, etiam si tacuerint, clamare cum Apostolo mihi videntur: Non habemus hîc ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus. *Hieron. Ibidem. Sur. Tom. 5.* *Hilarion Abbas.* *Hebr. 13.*

HONOPHRIVS quoque Monachus cùm Hermopoli in monasterio sese aliquamdiu exercuisset, quasi è ludo ad certamen progredi cupiens, ad quandam vastissimam Aegypti eremum solus abijt, & in ea annos LX. hominibus prorsus incognitus permansit. Consumptis autem quæ secum tulerat indumentis, superiorem corporis partem barba & capillis, inferiorem, vbi plus pudoris inest, arborum folijs virgultisque contexerat, annos XXX. non alio pabulo vsus est, quàm quod arbores herbæque syluestres dabant. Totidem pane se & aqua frigida sustentauit. Hunc tandem humaniorem victum sibi ab Angelo, *Monophr.*

Digitized by Google

à quo etiam Eucharistiam dominico quoque die accipere solitus erat, suppeditatum ferunt. Pasnutius Abbas, qui vitam eius Græco sermone scriptam edidit, dum desertum illud peragraret, eodem die quo in eum incidit, cum viuo collocutus est, & defunctum sepelisit. Non est enim passus Dominus, serui sui, tantæ sanctitudinis viri, neque corpusculum dimitti inhumatum, neque conuersationem posteros latere: Illi prouidit tumulum, nobis virtutis exemplum. *In vitis PP.*

Ioannes Eremita. IOANNES Aegyptius Anachoreta, cuius responsis Theodosium Principem (in suis aduersus barbaros expeditionibus) vsum accipimus, habitauit in ea Thebaidis eremo, quæ adiacet oppido Lyco. Spelunca eius in præruptι montis vertice, ascensu difficili aditúque obstructo erat, ita vt nemo ad eum ingressus sit à quadragesimo vsque ad nonagesimum ætatis suæ annum. Per fenestram aduenientibus præcepta salutis dabat. Eisque extrinsecus, vbi commodè requiescerent, hospitiolum fecerat. Ipse intus solus (si tamen solus dici potest, cum quo Deus est) morabatur, finem expectans vitæ, vt vitam, quæ finem non ha-
Psal.140. bet, inchoaret: ea spe lætus forsan etiam decantabat: Singulariter sum ego, donec transeam: transiturus vtique ad consortium Angelorum, qui se à consortio secluserat hominum. *In vitis PP.*

Theon. THEONEM etiam intra suam cellulam clausum habitasse apud Thebaidam non procul ab vrbe, atque etiam porrectæ de fenestra manus tactu infirmos curasse, sed tamen noctibus ad eremum progredi solitum tradunt. De
Luce 21. Domino quoque Lucas ita ait: Erat diebus docens in templo, noctibus morabatur in monte qui vocatur Oliueti. Discamus igitur, & Domini & serui exemplo, locum tempusque seruare aliud, quo iuuetur proximus, aliud, quo Deus adoretur. *In vitis PP.*

Apollon. APOLLONIVS Abbas, vt ætatis primitias Domino consecraret, XV. annos natus eremum adijt, in finibus Hermopolis apud Thebaidam quadragesimo secessionis suæ anno, propius vrbem redire diuinitus iussus, discipulos congregauit. Iam enim dignum se fecerat, per

quem

Digitized by Google

quem & cæteri immortalitatis præmia consequerentur. *In vitis PP.*

ELIAS Monachus in finibus ciuitatis Athineos (quæ quondam Thebaidis Metropolis fuit) annos LXX. in vastissima solitudine perdurauit. Erat desertum horroris plenum, semita, quæ ad ipsum ducebat, angusta scrupeaque, & inuentu etiam difficilis. Antrum quoque, quod inhabitabat, terrum atque horrens, ac statim propiùs accedentibus nescio quid terroris incutiens. Hunc se ibi vidisse D. Hieronymus testatur, iam centum & decem annorum senem. Ferebatur autem interdum etiam futura prædicere, euentu haud incerto: Vt super eo quoque Eliæ Prophetæ spiritum requieuisse dicerent, cuius & nomen sortitus fuerat, & secutus propositum, Deo in solitudine seruiendo. *Hist. Tripart. lib. 8. cap. 1.* *Elias Monachus.*

RARISSIMVM est quod de Ioanne quodam relatum legimus. Dicitur enim cùm primùm ad eremum secessisset, tribus continuis annis sub cuiusdam saxi rupe stans semper orasse, nunquam resedisse, tantùm somni cepisse, quantum rectus capere potuit, cibum quoque non alium gustasse quam dominicis duntaxat diebus, Eucharistiæ Sacramentum à sacerdote sibi delatum. Denique de pedibus, quòd tamdiu immobiles perstiterint, fluxisse saniem aiunt. O beatum virum, qui tantam gratiam consecutus est, vt hæc agere vellet: beatiorem, vt posset! Non immeritò igitur post hæc Angelum Domini aduenisse dicunt, vlcera eius tactu curasse, labia sapientiæ spiritalis fonte perfudisse, & vt deinceps cæteros fratres per eremum visitando instituere ac docere pergeret, simul iussisse. Dignus quippe magisterio iudicatus est, cuius vel solus conspectus potuit esse non paruum hortamentum, asperæ quæque pro Christo subeundi atque perferendi. Dicerem equidem talia nemini facta possibilia esse, si quicquam impossibile esset credentibus. *In vitis PP.* *Ioannes Eremita.*

NEQVE tamen (vt mihi videtur) minùs stupendæ vitæ speciem præbuit Simon Susotionis filius. Hic annum tantùm cum fratribus in monasterio Antiochiæ conuersatus, ad desertum abijt, annos tres in spelunca clausus permansit. *Simon Monachus.*

manſit. Sed hoc ei commune cum multis: illud autem proprium & peculiare, quòd deinde ſuper columnas dicitur habitaſſe, quarum altiſſimam cubitorum XXX. fuiſſe ferunt. In vna eum perſtitiſſe annos IV. in alia XII. in alia rurſum XII. in alia iterum IV. & in illa poſtremò, quæ procerrima erat, vſque ad obitum vitæ XVI. Eas propulpitis habuiſſe ſatis probabiliter videri poteſt, quandoquidem multi ex gentibus rei nouitate excitati ad videndum illum confluebant, & ab idolis ad Chriſtum prædicationibus ipſius conuertebantur. Vtcunque tamen ſit, proculdubio durum atque difficile, & quod nemo vel ante eum fecerit, vel poſtea imitatus ſit. *Euagr. Hiſt. Eccle. lib. 4. cap. 33.*

Arſenius. QVANTI autem profectus ſit, quantæque vtilitatis Chriſti ſeruis ipſa ſolitariæ vitæ obſeruatio, locupletiſſimus teſtis eſt Arſenius. Etenim antequam religionem iniiſſet, rogaſſe dicitur ſibi à Domino reuelari, qua ſe potiſſimum ratione ſaluare poſſet: & reſponſum accepiſſe, vti conſortia hominum præcipueque ſecularium declinaret. Factus verò monachus, inter precandum rurſus vocem audiuit dicentis: Arſeni, fuge, tace, quieſce, vt ſcilicet deuitet, fuga, frequentiam: taciturnitate, iactantiam: quiete, fluxarum atque fragilium rerum ſolicitudinem. Proinde ſecedens in partes Syriæ, eò loci qui Troen dicitur, ſedit ſolitarius annos XL. Deinde in deſerto vaſtiore vltra Babylonem, Memphin verſus, annos decem: poſtea ad Canopum Alexandriæ, annos tres. Rurſum in Troe annos duos. Sicque peracto vitæ curſu, nonagenarius terram reliquit, & ad Dominum migrauit, bonis cæleſtibus ſemper fruiturus. *Metaphraſt. & Sur. Tom. 4.*

Idem. IDEM cùm Theophilus Alexandriæ Archiepiſcopus, quodam nobili Alexandrino ciue comitatus, ad eum non multo procul à Canopo habitantem veniſſet, rogatus ab eis ſermonem, dixit ſe facturum, ſi modò quicquid præciperet ſeruare vellent. Sponſione autem facta: Præcipio, inquit, vt vbicunque Arſenium morari audieritis, illuc ne accedatis. Alia quoque die cùm ab eodem Pontifice, per nuntium, vt ſibi adeundi copiam concederet, ſolicitaretur: Si veneris ait & quod petis concedam, & loco cedam.

Digitized by Google

eadem. Itaque Theophilus mutauit aditionis propositum, ne ille longiùs discedendo mutaret habitaculi locum. Grata enim ei erat in sua diœcesi talis ac tanti viri mansio, cuius merita sibi quoque adiumento esse credebat, ad conciliandam gratiam apud Deum. *Metaphrast. & in vitis PP.*

QVAMOBREM autem Arsenius se ab vllo hominum adiri ægrè pateretur, breui responso declarauit. Id enim à Marco Abbate interrogatus: Cum Deo & hominibus simul se omnino esse non posse, dixit: Vsque adeò vel modica alicuius interpellatione, à diuinæ contemplationis dulcedine se auocari, indignè ferebat. Quamuis enim adhuc in terris esset, iure suo tamen cum Apostolo dicere poterat: Conuersatio nostra in cælis est. *Ibidem.* *Idem.*

HINC illud est, quòd sanctus Iudocus non dubitarit eremi angustias præponere Britanniæ regno, malueritque in deserto Christo seruire, quàm in patria Britannis imperare. Inde fugitans, ad Alzeum fluuium agri Pontini peruenit. Et cùm ibidem sedem sibi ponere vellet, ab Hymeone regionis Tetrarcha prohibitus est. Sed neque ideo propositi pœnitens, dum ad vlteriores solitudinis loca pergit, ab eo ipso, à quo pulsus fuerat, reuocatus redijt, atque etiam ope illius adiutus in qua cœperat ripa gurgustiolum compegit, & cum vnico discipulo solitarius habitauit. Vis nosse quantum in ea solitudine manens profecerit? Pro terreno & caduco regno, quod contempserat, cæleste & æternum accepit, quod concupierat. *Florent. Abb. & Rodolph. Agric.* *Philipp. 2. Iudocus.*

QVID mirum igitur, si & ipse aliquando vastæ solitudinis, nunc Paradisi incola Hieronymus, dum Heliodorum inuitat, sic demum illam laudibus efferat, dicens: O desertum Christi vernans! O solitudo, in qua illa nascuntur lapides, de quibus (in Apocalypsi) ciuitas magni regis construitur! O eremus familiariùs Deo gaudens! Quid agis, frater, in seculo, qui maior es mundo? Quamdiu te tectorum vmbræ premunt? Quamdiu fumosarum vrbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio. Libet, sarcina corporis abiecta, ad purum ætheris vo- *Hieronymus de laude eremitarum.*

Digitized by Google

Matth. 5. lare fulgorem. Paupertatem times? sed beatos pauperes CHRISTVS appellat. Labore terreris? nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Supra nudam metuis humum exesa ieiunijs membra collidere? sed Dominus tecum iacet. Squalida capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum CHRISTVS est. Infinita eremi vastitas terret? sed tu Paradisum mente deambula. Quotiescunque illuc mente conscenderis, toties in eremo non eris. Scabra sine balneis attrahitur cutis: sed qui in Christo semel lotus est, non habet necesse iterum lauare. Et breuiter ad cuncta audias Apostolum respondentem: Rom. 8. Non sunt condignæ, inquit, passiones huius seculi ad superuenturam gloriam quæ reuelabitur in nobis. Delicatus es, frater, si & hîc vis gaudere cum seculo, & Luc. 12. postea regnare cum Christo. Beatus seruus, quem Dominus inuenerit vigilantem. *Hieronym. Epistol. ad Heliodorum.*

Hieronymus. IPSE verò Hieronymus in illa, in qua hæc scripsit, eremo, in illa, inquam (vt ipse ait) vasta solitudine, quæ solis exusta ardoribus horridum Monachis præstabat habitaculum, annos quatuor moratus est, Scorpionum tantùm & ferarum socius, sacco vestitus, humi cubans, aquam frigidam bibens, & cibis crudis vtens, coctumque comedere luxuriæ deputans, carnis lasciuientis pugnas hebdomadarum interdum inedia vincens. Et tamen inter has tantas corporis fatigationes, adeò spiritu exultabat, vt diceret: Oppidum mihi carcer, solitudo paradisus est. Post hæc cùm ad Bethlehem accessisset, & constructo monasterio cum fratribus habitaret, flens fateri solebat, se iam non esse eum qui fuerat: adeò in solitudine sibi melius fuisse existimauit. Post labores, inquit, & lachrymas, & cælo inhærentes oculos, nonnunquam mihi videbar agminibus interesse Angelorum, & lætus gau-

Digitized by Google

tus gaudensque cantabam: Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus. *Hieronym. Epistol. 22. ad Eustoch.* *Cant. 1.*

HAVD equidem dubitauerim, quin pari consolatione perfrui solitus sit etiam Martius ille, quem Gregorius in Marsico Campaniæ monte vitam duxisse tradit. Etenim tanti solitudinem fecit, vt ne quando vlla vel rerum difficultate, vel dæmonum molestia superatus inde recederet, ad ferream catenam, quam saxo affixerat, vix solubili compede ipse se deuinxerit. Attamen beatus Benedictus Abbas vbi id resciuit, volens vt iugis in deserto commoratio constantiæ potiùs viri, quàm ferreis nexibus ascribi posset, protinus nuntium ad eum misit, inquiens: Si seruus DEI es, non te teneat catena ferrea, sed catena Christi. Quamobrem ille vincula quidem deposuit, sed tamen speluncam ingressus, aditu obstruso habitare cœpit. Deinde etiam discipulos aliquot secum adunauit, multisque præterea miraculis nobilitatus est, atque inter sanctos habitus. Nunc spatia metitur paradisi, qui tam angustè habitauit in terris. *Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 16.* *Martius Eremita.*

FVISSE etiam quoddam Monachorum genus legimus, qui per diuersa solitudinum loca errantes ac vagi, sedibus semper incertis, ne ab hominibus conueniri possent, peregrinabantur. Hos quia procul secedebant, Anachoretas appellatos. Alios ex illis pane & sale ad deserta secum delato victitasse, alios verò herbas tantùm & radices pro cibis habuisse. Tanta vitæ asperitas intolerabilis prorsus videretur, nisi etiam intolerabilia, tolerabilia fecisset Dei amor & Dei timor. *Isidor. de Off. Eccles. lib. 2. cap. 15.* *Anachoretæ.*

SVBIICIAMVS aliquot etiam infirmioris sexus exempla, vt appareat, feminas quoque habere de sanctarum collegio duces, quas ad eremum sequi, secundùm diuinæ gratiæ donum, aut optent tantùm, aut simul & possint. *Feminæ.*

Digitized by Google

Maria Magdalena. Lucæ 19. Marc. 16. Ioan. 20.

MARIA Magdalena omnia peccata sibi dimissa esse iam pridem audierat, optimam partem, quæ non auferretur ab ea, Domino attestante, se elegisse cognouerat, resurgentem Dominum prima videre meruerat, pro amore illius omnia contempserat. Denique apud Massiliam Galliæ vrbem inanium Deorum simulacra, Christi prædicatione, iam prostrauerat, salutiferæque Crucis vexillum erexerat; necdum tamen se feciſſe satis putauit, donec solitudinis angustijs carnem suam, aliquando delicti ream, macerasset afflixisſetque. Annos itaque triginta nulli hominum visa, nulli cognita vixit in deserto, non humano cibo, sed Angelicis fomentis assiduè sustentata, vt ex hoc intelligas, Angelorum ministeria promereri, quisquis propter Deum declinauerit hominum consortia. Die verò obitus sui imminente sacram communionem de manu Maximini Episcopi accepit, ne sine illo ad cælum ascenderet, cui in terra toto corde, totis viribus seruierat, fidem ipsius in vrbibus prædicando, gloriam in solitudine meditando. *Iacob. de Vorag. Epiſc. Ianuenſ.*

Maria Ægyptiaca. Lucæ 19. Marc. 2. Matth. 9. Marc. 5. Lucæ 8.

MARIA Aegyptiaca cùm corpus suum vulgaret, viuens mortua erat. Sed qui venit quærere quod perierat, & non iustos, sed peccatores vocare ad pœnitentiam, ipse tandem cordis eius domum ingressus, ait: Puella, tibi dico, surge. Et confestim surrexit, quæ diu iacuerat in impudicitiæ cœno. Surrexit, vt Iesum, quem in delicijs amiserat, in amaritudine animæ suæ quæreret. Cùm enim de Alexandria Ieroſolymam veniſſet, non potuit templum Dei ingredi. Viq́ue inuisibili inhibita, subsistit in limine, miratur, stupet, & erubescit, & pedem inuita refert. Vbi recognouit, sacro aditu se indignam, quòd prophanis vitæ obscœnitatibus esset polluta, nequiter actæ ætatis pœnitudine grauiter angi animo cœpit, & lachrymas effudit, decernens ibi turpitudini finem imponere, vbi Dei erga se indignationem cœperat experiri. Rursumq́ue tentato ingressu, liberè absque impedimento introiuit. Mox ante Crucem Domini suppliciter prostrata, tam diu flere non destitit, donec audiuit, si saluti suæ consultum vellet, Iordanem transiret. Transmisso ergo Iordane, desertum pene-

Digitized by Google

penetrauit, iam aliam vitam, alios mores sequēs, quā quos ad eam vsque diem non deseruerat. Iam primùm caput illud, quod sæpe margaritis & auro ornauerat, cæli obiecit iniuriæ, nullo tecto contenta, crines, quos frequenter calamistro intortos crispauerat, cùm desecuisset, pedibus conculcandos proiecit. Faciem, quam pluries ceruſſa & purpurisso fucauerat, lachrymis rigauit, & solus excoxit ardoribus. Pectus, & fasciolis papillarū tumorē cohibētibus astringere cōsueuerat, pugnis diuerberauit. Totū deniq; corpus, quod pri' omni voluptatū genere diffluxerat, extenuauit ieiunijs, vexauit vigilijs, fatigauit laboribus, solicitauit assiduitate orationum, deuenustauit nuditate, oppressit inopia. Sic penitus immutatam post quadragesimum conuersionis suæ annum, Zozimas Abbas (dum fortè per desertum illud solus incederet) vidit deprehenditq; orantē procul à terra subleuari, trans flumē euntē super aquas siccis vestigijs ambulare. Ad tantā perfectionem eremi cultrix deuenit, tā disperdita vrbiū cultrix. *In vitis PP.*

VERVM ne quis solitariæ vitæ affectione incautus, in laqueum incidat diaboli, cùm scriptum sit: Væ soli, quia cū ceciderit, non habet subleuantem: Antè præparet domi viatica virtutum, qui vult diu vagari peregrè foris. Exerceatur priùs in simulacro pugnæ, qui ad singulare certamē callidissimi hostis cupit prodire. Hoc congrediendi genus veteranos desiderat, non tyrones. De ludo monasteriorū Hieronymus noster inquit: Volumus huiuscemodi egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui specimen conuersationis suæ multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, vt primi omnium fierent, quos nec esuries aliquando nec saturitas superauit, qui paupertate lætantur. Quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est; qui nesciunt, secundum quosdam ineptos homines, dæmonum pugnantium contra se portenta confringere, vt apud imperitos & viles homines miraculum sui faciant, & exinde lucra sectentur. Qui ergo talis erit, qualem hic Ecclesiæ nostræ Plato luculēter explicuit, huic solitudo non periculum, sed periculorum effugium erit, & puppis diu in alto iactatæ portus, & animi soli Deo vacantis

Periculū vitæ solitariæ. Eccl. 4.

Hierō. ad Heliodorum.

Digitized by Google

cantis quies,& locus myrrha,lacte, casia, omnibus sanctimoniæ aromatibus fragrans, mannæ inuisibilis rore perfusus,sanctiq́ue Spiritus lumine illustratus, noctes quoq; lucidas habens & iam quidam in terra paradisus.

De Vigilijs,& Somno,& Stratu.

CAP. X.

QVONIAM verò siue quis in solitudine solus, siue cũ multis in monasterio,vitam ducere constituerit,in primis eniti debet,ne somnolentiæ deditus , ad ea quæ religiosè obeunda sunt segniter exurgens,ignaua cunctatione obtorpescat:qua cura,quo studio, sacras vigilias obseruarint,qualibus etiam stratis vsi sint,ac quàm minimum sopori indulserint hi, quos veniens Dominus inuenit vigilantes,hinc iam perscrutemur.

Lucæ 12.

Eremita.

TRADITVM est,in ea eremo, cui Pinagrius Abbas præfuit,fuisse monachos,qui sedendo somnum caperent, non iacendo,magis repugnantes sopori,quàm dormientes. Hi

1.Thes.5.

profectò iure suo dicere poterant:Omnes nos filij lucis & filij diei sumus,non noctis,neque tenebrarum.Igitur non dormiamus sicut cæteri,sed vigilemus & sobrij simus.

Hilarion.

BEATVM Hilarionem,Hieronymus refert, super nuda humo stratuq́ue iunceo vsque ad mortem cubitasse. Sciebat enim eos,qui exquisitioribus culcitris per luxum vtũtur.Prophetæ verbis deuoueri,dum ait: Væ vobis,qui dormitis in lectis eburneis,& lasciuitis in stratis vestris. *Hieron.in vita eius,cap.3.*

Amos 6.

Pastum.

PASTVMIO quoque, quamdiu in eremo moratus est, nudũ atq; interdũ sparsis ex industria scrupulis asperatũ solum lectus fuit.Quid hoc est,nisi nolle vnquam ita resoluto corpore obdormiscere , vt mens ad Deum non vigilet? Hinc sanè & Isaias Propheta semper cum Deo esse anhelans ait: Anima mea desiderauit te in nocte , sed & spiritu meo in præcordijs meis de manè vigilabo ad te. *In vitis PP.*

Isaiæ 16.

Honophr.

HONOPHRIO verò, neque tectum vllum , neque certus quietis locus fuit. Ibi somnus erat, vbi per desertũ vaganti mox occurrisset.Sed & ipsa quoque nox peruigilio

Digitized by Google

lio magis quam dormitione peragebatur, vt illud seruaret à Propheta dictum: In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. *In vitis PP.* *Psal. 133.*

ARSENIVS tam breui quidem somno naturæ satisfecit, vt etiam dicere solitus sit: Monacho satis esse, si horam vnam dormierit. Surrepenti somno obnixè repugnans, illum improbum seruum appellabat, quoniam non vocatus sese ingereret, & inuitum traheret ad quiescendum. Sabbatis omnibus hoc diligentissimè obseruauit, vt cùm occidente Sole orare cæpisset, non nisi ex oriente cessaret. Itaque semper sic cum somno pugnauit, vt sabbathorũ noctibus nihil ei cederet, alijs tam parum, vt etiam naturam vicisse videretur. *Metaphrast. & Sur. Tom. 4.* *Arsenius.*

BEATVS Hieronymus ad Eustochium virginem scribens, dum quibus in eremo corporis fatigationibus contra vrbanarum voluptatum cogitationem contenderit, enarrat, de ipsa etiam cubandi austeritate mentionem faciens: Si quando, inquit, repugnantem somnus imminẽs oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Et quis quã securum se arbitratur, si vel in stratis paleis vel vili tomento cubitauerit, vel plusculum, quàm compellit necessitas, quieti indulserit? Non potest resistere diabolo, qui facilè superatur à somno. *Hieron. ad Eustoch.* *Hieron.*

PROPTEREA quidem Martinus quoque Turonensis Episcopus (sicuti de illo Eusebius ad Seuerum scribens testatus est) substrato humi cilicio cubans, frangebat somni mollitiem lectuli rigore. Itaque nunquam tam altè consopitus est, vt sentire non posset furem illum, qui perfosso pariete pedetentim ingredicns expilat stertẽtium domos. Diabolus enim semper vigilat, vt eos, qui non vigilant, perdat, perimat, & mactet. *Seuer. Sulp. Dial. 2.* *Martinus Episcop.*

IDEM sanctissimus Præsul, cùm in monasterio quodam suæ diœcesis reuerenter susceptus, hora quiescendi cellã ingrederetur, cubili paulò apparatiùs instructo offensus, stragula paleasque euertit, & in nudis tabulis (sicut vestitus erat) sese collocauit. Iamque delibutis leni sopore mẽbris quiescebat, cùm stramenta, quæ eiecerat, igni suceẽsa iacentem excitauerunt. Illicò exurgens ac trepidans cùm *Idem.*

cella

Digitized by Google

cellę exitum, per quem effugeret, fumo omnia inuoluente, non inueniſſet, ad orationem ſe vertit. Mox flammæ vis illa omnis extincta, fumusque conſumptus illæſum reliquerunt. Et impletum eſt in eo illud Prophetæ dictum: Probaſti cor meum Domine, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Potuit quidem illi quieſcenti turbare ſomnũ repẽtinus ardor, nocere nõ potuit: quoniã qui ſic dormiũt, Dominus pro eis vigilat. *Ibid.*

Pſal. 19.

Bernard⁹ Abbas.

BERNARDVS Abbas & ipſe præcipuus vigiliarum obſeruator, dum ad eas capeſſendas alios hortatur, dicere ſolebat: dormientem monachum Deo mortuum eſſe; nec ſibi, nec vlli vtilem. Huic ſententiæ ſi contrariam apponere voluerimus, dicendum erit: Vigilantem monachum Deo viuere, nec non & ſibi & alijs vſui eſſe. Iam ex hac oppoſitæ inter ſe diuerſitatis comparatione nemo ignorare poterit, niſi qui animo magis quàm oculis dormitauerit, quãtum vigilia ſopori præſtet: quantum hoc iuuet, quantum ille officiat: quàm altera appetenda, alter fugiendus ſit. *In vita Bernardi libr. 1. cap. 4.*

Idem.

IDEM quoque conuerſationis eorum, quibus præerat, non ſegnis ſpeculator, ſi quem ex fratribus aliquãdo ſtertentem perſenſiſſet, parùm religioſè illum dormire aiebat, modum modeſtiamque ab eis exigens, ſicuti cæteris in rebus, ita etiam in dormiendo. Quòd ſi breuis etiam ſomni ronchus viris religioſis vitio datur: quomodo non dabitur nimia dormitio? Cui quantumcunque temporis indultum fuerit, tantum à ſpiritualium actionum exercitatione computabitur ceſſatum: Scriptum autem eſt: Manè ſemina ſemen tuum, & veſperè ne ceſſet manus tua. *Ibidẽ.*

Eccl. 11.

German. Epiſcop⁹.

GERMANVS Antiſiodorenſis Epiſcopus, lectulum ſuũ cilicio ſaccoque & cinere ſtrauit, vt non lectum, ſed luctum, & doloris potiùs quàm quietis locum diceres. Inſuper ipſe quoque (vt in vita eius ſcriptum legitur) ſic iacens identidem ſuſpirare ingemiſcereque audiebatur; ita vt cũ parumper iacuiſſet (ad nocturnas enim ceremonias celebrandas primus exurgebat) multo minùs dormiſſe putaretur, quàm priuſquam iacuerat. O te felicem, Germane, qui in cinere dormiens, in vitam euigilaſti ſempiternam, aſcẽdens

Digitized by Google

dens ad illud Christi, beatorumque omnium immensum, inæstimabile, cœleste, diuinumque contubernium. Quàm exigui temporis labor, quàm ingentis iucunditatis tibi peperit quietem? *Hericius Monach. in vita Germani ad Car. Cal. Sur. Tom. 4.*

Vincentius Prædicator.

AD quam perueniendi cupiditate incensus non mediocre Ordinis prædicatorum ornamentum Vincentius, diem penè totum sermonibus ad populum faciendis, noctē multam obsecrationibus lectionibusque partem eius minimā somno dicitur impendisse. Cubitasse autem, cùm duriùs, sarmentis substratus: cùm molliùs, paleis: cùm honestiùs sacco. *Sur. Tom. 2.*

Petrus Prædicator.

PETRVS quoque eiusdem & Ordinis & sanctitatis vir, dum etiam ipse interdiu prædicando excubat, & noctu deprecando, psallendo, legendoque vigilat, ad martyrij vsq; palmam peruenit; & quia per omnia sanctorum Apostolorum vitam expresserat, ad eorū prouectus est & gloriā. *Antonin. Hist. part. 3.*

Bernard.

BERNARDINVS verò nec ideo illis (meā quidem sententia) minor, quia de collegio Minorum fuit, etiam antequam religionem profiteretur, religiosi vitā vixit. Quodq; ad rem pertinet, tunc quoque ad offerendum Deo laudis sacrificium noctu consurgens, ne quiete occuparetur, cōtemptis lecti stratis, super pauimento vestitus iacere consueuerat. Cùm hoc vigiliarum præludio ad monasterium venit, tanto deinde minus somno concessurus, quanto perfectius viuendi subibat institutum. Et quoniam sacris initiatus omni sanctitatis genere præcelluit, etiam vigilantissimum fuisse nemo dubitat. Quod ergo noctu didicerat vigilando, hoc die alios docuit prædicando. Multosque, qui peccatorum oppressi veterno, in morte dormiebant, excitauit in salutem. Dederat enim Dominus verbum Euangelizanti, dederat voci illius vocem virtutis. Nisi somni semper parcissimus fuisset, nunquam tantum in Dei seruitio profeciſſet, *Anton. hist. part. 3.*

Pſal. 67.

Fœmina.

PROPONAMVS & feminis quæ sequantur exempla, quibus attendentes, somnolentiæ grauedinem possint discutere.

PAV-

Digitized by Google

Paula. PAVLA illa Romana, quæ summam generis nobilitatē superauit vitæ sanctitate, in grauissima etiā febre (vt Hieron. inquit) mollia lecticuli strata non habuit, sed super durissimam humum in stragulis cilicinis quiescebat: si tamē illa quies dicenda est, quæ iugibus penè orationibus dies noctesque iungebat, illud implens de Psalterio: *Psalm. 6.* Lauabo per singulas noctes lectum meum lachrymis meis stratum meum rigabo. *Hieron. de laudib. Paula.*

Asella virgo. IDEM autor Asellæ virginis sanctitatem efferens laudibus ait: Vnius cellulæ clausa angustijs, latitudine Paradisi fruebatur: idem terræ solum & orationis locus extitit & quietis. *Hieron. Epist. ad Asellam.*

Virgines Deo dicatæ. LEGIMVS etiam in monasterio illo Thebaidis, in quo Euphrata Virgo summis effulsit virtutibus, moris fuisse, in terra cilicino stragulo tecta cubitare, ac quoties aliqua sororum minùs pudici somnij præstigijs ludificatam se cognouisset, Abbatissæ confiteri, & quantum visa displiceret, cinere stratis insperso testari. Quis igitur dubitat, quin ijs, quæ somniatum crimen vt commissum dolebāt, dormitio ipsa multò plus solicitudinis attulerit, quàm quietis? semper verentibus, ne quam eiusmodi somnorinam speciem

Euphraxia menti obuersari contingat. Præter hæc autem Euphraxia, cùm quicquam tale per quietem passa fuisset, biduanis triduanisque ieiunijs sese macerabat, vt in cinere iacens, etiam cùm obdormiuisset, cibos potiùs quàm abominationes somniaret. *In vitis PP. in vita Euphraxia.*

Othilia Abbatiss. NON tamen minori curæ Othiliæ virgini vigilias fuisse accepimus. Cui quamuis Monasterij in quodam Bauariæ monte siti præposita esset, pro stragulo vrsina pellis, pro puluillo saxum erat. Solebat enim, vti in cæteris religiosæ conuersationis laboribus, ita & in hac parte grauius onus sibijpsi, quàm alijs, quibus præerat, virginibus imponere. Super vrsi autem pelle cubans, magisque vigiliæ, quā somno indulgens, conculcauit vrsum illum, quem Dauid

1. Reg. 17. Thren. 3. Ephes. 3. typum gerens CHRISTI, scribitur interfeciſſe, & de quo per Ieremiam dicitur: Vrsus insidians factus est mihi. Lapidem verò capiti supponens, placuit lapidi illi, qui factus est in caput anguli, qui fecit vtraque vnū, cui nunc inseparabi-

Digitized by Google

abiliter iuncta,& ipsum,quocunque ierit,sequens concinit canticum nouum,quod in Apocalypsi nemo potest dicere,nisi fuerit virgo. Virginitas autem ipsa in tantis quidē versatur periculis, vt nequando corrumpatur,custodiri à vigilantibus rarò potest,à somnolentis nunquam. *Iacob. de Vor. Epist. Ianuens.* *Apoc. 14.*

Vos igitur,siue virgines, siue viduæ, quæcunque estis, quibus castitatis & sanctimoniæ amor ineſt, quæque integritatem mentis ac corporis obseruare proponitis,iam suscipite tale vigilandi studium,si talem à Deo consequi exoptatis mercedem. Præparate lampades vestras,vt cū spōsi aduentum media nocte repentè irruens clamor nuntiauerit,promptum vobis sit obuiam illi procedere, cum illo ad nuptias introire,per illū supernę cęlestisq; celebritatis gaudijs perpetuò frui. At contrà cauete maximè & inuitimini,ne quando in illam fatuarum virginum sortē concedatis,quæ veniente Sponso dormitauerant & dormierunt, seriusque quàm oportuit excitatæ,tunc demum oleū emere volebant, cùm peractis nūdinis iam nemo esset qui venderet. Extinctis iam lampadibus in tenebris remanentes,aditu beatitudinis indignæ, somnolentiæ suæ pœnas dederunt. Vigilate itaque,ait Saluator noster,quia nescitis quando Dominus domus veniet:serò,an media nocte, an galli cantu,an manè:ne cùm venerit repentè,inueniet vos dormientes. Præcipuè autem noctibus vigilandum esse etiam Prophetæ exemplò admonemur, qui in Psalmis ait: Memor fui in nocte nominis tui Domine:& custodiui legē tuam. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. In noctibus extollite manus vestras in sancta,& benedicite Dominum. Isaias quoque: Anima mea, inquit, desiderauit te in nocte. Et item Ieremias: Consurge, lauda in nocte,in principio vigiliarum effundē sicut aquam cor tuum in cōspectu Domini: leua ad eum manus pro anima paruulorū tuorum. Quid multa? ipsum noctis silentium, quiesque actionum,ad contemplanda cælestia, ad preces Deo offerendas, nos hortantur;vt scilicet à terra prorsus abstracti, atque mundo ipso altiùs mente sublati, soli iungamur Deo. *Exhortatio.* *Matt. 25.* *Marc. 13.* *Psal. 118.* *Psal. 133.* *Isaiæ 26.* *Thren. 2.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

De cura & modo orandi.

CAP. I.

AGE igitur, hinc iam sanctarum precum exẽpla perscrutemur, deinceps etiam contemplationis altitudinem ostensuri, qua diuini homines, in terra degentes, mente cælos permeabant. Hi verò quantum orandi studio dediti fuerint, vel quàm efficaciter orarint, vel quantas inter orandum diaboli molestias tolerarint, si quem considerare non piguerit, nec imitari fortasse pigebit. Quandoquidem nihil est, quod petenti salubre futurum sit, vt illud nõ impetret oratio, dicente Domino: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. *Matth. 7.*

DVX Israëlitici populi Moyses, quàm olim solicitè pro eorum delictis Domino supplicarit, ipse confitetur, dicés: Et iacui coram Domino xl. diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos, vt fuerat comminatus. Vtinam nos nostris peccatis tam impensè atque perseueranter veniam poscceremus, quàm ille alienis. *Deut. 9.* *Moyses.* *Deut. 9.*

SEPTIES in die laudem Domino dicens, ipse sanctus Propheta Dauid, septem Canonicarũ Horarum, quas nunc seruat Ecclesia, orandi documentum reliquit. Quali autem quantoue mentis affectu orauerit, testatur, dicens: Deprecatus sum faciem tuam ex toto corde meo. Et item: Clamaui in toto corde, exaudi me Domine. In corde ad Dominum clamant, qui ardenter orant: non qui tantùm vocibus obstrepunt, & quod labijs volutant, mente non concipiunt. *Dauid Rex.* *Psal. 118.*

POST illum Salomon omnium Iudææ regum sapientissimus, in eo libro (si modò illius liber est) qui Sapientiæ inscribitur: Adij, inquit Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordijs meis. Ex toto quippe corde rogan- *Salomon Rex.* *Sapien. 8.*

Digitized by Google

rogandus est, qui ex toto corde præcipitur diligendus. Negligenter autem orantes, & eum à quo aliquid petunt, parum reuereri, & id, quod petunt, non satis magni pendere arguuntur, ideoque nec impetrant. Reprobatur enim eiusmodi rogator, dicente Domino in Apocalypsi: Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. *Apocal. 3.*

VIR desideriorum Daniel ingressus cœnaculum, id est, superiorem partem ædium, apertis fenestris contra Ierusalem, ter in die statutis horis genua sua flexisse, & adorasse Deum suum dicitur. Hinc tu quoties orare volueris, domum Dei ingressus, mente cælum conscende, apertisq; fenestris puræ syncereque intentionis, Spiritui sancto ad cor tuum aditum para, & semper ad cælestem Ierusalem animo conuersus terrena contemne, ac die vno ter genua flectens, Trinitatem Personarum, Vnitatemque substantiæ in Deo crede, confitere, adora. *Daniel. 6.* *Daniel.* *Daniel. 6*

TOBIAS cum lachrymis orasse perhibetur, & cùm casu quodam oculos amisisset, ab Angelo Raphaële de cælo in terras misso, meruit curari, adeò inter orandum illi fleuisse profuit. *Tob. 2.* *Tobiæ Pater.* *Tobiæ 2.*

TOBIAE autem filio eius, etiam nuptiarum celebritatem sacris precationibus placuit initiari. Cum Sara enim vxore sua, priusquam copulæ coniugali operam darēt, tres noctes totas in cubiculo simul orando consumpserunt. Inde illa, quæ primo statim concubitu iam septem extulerat viros, cum hoc postremo diu feliciter vixit. *Tob. 8.* *Tobias filius.* *Tob. 8.*

POST hæc quoque & pater à cæcitate, & filius ab internecione liberati, vt pro beneficio gratias agerent, vterq; in faciem se prosternentes, per horas tres benedixerunt Deum. Et cùm exurrexissent (vt ait Scriptura) narrauerunt omnia mirabilia eius; vt scias, peractis etiam precibus, à laudibus Creatoris non esse cessandum. Præterea orationes eorum coram Deo ab Angelo oblatas fuisse legimus, ne quid precemur, nisi quod Angelorum relatione digum sit, quodque Dei aures delectet audire. *Tob. 12.* *Idem Pater & filius.* *Tob. 12.*

DELECTAT autem illum, quicquid de Scripturarum fontibus hausti orando effundimus, quod Prophetæ, quod *Quibus verbis orandum.*

Apostoli nobis tradiderunt, sed præcipuè quod Dominus noster Iesus Christus, Ipse .n. est Patris verbum, ipse filius suus delectus, in quo sibi bene cõplacuit, ipsum audiamus.

Iesus Christus.

Matth. 6. & 11. 3. Oratio dominica

SIC, inquit, orabitis: Pater noster, qui es in cœlis. Si Pater in cælis, filij quæ sursum sunt quærant, quæ sursum sũt sapiant, non quæ super terram. Sanctificetur nomen tuum. Ita, nequid à nobis existimetur sãcti⁹. Adueniat regnũ tuũ. Ne in nobis regnet peccatum. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Quoniam qui facit voluntatem tuam, manet in ærernum. Panem nostrum supersubstantialem, vel quotidianum da nobis hodie. Panem qui de cælo descẽdit. Nostrum, quia pro nobis oblatus est. Supersubstãtialem, quia omnibus subsũtijs, omnib⁹ præeminet creaturis. Vel quotidianum: quia Christus Iesus heri & hodie, ipse & in secula. Da nobis hodie. Da semper, ne vnquam separemur ab eo: quoties enim separamur, toties deficimus in via. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, vt cum ignouerimus in nos peccantibus, tu nobis ignoscas quicquid peccauimus tibi. Et ne nos inducas in tentationem, id est, ne patiaris nos tentari supra id quod possumus, sed facias cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Sed libera nos à malo, vt tandem sine timore de manu inimicorũ nostrorum liberati, seruiamus tibi, in sanctitate & iustitia coram te, omnibus diebus nostris. Amen.

Luc. 1.

Iesus Christus. Fides, Spes. Matt. 21. Luc. 12. Charitas. Marc 11.

VERVNTAMEN idem saluator noster ac Dominus, sicuti nos orare docuit, ita etiam ante orationem vt piè nos præparemus, iubet, fidem, spem, charitatem exigens à nobis. Fidem ibi: Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Spẽ ibi: Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Charitatem ibi: Cum stabitis ad orãdum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem.

Humilitas orantis.

QVO deinde corporis gestu, quaue humilitate orandũ esset, suo sæpe exemplo monstrauit: Dum (sicut veritatis Scriptores retulerunt) nunc procidens in faciem, nunc positis genibus, nunc elevatis in cælũ oculis obsecrat Patrẽ.

Locus.

LOCVM quoque orantibus aptum designauit, vel dicens:

Digitized by Google

cens: Domus mea, domus orationis vocabitur. Vel monēs: Cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Vel faciens: Quando dimissa turba ascendit in montem solus orare. *Matt. 21. Matth. 6. Mast. 14.*

TEMPVS etiam orandi prescripsit, & vespertinum, Vespere facto orans in monte; & nocturnum, Pernoctans in oratione: & antelucanum, Valde diluculo surgens, & in desertum locum secedens, vt ibi oret: & penè continuum, dicens: Vigilate omni tempore orantes. *Tempus. Matt 14. Lucæ 6. Marci 1. Luca 21.*

ASSIDVITATE denique in orando opus esse, tum verbis docuit, tum exemplo significauit. Dormientibus Apostolis, ipse vigilans iterum & tertiò, eundem repetēdo sermonē orasse dicitur. Et vt Lucas ait: Factus in agonia prolixiùs orabat, ne scilicet aliter egisse videretur, quàm præcepisset. Præceperat autem similitudinem afferens, ac dicens: Si quis nocte intempesta ad amici pulsans fores perseueret, ipsa poscendi improbitate coget illum de stratu suo surgere, & panes quos petierat, sibi mutuò dare. Parabolam etiam proponens Iudicis Deum hominesque cōtēnentis, qui viduæ quotidie interpellātis victus tædio, eā ab aduersarij sui calumnia tādem decreuit vindicare: Audite, inquit, quid Iudex iniquitatis dicit, Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Non vindictam intelligas contra inimicos, quos diligere iubemur, sed contra tentationes, quibus resistere nemo valet, nisi Domini ope auxilioque adiutus fuerit. Quamdiu ergo cum his nobis colluctandum est, tamdiu & orandum. Neque huic sētentiæ illam contrariam putemus, quam idem salutis nostræ autor ac doctor protulit, dicens: Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt. Ethnici enim, id est, gentiles longas orationes orabant, orandi affectum nō habebant. Itaque non multum orare prohibuit: sed eos, qui labijs multum, corde parum orant, imitari. Ideoque subiunxit: Nolite vos assimilari eis. *Perseuerantia. Matt. 26. Mar. 14. Luca 22. Lucæ 11. Luca 18. Matth. 6.*

SIQVIDEM & Apostoli, postquam ille deuicta morte ad cœlos vnde venerat rediit, in Ierusalem reuersi, cū cœnaculum ascendissent (vt Lucas in Actis eorum testatur, *Apostoli. Actor. 1. Actor. 2.*

Digitized by Google

perseuerantes erant vnanimiter in oratione cum mulieribus,& Maria matre Iesu,& fratribus eius. Inde refert,Spiritum sanctum aduenisse, domum vbi erant sedentes repleuisse,supra singulos eorum linguas tanquam ignis apparuisse,vt intelligas,perseueranti ac iugi oratione Spiritus sancti gratiam conciliare solere. *Actor.1.& 2.*

Petrus Apostol. Ioan. Apostolus. Actor.3. Eccli.35. Pharisæus superbus. Publicanus humilis. Lucæ 18. Eccli.35.

PETRVS & Ioannes ascendebât in templum ad horam orationis nonam,& languido ante vestibulum mendicanti pro eleemosyna sanitatem dederunt. Itaque documento nobis sunt,ne soli orationi vacantes,misericordiæ in egenos obliuiscamur.Scriptum est enim: Non apparebis ante conspectum Domini vacuus.

ARROGANTIAM quoque in orando fugiendam, humilitatemque sequendam,hinc Pharisæus, hinc Publicanus monent,alter insolenter sese efferens, & inani iactatione cæteris præponens,reprobatur: Alter verò cœlum intueri non ausus,sed in terram pronus pugnis pectus verberans,redijt (vt veritas ait)iustificatus præ illo. Quia omnis qui se exaltat,humiliabitur:& qui se humiliat, exaltabitur. Oratio humiliantis se(vt Ecclesiasticus inquit) nubes penetrabit. *Luc.*18.

Paulus Apostol. Barthol. Apostol. Iacob. Apostolus.

HINC ipse vas electionis Paulus in Apostolorum Gestis vbique memoratur,positis genibus preces Domino obtulisse,Bartholomæum quoque centies in die & centies in nocte flexisse genua,dum orationes iteraret,ferunt. Iacobo Alphæi vtrumque genu, in modum Camelorum, procumbendi assiduitate occaluisse. Quod si sic orarunt, qui iam Spiritus sancti igne excocti omni puriùs auro renitebant:quid nos facere oportet,qui peccatis peccata cumulantes,quotidie diuinam in nos indignationem prouocamus?Submissus supplicare debet,qui grauius delinquit.

Apolon. Abbas. Orationũ frequens repetitio. Antonius Abbas.

PORRÒ Bartholomæum imitatus Apolonius Abbas, & ipse centenis genu flexionibus die noctuq; precationes repetisse perhibetur. In repetendo assiduitas,in genu flectẽdo laudem meretur humilitas. *In vitis PP.*

ANTONIVS Abbas,& ipse non nisi submissis genibus orans,sæpe diem noctemque peregisse dicitur precatione perpetua. Nescio quod maius miraculum,an illo corporis gestu

Digitized by Google

gestu tamdiu immotum perstitisse, an tam continenter orasse? Vtrumque sanè difficile, sed timor gehennæ & amor Christi omnem vincunt difficultatem. *Athanas. in vita S. Antonij.*

PASTVMIVS quoque Abbas vsque adeò orandi studio ducebatur, vt nulla corporis debilitas animi debilitatem coerceret: aduersa valetudine pressus, cùm de lectulo surgere non valeret, iacens orabat. Iam langvor vehemens expeditiùs loquendi ademerat facultatem, & tacitus labiorũ motus etiam tum illum orare testabatur. Denique discedens anima, non priùs orationem, quàm corpus reliquit. Orantem adhuc Angeli exceperunt, & ad cælum tollentes Domino obtulerunt, vt semper lætari possit, eam se beatitudinem impetrasse, quam semper petierat. *In vitis P P.* *Pastum. Abbas.*

MOYSEN etiam Abbatem noctem penè totam orando peruigilare solitum ferunt, ac dum oraret, recto corpore patentibusque oculis, ne sopori succumberet, perstitisse. Sic superasse dæmonum tendiculas atque dolos, qui sopitũ voluptuosis phantasmatum imaginibus ad illicita prouocabant. Experimento ergo didicit, quanti momenti illud Domini præceptum sit: Vigilate & orate, ne intretis in tẽtationem. *Tripart. Hist. lib. 8. cap. 1.* *Moyses Abbas.* *Matt. 26.*

STANTEM atque orantem & Ioannem Abbatem in superioris Thebaidis eremo, sub quadam cauę rupis fornice, annos treis perseueraſſe legimus, nunquam procubuisse, ne minus orare, quàm vellet, cogeretur, quoniam cubanti citiùs obreperet somnus. Quietis mollitiem stanti frangebat labor, stanti laborem leuabat auiditas deprecandi. Miraculum auxit toto eo tempore nihil gustans, præterquam Dominicis diebus sacrosanctam Eucharistiæ communionem: quæ illi simul & animæ cibus & sustentamentum corporis erat. *Pallad. Hist. 61.* *Ioan. Abbas.*

PAR obsecrandi cura Sisinium Elpidij Abbatis discipulum commendat. Qui cum annos septem sub illius institutionibus fuisset conuersatus, tantum discedens, & in quodam satis grandi lapideo monumento se occludens, per triennium semper rectus orasse dicitur, neque interim aut sedisse, aut iacuisse, aut inde pedem extulisse. Quid priùs *Sisinius.*

Digitized by Google

mirer nescio, angustè habitantem? an immobiliter stantem? an continenter orantem? Cuncta quidem dura, factuque difficilia, nisi quod corporis lassitudinem animus Deo intentus minùs sentire potuit. Qui enim tam perseuerãter orauit, is in cœlo magis quàm in sepulchro fuit. *Pallat. Hist.* 109.

Paulus Abbas. PAVLVS in finibus Aphricæ quingentorum monachorum quondam pater, nullo vitæ suæ die quicquam priùs egit, quàm trecentas orationes genibus prouolutus Domino obtulisset, quas, calculos in sinum ingerendo, numerabat. Atque hi multò felicius in sinum iactati sunt, quàm illi in sitellam, quibus in Senatu decerni magistratus solent: alteris terrenus honor quęritur, alteris Paulus cęlestẽ gloriam est adeptus. *Hist. tripart. lib.* 8. *cap.* 1. *Pallad. Hist.* 23.

Orationũ numerabo.

Isaac Monachus. ISAAC Syrus tunc quidem monachus, deinde etiam ipse Abbas, postquam Spoletum Piceni oppidum appulisset, presbyteros rogauit, vt ibidem orãdi, quamdiu vellet, copiam sibi concederent, nec sineret interim oranti quenquam impedimento esse. Ea re impetrata, dies treis continuos, & totidem noctes genibus innixus orauit. Hoc quidam hypocrisis vitio deputans, eò processit dementiæ, vt post verborum insultationem etiam colaphum illi incuteret. Sed quoniam parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus: repentè maligno arreptus spiritu, vexari cœpit. At Isaac pietatis memor, iniuriæ immemor, percussorem suum precatione à supplicio liberauit. Offensamque omnem tunc remisit cum accepit, & eodem die remissam beneficio rependit, vt addito benignæ patientiæ cultu, triduanæ orationis vberior fructus fieret. *Greg. Dial.* 3. *cap.* 14.

Prou. 14.

Arsenius Abbas. ARSENIVM Abbatem (sicuti alibi iam diximus) hunc morem habuisse satis constat, vt vnoquoque Sabbati die submissis genibus à vespere vsque mane orationem protelaret, facie semper ad orientem versa, illum adorans orientem, de quo per Prophetam dicitur: Ecce vir, oriens nomen eius. *Metaphr. & Sur. Tom.* 1.

Zach. 6.

Stephan' presbyter. SED nequando (vt vsu venire solet) inter orandum sopore correpti dimidiatas relinquamus preces. Stephani pres-

presbyteri Constantinopolitani exemplum nos hortatur. Qui cùm totum Psalterium singulis noctibus perlegere moris haberet, atque aliquando citius, quàm consueuerat, consopitus ipsum semilectum dimisisset, monitus est à Petro Apostolo in somnis, vti surgeret, & cœptum opus intētiùs perficere curaret. Quę res argumento est, non nisi peractis finitisque orationibus dandum esse quieti locum. *Nicephor. lib. 22.*

Martinus Monachꝰ.

Ne quando etiam à missarum auditione, orante tunc pro nobis Sacerdote, res aliqua non ita necessaria nos abducat, meminisse debemus, quòd quidam à Martino Bituricensi Monacho vocatus, vti die Dominico Missam vnà secum audiret, nondum finita, ne tardiùs negotio tunc vrgenti occurreret, abire voluit. Sed ascenso equo frustraq; calcaribus fatigato, vbi bestiam vt inde se moueret compellere nequiuit, semetipsum reprehendēs desilijt, & Missam perfectè integreque audiuit. Atque eodem equo statim, quò optabat, est auectus. Et in tempore domum reuersus, rei gerendæ occasionem non amisit, sed promptiorem expeditioremque quasi præuenisset habuit.

Ioan. Patriarcha.

Haec eadem in re Ioannis Patriarchæ Alexandrini in primis laudanda est solertia, qua populum, audito Euangelio mox ab Ecclesia delabi solitum, curauit continere. Et ipse enim intermissa celebratione sequi egredientes cœpit, dicens: Vbi oues, ibi & pastorem adesse oportere. Hoc modo redargutis pudorem iniecit, ita vt nunquam postea prius ab altari discederet, quam Sacerdos peracto Sacrificio benedictionem daret. *Leont. Episc. in vitis PP.*

Bonifac. Episcopꝰ

Assidvvs autem deprecandi labor etiam Bonifacio Episcopum ad cœlum, imò supra cœlum, ad Dei vsq; conspectum exaltauit, quotidie duplicatum laudis sacrificium Domino offerentem. Monasticas enim Canonicasque precationes simul iungēs, alteras Episcopus factus assumpsit, alteras iampridem Monachum professus non deseruit. Ad inferiorem Mysiam perueniens, primus Christum prædicauit, Ruthenorum regem baptizauit, martyrio coronatus est. *Apud Surium.*

Martinus Episcꝑ.

Martinvs verò Turonensis Episcopus ne tunc quidem

Digitized by Google

dem cum, quicquam operis manibus exerceret, linguã ab oratione cohibebat, effecitque vt illud Apostoli præcep-
2. *Thes. 5.* tum, (Sine intermissione orate) illi etiam, qui simpliciter dictum intelligunt, à se planè seruatum non negent. *Seuer. Sulp.*
Idem.

IDEM Sanctus diem obiturus extremum, frigescentib⁹ membris iam immotus iacebat, labia tamen mouebantur. Denique orare non destitit, donec subito lumine circumfusus reddidit spiritum. Dum ergo moriendo orat, & orando moritur, mortis tenebras non sensit. *Idem in vita Martini.*
Seruatius Episcop⁹.

SERVATIO autem Traiectensi Episcopo oranti igneus supra verticem radius apparuit, qui mox in sublime euolans, cælum petijt, testatus (vt mihi videtur) in ignis specie, orationum eius feruorem: in splendore, vitæ puritatem, in ascensu, meritorum altitudinem. *Gregor. Turon. lib. 2. cap. 13.*
Philiber⁹ Abbas.

PHILIBERTI quoque Abbatis apud Rothomagum (Galliarum vrbem) in Ecclesia deprecãtis oculi velut duo sydera fulgere visi sunt, vt ex hoc cognoscas, humiliter intenteque deprecantium mentis oculos Spiritus sancti ful-
Psal. 12. gore illuminari, ne vnquam obdormiant in morte, ne quãdo dicat inimicus eorum: Præualui aduersus eos. *Sur. Tom. 4.*

Feminæ. Anna Elcanæ. NVNC, vt alter etiam sexus sua habeat exempla, feminarum in orando studia breuiter explicemus.

ANNA Elcanæ vxor ita ardenter orauit ad Dominum,
1. Reg. 1. vt temulenta putaretur. Heli Sacerdoti, sibi ebrietatẽ exprobranti, nihil turbata respondit: Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animã meam in conspectu Domini. Et tunc quidem homo faciem tantum videns deceptus est, sed scrutator cordis & renum Deus cõpunctionem considerauit orantis, & misertus quod rogabatur concessit; vt quæ propter sterilitatem contemnebatur, propter parum multis matribus honorabilior appareret, edito Samuele Sacerdote simul & Propheta. *1. Reg. 1.*

Sara Tobiæ. SARA Raguelis filia in superiori cubiculo secludẽs,

dies

Digitized by Google

dies treis in oratione perſeuerauit, cibi ac potus expers. Qua ſolicitudine à Domino meruit obtinere, ne priorum virorum interfectrix crederetur. Tobia viro ſeruato, cum hoc vnico felici admodum matrimonio iuncta, ad decrepitam vſque ætatem vixit ſine querela. *Tob.* 3. *Tobiæ 3.*

PORRÒ Iudith oratorium ingreſſa, cilicio induta, cinere conſperſa, in terram proſtrata Domino ſupplicauit, & ſola meruit Iudæam vniuerſam die vno ab Aſſyriorum oppreſſione liberare. Auſa enim facinus omnibus ſeculis memorandum, inter tot armatorum millia Holophernem ducem ſua occidit manu. Quo cæſo, reliqui metu perculſi, in fugam conuerſi ſunt. Si ſic orauerimus, ſternetur Satanas, vitia recedent, malarum tentationum nexus diſſoluentur. *Iudith 9.* *Iudith. Iudith 9.*

ANNAM viduam in Euangelio legimus de templo nuſquam diſcedentem, ieiunijs & obſecrationibus nocte ac die ſeruientem, & eodem in Templo vidiſſe Ieſum, viſo credidiſſe, creditum prophetando prædicaſſe. Tot illi ſimul attulit bona, nec ſola viduitatis caſtitas, nec ſolum corporis ieiunium, ſed vtrique accedens etiam aſſidua deuotæ mentis obſecratio. *Lucæ* 2. *Anna vidua filia Phanuel. Lucæ 2.*

VERVNTAMEN ne continenter orando defatigatus quandoque concidat animi vigor, & cogitationibus diffluat atque dilabatur, rectè maiores noſtri horas diuiſerunt, alias orationi, alias actioni, alias verò lectioni. Hinc quidam tradunt, Virginem Beatam, poſtquam à parentibus in templo cultui diuino fuit dedicata, à manè ad horam tertiam, precibus; à tertia ad nonam, manuum laboris; tum ſumpto cibo à nona ad veſperam, Scripturarum meditationi operam dare conſueuiſſe. His viciſſitudinum ſucceſſionibus Deo ſeruiens, in tantum ſe à vitio alienam & virtutibus refertam præſtitit, vt ſola eligi mereretur, quæ Deum & hominem pareret, & virgo permaneret. Sic illa igitur ſacris virginibus, ſicuti eſt humilitatis integritatiſque & cæterarum virtutum, ita & bene diſpenſandi temporis exemplum, vt ſcilicet nec ſemper orent, nec ſemper operentur, nec ſemper legant, & tamen ſemper hæc omnia, ne quis vnquam ſit otio locus. Quoniam mul- *Maria Virgo.*

Digitized by Google

Eccli. 33. tam malitiam (vt Ecclesiasticus inquit) docuit otiositas.

Mulier Chananæa. IN orando autem fidem, patientiam, humilitatem, necessaria esse, etiam Chananææ mulieris monstrauit euentus: à Domino sanari posse filiam credidit, & despecta supplicare non destitit, & canibus comparata non modò non contradixit, sed etiam ad catellorum vilitatem se

Matth. 15. submisit. Quamobrem audire meruit: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Sic & tu, quamuis multum aliquid diuque petitum, nondum acceperis: petere tamen adhuc ne cesses. Ideo dare differt Dominus, vt perseueranter instanti cumulatiùs tribuat.

Martha. MARTHA centies per diem, & centies per noctem, submittere genua solitam ferunt, dum illum supra cælos regnantem adorat, quem in terris morantem susceperit hospitio, beneficij loco habuit, non iam minus in supplicando solicita, quàm olim fuerat in ministrando. *Petrus de Natal.*

Trasilla. HVIVSCEMODI solicitudinis æquè mirandum exemplum in Gregorij Pontificis Dialogo relatum legimus. Ipse enim testatur in vita Trasillæ virginis amitæ suæ, cùm vita defunctum lauare vellent, genibus cubitisque concretam callorum duritiem apparuisse: Palamque factum exanimi iam corporis indicio, quanta illi adhuc viuenti sanctarum precum cura studiumque fuerit. Sic conseruatur Virginitas, sic ad cælestis thalamum Sponsi peruenitur. *Dialog. lib. 4. cap. 16. & Homil. 38. in Euangel.*

Elizabet. SED neque coniugatis, quo minùs orationi animum intendant, maritalem thorum impedimento esse, Elizabeth Lantgrauij Turingiæ Principis vxor suo ostendit exemplo. Impetrata enim à viro noctis continentia, ad orationem secedebat, super pauimentum distento tapetulo cubitans, ne molliùs iacenti altior somnus horas interciperet orandi. Vir quoque sanctitudine illius delectatus, ad ea quæ Dei sunt, magis magisque inflammabatur. Inde & quod petiturus erat, faciliùs cõcedere, & ipsemet impensiùs orare. Diceres eos identidem recordari illud ab Apo-

1. Cor. 17. stolo præceptum: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi; ita ambo, eiusmodi

Digitized by Google

nodi curæ pariter incumbentes, spiritui magis quàm carni seruiebant. Sed illa deinde viduitate facta liberior, tanto soli Deo intenta orauit ardentiùs, quanto à rebus familiaribus iam aliena vixit expeditiùs. *Conrad. in vita Elizabeth.*

De orationis virtute. CAP. II.

HACTENVS de studio modoque orandi, nunc de orationis vi ac potentia dicemus. Abraam orante, Abimelech Geraræ Regis vxor atque ancillæ, cùm antè steriles essent, prolem diu optatam susceperunt, & matrum nomine lætatæ sunt. Et nos si dignè deprecati fuerimus Dominum, gratia eius repleti, exuberabimus prole virtutum. *Genes.* 20. *Abraam. Gen.* 20.

PLAGAE Aegypti Moyse intercedente cessabant, multiplicabantur autem & ingraueſcebant, quoties Pharao ad cordis sui duritiam peruersitatemque redibat, vt & oratione auerti mala intelligas, & obstinatione augeri. *Exod.* 10. *Moyses. Exod.* 10.

IDEM dum populus Israeliticus Iesu duce contra Amalechitas decertarent, stans in vertice collis orabat. Cumque manus in cælum tolleret, vincebant Israelitæ: cùm remitteret, superabantur. Perseuerandum enim est, vt vincas. Nam & ipse deinde non lassatis manibus vsque ad occubitum Solis orans, suorum gladijs terga præbuit hostium. Ad hæc Dei iram, quoties ille populi flagitijs ac scelere prouocatus excandescebat, deprecando placauit. Mariam sororem lepra perfusam mundauit, pestilentiam in diffidentes grassaturam inhibuit. In seditionem versos omnes pariter cum Dathan & Abiron repentinus terræ hiatus absorbuisset, nisi ipse reliquæ multitudini veniam orando impetrasset. *Exod.* 17. *Num.* 12. 14. 16. *Idem. Exod.* 17.

RVRSVS cùm in illum & Aaron turbæ insurgentes incendio diuinitus excitato disperirent, eius monitu Aaron hausit thymiama, processit in medium, & cùm orasset, flamma substitit, internecio cessauit.

POSTREMO cùm in deserto in Deum murmurantes passim serpentium ictibus sternerentur, supplicante pro eis

Digitized by Google

Num. 11. pro eis Moyſe, Deus placatus æneum ſerpentem in ligno ſuſpendi præcepit, quem percuſſi dum aſpicerent, ſanabantur. Percuſſum quippe erat humanum genus antiqui ſerpentis mortifera ſeductione, ſed Deo miſerante Chriſtum in ligno pendentem vidit, & remedium accepit ſalutis. *Num.* 11.

Elias Propheta. AD orationem Eliæ Prophetæ annos tres & menſes ſex non pluerat ſuper terram, donec rurſum orauit, & cælum
3. *Reg.* 17. & 18. dedit pluuiam, & terra fructum ſuum. Sareptanæ viduæ, quæ illum famis tempore hoſpitio ſuſceperat, hydria farinæ non defecit, nec lecythus olei fuit imminutus, & quę fame moritura erat, hoſpitis beneficio vixit. Inſuper filium ſuum defunctum, ipſius precatione vitæ reſtitutum, accepit. Eodem Propheta inuocante, ignis de cælo lapſus
4. *Reg.* 1. quinquaginta & quinquaginta viros, alios poſt alios, ab Ochozia rege ad ipſum comprehendendum miſſos conſumpſit. Inuocauit autem ille, non vt ſe vindicaret, ſed vt Dei veri immenſam expaueſcendamque potentiam, contra præuaricatores, qui eo relicto Beelzebub Deum Acharon adorabant, oſtenderet. Poſt hæc Iordanem tranſiturus, comitante ſe Eliſæo, pallio percuſſit flumen, & diuiſis aquis per ſiccum aluei tramitem ambo ad ripam vlterio-
4. *Reg.* 2. rem peruenere. Eodemque rurſum pallio Eliſæus, cùm ſolus reuerteretur, eandem expertus eſt virtutem. Quòd ſi tanta vis in Prophetæ pallio erat, quanto maior in oratione eius? Qua etiam rimatus eſt ſecreta cæli, & præuidit futura, & viuens atque ſentiens è mortalium conſortio ad paradiſi loca transferri meruit. *In Lib. Reg.*

4. *Reg.* 4. ELISAEVS Propheta apud Ierichontem aquas potantibus noxias, cùm oraſſet, ſalubres fecit, terræ ſterilitatem fœcunditate mutauit. Aſcendens in Bethel, pueris ſibi illudentibus malè imprecatus eſt, non vt ſuam ſed Dei iniuriam vlciſceretur, qui ſtatim ab vrſis laniati pœnas dederunt. In Samaria mulieris viduæ inopiam miſeratus, modico oleo non modica vaſa impleuit, ita vt illa eo vendito & à creditore ſe redimeret, & victum, qui ſatis eſſet, ſibi filijsque pararet. In ciuitate Suna mulieri hoſpitæ infœcundæ ac ſterili, vt viro ſuo filium pareret, à Domino impe-

Digitized by Google

impetrauit. Et eundem puerum postea exanimum ad vitam reuocauit. Reuersus in Galgala, pulmentum amarissimum in dulce conuertit. Panibus viginti hordeaceis viros centum satiauit, & superfuit. Naamam Syrum à lepra curauit. Securis ferrum in Iordanem delapsum enatare fecit. Obsessus in Dothaim, aduersarijs subita cæcitate percussis, liberatus est. Super ossa eius, defuncti proiectum cadauer statim reuixit, vt vel hinc facilè disci possit, quantæ ille virtutis fuerit viuens, qui mortuus alteri mortuo vitam dedit. *Ibidem.* 4. *Reg.* 5. 6. & 13.

QVID mirum autem, quòd Sanctorum quandoque vel meritis cedant, vel inuocationibus pareant terrena corpora, cùm ijsdem ab obsequendum inclinentur etiam cælestia? Iosue orante, Sol & Luna immoti steterunt, donec ipse vlciscereturse de inimicis suis. Non fuit (inquit Scriptura) ante & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel. *Iosue* 10. *Iosue.* *Iosue* 10.

PORRÒ de inimicorum potestate atque iniuria oratione liberari posse, Ioachim quoque regis Israel exemplo apparet. Qui cùm suos, eo quòd se idolorum cultura polluerant, in ditionem Syrorum redactos vidisset, ad Dominum conuersus pro ipsis deprecatus est, & à seruitutis iugo misericorditer ereptos recepit. 4. *Reg.* 13. *Ioachaz rex.* 4. *Reg.* 13

EZECHIA rege Iuda deprecante, cùm in extremo rerum periculo esset constitutus, nocte vna Angelus Domini percussit in castris Sennacherib cętum octoginta quinque millia Assyriorum. Sicque eum, quem arma nequiuerant, oratio seruauit. Hinc nos, quoties siue occultis siue manifestis dæmonum oppugnationibus infestabimur, à Domino auxilium imploremus, & tunc cadent à latere nostro mille, & decem millia à dextris nostris: ad nos autem non appropinquabunt. 4. *Reg.* 19. *Ezechias rex.* 4. *Reg.* 19. *Psal.* 90.

SED neque illud nunc de Ezechia silentio est prætermittendum, quòd aduersa valetudine grauiter affectus, cùm Isaia prophetante se iam-iam decessurum audisset, facie ad parietem versa, multis cum lachrymis Deum rogando, & vitæ longius spatium, & corporis impetrarit sanitatem. Nonne magnum hoc & admirabile, vt pœnitentis ora- *Idem.* 4 *Reg.* 20 4. *Reg.* 20

Digitized by Google

tis oratio mutet Dei sententiam, & quem Deus ipse morti iam addixerat, eum rursus ne ægrotare quidem permittat? 4. *Reg.* 20.

Asa rex. 2. *Par.* 14

CERTE non paruam orationis vim & in Asa rege Iudæ belli euentus ostendit. Cùm exigua enim manu obuiam procedens Zaræ Aethiopum regi, cuius exercitus decies centum millium hominum armatorum & trecentorum curruum erat, inuocauit Dominum, & repentè lymphatico quodam pauore conterriti Aethiopes terga verterunt. Persequenteque eos Asa à Maresa vsque Gerara, ad internecionem cæsi sunt. Quia Domino cædente, sicut in secundo Paralipomenon libro scriptum legimus, contriti sunt, & exercitu illius præliante. 2. *Paral.* 14.

Iosaphat rex. 2. *Par.* 20

AEQVE sanè, sed aliquanto mirabiliùs, & Iosaphat regi diuinus propitiatus est fauor. Nam cùm innumera penè multitudo Moab & Ammon & Idumæorum venissent contra Iudam, proximeque Ierosolymam castrametati fuissent, Iosaphat metu perculsus, nihil aliud nisi Deum deprecari, indictoque ieiunio, se & sua illi impensiùs commendare. Denique vrbem egressus, gladium non eduxit, nec pugnam inijt, & hostes mutuis inter se vulneribus ante eum conciderunt. Iudæorumque tunc labor non in vincendo, sed in spoliando fuit, cùm prædam propè mœnia iacentem vix per triduum præ magnitudine auferre quiuerint. 2. *Paral.* 20.

Iudas Machabæus.

INDE quoque Machabæi orationes, magis quàm arma, de hostibus triumpharunt. Sæpe enim peracta prece solius Dei auxilio fretus, ad bellum egrediens parua manu ingentes copias vicit. Cum tribus millibus virorum penè inermium, Gorgiæ exercitum quinque millium peditum, & mille equitum, nec minùs armis quàm viris munitum, ab Ammaum fudit fugauitque, & tribus millibus eorum cæsis victor est reuersus. Iterum cum decem millium manu profectus in Bethoron, Lysiam superauit, cuius copiæ erant sexaginta millia peditum electorum, & quinque millia equitum. Rursum in Bethoron, non plus quàm tria millia bellatorum secum habens, cum validissimo Nicanoris exercitu, sicuti confidenter ita & feliciter con-

2. *Mach.* 7.

Digitized by Google

conflixit. Ea siquidem pugna aduersariorum castra fuere euersa, Nicanor interfectus, reliqui fugientes à persequentibus cæsi. Has tantas victorias Hebræis olim attulere, non Iudæ pauci milites, sed Iudæ Deo gratæ preces. 1. *Machab.* 7.

EISI adeò magnificum esse existimatur, hostes vincere, spolijs inimicorum ditari: quantò magnificentius præstabiliusque est, animi magis quàm corporis bonis excellere? Sed & hæc quidem à Deo petentibus dari, Sapientiæ liber testatur, vbi scriptum est: Optaui, & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse dixi in comparatione illius. Iacobus verò Apostolus idem astruens, etiam qualiter petere debeamus docet, cùm ait: Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, postulet autem in fide, nihil hæsitans. *Sap. 7.* *Iacob. 1.*

ALIIS quidem Prophetis Christi ventura reuelata fuere mysteria: Danieli verò etiam annorum numerus, vsque in diem ipsum quo nasci debuit, indicatus est, fortasse quia solicitior cæteris ac submissior ad orandum processerat. Posui, inquit, faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in ieiunijs, sacco & cinere. Denique oranti apparens Gabriel Angelus, egressum se dixit, vt doceret illum. Ab exordio precum tuarum, inquit, egressus est sermo: ego autem veni, vt indicarem tibi. Is igitur gratiam recipiet cumulatiorem, qui deuotiùs rogarit. *Dan.* 9. *Daniel Propheta Dan. 9.*

IONAM Prophetam de ventre ceti ad Dominum Deum suum clamasse legimus, & die tertia Domini iussu à pisce in aridam vomitu effusum. Grande profectò miraculum, tum quòd deglutius tamdiu intra aluum vixerit, tum quòd eiectus nusquam vt læderetur impegerit. Vtrumque tamen hominis precibus, ab eo qui omnia potest, datum. *Ionæ* 2. *Ionas Propheta Ionæ 2.*

ET si his, qui sub seruitute legis erant, tanta ac talia concessa sunt: quid eorum precibus non concessum dicemus, quibus sub Euangelio dies illuxit libertatis, de quibus in Psal-

Digitized by Google

Psal. 44. in Psalmo dicitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui, Domine, in omni generatione & generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi.

Petrus Apostolus. Matth. 6. EX his Apostolus Petrus (cui regni cælorum claues datæ sunt, ligandi atque soluendi ius tributum, cura commissa Ecclesiæ Dei) claudo Eleemosynam petenti sanitatem dedit, Aeneam paralysi laborantem curauit, Dorcam mortuam vitæ restituit: Denique vmbram illius contigisse, ægrotantibus saluti fuit. *Actor. 3. 9. & 5.*

Idem. PORRÒ idem in carcere positus, catenis duabus vinctus, à militibus custoditus, orante pro eo Ecclesia, ab Angelo de cælo misso liberatus est. *Actor. 12.*

Andreas Apostol. ANDREAM fratrem eius ferunt, cuidam, cui Nicolao nomen fuit, qui toto vitæ tempore libidinibus deditus, ab his discedere, cùm etiam vellet, non poterat: deprecando continentiam à Domino impetrasse, & illum pœnitentia ductum, castitatem deinceps perpetuò custodisse. Plerique elata corpora oratione ad vitam reuocârunt: Andreas animam diu in peccatis mortuam suscitauit. *Abdias in vit. Apostol.*

Barthol. Apostol. BARTHOLOMAEI Apostoli oratio obsessos à dæmonibus liberauit, Polemi Indiæ regis filiam lunaticam mêtis compotem fecit. *Abdias.*

Iacobus Maior Apostol. IACOBVS Zebedæi filius, dum Herodis Agrippæ iussu decollandus duceretur, paralyticum in via iacentem saluti restituit. Et cùm spiculatoris gladius ciuicæ suæ immineret, necis propriæ oblitus, pro alterius sanitate orauit. Vtrumque autem vera charitas faciebat, vt & proximi misereretur, & pro Christo mori non timeret. *Abdias.*

Ioannes Apostol. IOANNES frater eius (quem Iesus amasse plurimum dicitur) cùm à Pathmo Ephesum reuerteretur, Drusianam defunctam ab ipso feretro, quo ad sepeliendum portabatur, sanam surgere ac domum redire fecit. Virgulta in aurum, littorales lapillos in gemmas mutauit. Ac ne diuitijs illi opus fuisse putes, eadem rursum pristinæ naturæ formæque restituit. Dianæ Ephesinæ templum funditus euertit, præ-

Digitized by Google

præsentaneum venenum inoffensè hausit, eodemque
stu enectos ad vitam reuocauit. *Abdias.*

THOMAE Dydimi deprecatio, Sinticæ oculis captę vi- *Thomæ*
redintegrauit, Idola lapsu præcipiti in puluerem re- *Apostol.*
it, vt ostenderet simulachra gentium opera esse ma-
m hominum. *Abdias.*

AD MATTHAEI Apostoli inuocationem, Egippi *Matthæi*
hiopum regis filius, qui fuerat mortuus, exurrexit vi- *Apostol.*
, mortique pariter & diabolo ereptus, Christo viuere
pit, contemptis idolis Baptismum suscipiens, ac Deo
lens. *Abdias.*

VDAS Thadæus Abagarum Medorum regem ab ele- *Iudas*
ntiæ morbo liberauit, credentem baptizauit, cor- *Thadæus*
vitio, animum erroribus expians atque emundans. *Apostol.*
ebius.

PAVLVS vas Spiritu sancto plenum, Elimam magum *Paulus*
les ludificantem cæcitate damnauit ad tempus, vt *Apostol.*
mdiu mentis oculos non haberet, nec corporis habe- *Actor. 13.*
osset. Claudum à natiuitate sanauit. Spiritum phito- *Actor. 16.*
um à muliere expulit. Euticum vitæ, Publij patrem
itati restituit. Sudaria & semicinctia à corpore eius ad
otos delata morbo liberabant, immundosque spiritus
bsessis expellebant. Ipse à vipera percussus nihil sen-
æsionis. Et cùm Philippis in carcere, vna cum Syla
cipulo, compedibus vincti tenerentur, nocteque in-
pesta Deo laudes concinerent, terra quatitur, carceris
a aperiuntur, vincula soluuntur. Postremò à magistra-
cuius iussu in carcerem coniecti fuerant, liberi dimit-
tur. *Actor. 13, & 16.*

BARNABAS Apostolus, Cypri aliquandiu commora- *Barnab.*
, morbo affectos, Euangelio Matthæi manu scripto tan- *Apostol.*
s, curauit, eum precatus, cuius religionem astruebat
ando. *Abdias.*

HAEC quidem & alia huiusce modi multa operandi fa- *IESVS*
tatem Discipulis suis concesserat Dominus. Sed ne mi- *Christus.*
ulorum autor ignoraretur, à Deo ea petere credentes *Ioan. 14.*
uit. Quodcunque petieritis, inquit, Patrem in nomine *& 15.*
o, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Et iterum:

Digitized by Google

Quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Et quid mirum, quòd sic ad nos Filius, si sic etiam ad Filium Pater? Psalm. 2. Postula à me, inquit, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Hinc illum in Euangelio non semel orantem legimus, quandoque tamen propria potestate vtentem: vt nec solum hominem, nec solum Deum credas, sed Deum & hominem vnum Christum Iesum, doctorem ac Saluatorem nostrum.

QVI tamen vt in Discipulis, ita & in illis, qui postea fuêre, Sanctis mirabilis apparens, eadem benignitate votis precibusque eorum semper fauit, & quicquid petierant, indulsit.

Ammon Abbas. AMMONIS Aegyptij Abbatis oratio immanem atque terribilem draconem, & qui iumenta hominesque enecaret, per medium crepare compulit, puerumque pestifero illius afflatu interemptum fuscitauit: alteri vitam, alteri mortem dedit. Quoniam qui nocet, morte dignus est: cui nocetur, miseratione.

Rophilus & Mercurialis. ROPHILVS quoque Popilienſis, & Mercurialis Liuenſis, ambo Episcopi, draconem æquè pecori atque hominibus infestum, stolis suis non repugnantem, sed quasi mansuefactum ligauerunt, ac post se trahentes in puteum altitudinis immensæ, nunquam inde exiturum deiecêre. Literæ ibidem in lapide incisæ factum hoc indicant, & adhuc extantes legentibus fidem faciunt.

Seuerinus Abbas. SEVERINVS in Pannoniæ finibus Abbas, cùm Phauianum oppidum Danubio adiacens fame laboraret, eò quòd concreto frigoribus fluuio frumentariæ naues iter agere nequibant, oratione glaciem soluit, & vectoribus nauigationem aperiens, periclitanti oppido incunctanter subuenit, ita vt repentè ingentem inopiam ingens copia secuta sit. *De hoc fortè Sur. Tom. 1.*

Idem. IDEM, quoniam Cuculli castelli agrum locustarum agmina deuastabant, iussit omnes loci incolas vnà secum ad Ecclesiam pergere. Dumque ibi simul orarent, omnis illa locustarum tempestas inde sublata fugam fecit. Ac ne casu aliquo discessisse viderentur, pars earum non minima in cuiusdam agro resedit, qui cum alijs ad orandum non

Digitized by Google

fiõ venerat. Tantumque homini illi obfuit nõn orasse, quantum cæteros orasse iuuit.

ROMVALDVS Abbas (qui Ordinis Camaldulensis fuit autor) cùm à Parentio Liburniæ oppido soluens nauigaret, & nauis magnis fluctibus iactaretur, omnesque qui cum eo erant de salute desperarent, pelagi ventorumque sæuitiam oratione placauit, illum vtique deprecatus, qui ventis & mari imperat, & obediunt ei. *Petrus Damianus, Bur. Tom. 3.* *Romualdus Abbas.* *Matth. 8.*

GERMANVS quoque Antisiodorensis Episcopus, Britanniam versus ad hæreses extirpandas contendens, vnà cum Lupo Episcopo Trecasino, dum nauis, qua vehebantur, vndis impetu ruentibus, illisa tantùm non operiretur, manus ambas in cælum sustulit atque orauit. Et continuò ponentibus ventis æquatum salum, tranquillum illis præbuit iter, cursuque, quò volebant, satis prosperè peruenêre. *Henric. Monach. ad Carol. Caluum.* *Germanus Episcopus.*

FANTINVS Syracusanus, cùm Messanæ à Stradicone Præfecto ad Martyrium quæreretur. Angelique monitu *solus* nauiculam ascendens fugeret, iam propè erat, vt ab insequentibus caperetur, quando Deum precatus, Myoparonem illorum stare fecit, ita vt neque velo neque remis vltrà impelli posset. Sicque aduersarijs pro se relictis, Dei quem inuocauit ope periculum euadens, Rhegium vsque delatus est. *Apud Aloysium.* *Fantinus.*

IDEM Tabritanam Calabriæ ciuitatem accedens, cùm Balzanio, diuite quidem viro, sed gentili, pro seruo se locasset, vt haberet quo aliorum inopiæ subueniret: & superbus Dominus equos, quos illi pascendos commiserat, strigosiores cernens, furore concitatus ipsum persequi cœpisset, nec ei vsque ad fugam iter patêret: Deum rogauit, & Motabrum flumen, quo includebatur, virga percutiens diuisit, atque per siccum alueum transiens, persequentis iram rursum iungentibus se aquis euasit. Persecutor autem præ stupore iam placatus, obsecrauit hominem, vt se ioque eodem modo transire faceret, percussoque iterum mio, idem secutum est miraculum. Tunc cognita Christi virtute Balzanius credidit, & simul cum multis Baptismã *Idem.*

Digitized by Google

ptisma susceptit. Sicque Fantinus orando mortis periculum effugit, & ijs, quos effugerat, vitam quam non ha-
Exod.14. bebant dedit. Moysen nobis, Aegyptios fugientem exhibens, nisi quòd tunc Pharao iustè submersus perijt, Bal-
Ioan.3. zamius verò misericorditer seruatus vixit. Iam enim Filius hominis venerat, vt saluet non vt iudicet mundum. *Ibidem.*

Faro. AEQVE admirandum facinus & Faronis Maldensis Episcopi fuit. Etenim submersam in flumine simul cum vectoribus nauim, miseratus, cùm in ripa se prosternens Deum orasset, ab imo fundo in summas aquas enatare fe-
2.Cor.11. cit, saluis omnibus qui in ea erant. Tale quid & Apostolo euenisse credimus, qui ad Corinthios scribens ait: Ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. *Fulcuinus Scholast. & Sur. Tom.5.*

SED neque de illis nunc silendum, qui orando bonarum artium scientias, quibus operam nunquam impenderant,
Hor Abbas. perceperunt. Hor montis Nitriæ Abbas, literas non didicerat, & oblato sibi libello, cùm orasset, legere cœpit, neque minus doctrinæ illi vnius aut alterius horæ oratio contulit, quàm alijs multorum annorum studium. *In vitis PP.*

Basilius Episcopus. QVAM autem efficaciter Hor ipse pro sua eruditione orauit, tam pro aliena Magnus Basilius Episcopus. Etenim Effrem Syriæ solitario Græci sermonis vsum à Deo precibus impetrauit, cùm ille antehac non nisi Syram linguam, in qua natus erat, habuisset. Impletum est in his il-
Marc. 16. lud credentium signum: Linguis loquentur nouis. *In vitis PP. & Amphiloch. in vita Basilij.*

Thomas Prædicator. THOMAS Aquinas Christianæ disciplinæ egregius philosophus, quoties aut ad legendum accederet, aut disputationem iniret, aut scriptionem aliquam diuinæ tractationis assumeret, semper priùs orare solitus fertur: Nihil rectè auspicari, nihil agi ratus, sine maiestatis Diuinæ inuocatione, cuius donum est, quicquid benefeceris, bene dixeris, bene cogitaueris. *Antonin. Pizamanus, & alij. Sur. Tom.2.*

Idem. IDEM sacra Prophetarum vaticinia legens, incidit in locum

Digitized by Google

ım explicatu difficillimum. Oranti ergo, Petrus & lus Apoſtoli in viſu affuerunt, & ſenſum Scripturæ, m percipere non poterat, aperuerunt. Hanc rem ab adhuc viuente ſe audiuiſſe Reginaldus frater poſt tum eius teſtatus eſt. Per orationem igitur, declaratio que ſermonum tuorum, Domine, illuminat, & intel- *Pſal.118.* um dat paruulis. *Ibidem.*

PRAETEREA defunctorum animas, quæ nondum ita *Oratio* urum expiatæ ſunt, vt cælo dignæ habeantur, viuen *pro de-* n orationibus iuuari, non ſolùm Eccleſiæ traditione, *functis.* etiam reuelationibus exemplisque Sanctorum con-

Benedictus octauus Pontifex maximus, poſtquam vita *Benedi-* unctus eſt, apparuit Ioanni Portuenſi Epiſcopo, ſeque *ctus PP.* eternis pœnis addiceretur, Odilonis Cluniacenſis Ab- *Odilo* s interceſſionibus conſecutum dixit, & tantummodo *Abbas.* porariæ afflictioni, donec vitæ maculas diluat, depu- m. Id vbi reſciuit Abbas, pro illo ſolicitiùs orauit, ſi- lque monachis, vt pariter orarent, iniunxit: & ecce multo pòſt, idem Benedictus ingenti fulgore reni- s, viſus eſt primùm Edelberto monacho, deinde ipſi loni, cui & gratias egit, aſſerens ſe ſuis fratrumque precationibus, à pœnis purgatorij ad beatitudinis etem tranſlatum. *Petrus Damianus, Sur. Tom. 1.*

HIC idem ſanctus Abbas diuinitus monitus, ſolennes *Idem.* mortuis precationes, die Feſtum omnium Sanctorum ximè ſequenti fiendas inſtituit, primusque celebrauit. *lem. Antonin. part. 2. 15. cap. 15.*

ARNVLPHVS Turonenſis Epiſcopus cuiuſdam nuper *Arnul-* unctí animam à dæmonibus ad gehennam tradi vidit, *phus Epi-* rocidens diuinam clementiam, vt eius miſereretur, *ſcopus.* lorauit. Tum demum reddito corpori ſpiritu ſurre- qui fuerat mortuus, ac ſe precibus Arnulphi ſeruatum ım eſt teſtatus. *Gregor. Turonenſ.*

MALACHIAS Ceneroth Hiberniæ vrbis Epiſco- *Malach.* , cuius vitam deſcribit Bernardus Abbas, quotidie pro *Epiſcop.* ore ſua defuncta miſſale Sacrificium Domino offere- . Cumque magnis quibuſdam occupationibus impe- is offerre intermiſiſſet, illa per noctem quieſcenti

Digitized by Google

apparens conqueſta eſt, iam triginta dierum inædiam ſe ſuſtinere: (tantùm autem temporis ab oblatione Miſſæ ceſſatum erat) proinde petens, vt ipſe tandem neceſſitati ſuæ ſubueniret. Quo viſu ille admonitus, eaſdem pro ſorore ſupplicationes nullo non die celebrans, iterum ipſam vidit, & primùm quidem in limine Eccleſiæ ſtare, deinde Eccleſiam ingredi, poſtremò altari proximam Albatorum quorundam choro iungi. Quo indicio patuit, ipſam fraternarum precum aſſiduitate, multò celeriùs, quàm ſuis meritis purgatam, ad conſortium peruenisſe Beatorum. Oratio ergo pro defunctis, quemadmodum & cætera pietatis opera, cibus eorum eſt, quo refocillati agiliùs illuc ſe transferunt, vbi (vt Ieremias ait) erunt quaſi hortus irriguus, & vltrà non eſurient. *S. Bernard. Ser. Tom. 6.*

Ierem. 31.

Oratio pro correctione. Stephan. Abbas.

SED ſicuti mortuis vt purgentur, ita etiam viuis vt corrigantur, ſuffragari ſolet oratio iuſtorum, Stephanus Abbas Ordinis Grandimontenſis inſtitutor, dum montis Moreti (qui eſt in Aquitania) ſolitudinem incoleret, pro milite quodam, vt flagitium in quo obſtinatior videbatur dimitteret, orauit. Hinc ille, qui neque iam ab eo deſiſtere ſe poſſe, neque, ſi poſſet, velle dixerat, repentè mutatus, peccatum ſuum fleuit, vitamque correxit.

Lupus Epiſcopus.

LVPI Senonum Archiepiſcopi oratio quoſdam ex clericis, mulierum libidinibus deditos, ad continentiam adduxit. Quoſque dudum meretricius amor graui odio inter ſe diſſidere fecerat, eos illo orante conſcientiæ ſtimulus ad pœnitentiam, pœnitentia ad caſtitatis ſtudium egit. Conuerſis igitur veniamque petentibus, tam facilè Præſulis pietas indulſit, quàm ardenter vt conuerterentur orauerat. *Sur. Tom. 5.*

Geraldus Monachus.

ECONTRA Geraldus caſtitatis cultor præcipuus ab ea deſciuiſſet, ſi tentatus ad orationem non confugiſſet. Cùm enim & generis nobilitate & diuitijs polleret, atque in cuiuſdam villici ſerui ſui filiam oculos conieciſſet, forma eius captus, an ſe illi venereo amore iungeret, deliberare ſecum cœpit, diu voluptas cum honeſtate contendit, & tandem vicit. Decreuit puellam domi ſuæ conuenire, ſed

prius,

Digitized by Google

priùs, quàm id feciſſet, orauit. Vbi verò peracta oratione illam adijt, vſque adeò ſibi deformis apparuit, vt parentibus eius hanc ipſam eſſe, quam adamauerat, vix crederet. Itaque intactam relinquens, ad ſe redijt, & turpis propoſiti pœnitens, filiam dote, patrem libertate donauit, ac deinceps vixit cautiùs. Poſtremò monachus factus, meruit in catalogum redigi Sanctorum. At ſi tunc non oraſſet, cecidiſſet: ſi cecidiſſet, fortaſſe nec Monachus nec Sanctus fuiſſet.

Anſelmus Epiſcopus.

ANSELMVS Epiſcopus cùm fratrem quendam ex languore, morti iam proximum, pauitare atque horrore concuti animaduertiſſet, cauſam rogauit, & ille reſpondens, duos ibi lupos adeſſe dixit, rabida toruitate terribiles, minaciterque ringentes, & inde ſe timere ne dilanietur ab eis. Tunc Epiſcopus pro ipſo Dominum orauit, ac poſt *orationem* eodem fratre referente audiuit, feras illas beſtias diſceſſiſſe, fugatas flamma ex ore orantis in fulguris *morem* promicante. Hoc demum remedio frater pauoris moleſtia liberatus, ac ſecurior factus, ad Dominum migrauit. Quæ res documento eſt, tunc maximè nobis opus eſſe precibus Sanctorum, cùm è vita diſcedimus, nullo tempore acriùs in nos inſurgente dæmonum pugna. *Edi-ner. Anglus. Sur. Tom. 2.*

Sauinian. martyr.

NEC ſolùm dæmones, ſed quandoque etiam homines cum orantibus congredi non auſos legimus. Sauinianum martyrem, multos ad fidem Chriſti à gentilitatis errore miraculorum operationibus conuertentem, Aurelianus Imperator comprehendi iuſſerat: ſed qui miſſi fuerant, orantem inuenientes, timuerunt ei manus inferre. Alij deinde miſſi, cùm ſimiliter orantem offendiſſent, & ipſi animis concidentes, nec vim irrogare auſi deprecari hominem cœperunt, vti ſecum ad Cæſarem pergeret. Exoratus perrexit, & martyrium paſſus eſt. Profectò etiam Imperatorem, ſicuti & Imperatoris miniſtros, ſola oratione terere poterat miles Chriſti; ſed pro Chriſto martyrium pa- glorioſius exiſtimauit, quàm terrori eſſe inimicis. *Mar-rol. Vſuardi.*

Albinus Epiſcop.

CRIMINATIONIBVS quoque circumuentos

Digitized by Google

Albinus Episcop. oratione liberari posse, monstrauit Albinus Andegauensis Episcopus, qui quosdam tenebricosi carceris tristi squalore obsitos cernens, fleuit. Et cum Præsidem, vt dimitterentur, exorare nullo modo potuisset. Deum pro illis precatus est, Fatiscenteque carceris muro omnes euaserunt, Deo Deiq; seruo gratias agentes, cuius precibus homo restitit, & lapides paruerunt. *Fortunat. & Sur. Tom. 2.*

Magnobonus Episcopus. MAGNOBONVS eiusdem loci Episcopus, & ipse similiter ijs, qui in ergastulis & vinculis detinebantur, liberationem à magistratu frustra contendit, à Deo autem facilè impetrauit. Nam dum ipse ante aram suppliciter prouolutus deprecatur, claustra laxantur, compedes ferrei franguntur, & qui vincti erant, liberi euadunt. Itaque quos durus magis, quàm iustus, Iudex perdere cogitabat, misericordis hominis oratio seruauit. *Vsuardi Martyrol.*

Lupus Episcopus. SED neque Lupi Trecensis Episcopi orantis virtutem tacebimus. Attila ciuitatem eius obsidione cinxerat, cùm ille Deum precatus portas aperiri, hostem admitti iussit. Ingressi, omnia extemplo euersuri putabantur: rectà pertransierunt, ac veluti per solitudinem iter facientes, nihil prorsus hostiliter egêre, nunquam armata manus minùs nocuit suis, quam tunc isti alienis. Quid multa? Lupus lupis omnibus rapatiorem, tyrannum, non bellando, sed Deo supplicando à se repulit procul, & spe prædæ frustratus est. *Turon. de gloria Confess. lib. 27. 28. & alij, Sur. Tom. 4.*

Ita ferè ... nostrorum temporum Heretici. ... 126. ...nus Episcopus. VANA est ergo sententia dicentium: Non votis neque supplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam. Quod etiam Aniani Aureliensis Episcopi exemplo probari potest. Hic etiam Gothis Aurelium obsidētibus, vna cum suis Clericis de muro ipso Sanctos & Sanctas omnes inuocans, Litanias decantabat. Sacerdos autē vnus ex captiuis, quem ne captiuitatis quidem iugum à procacitate oris coërcere poterat, cùm fortè in acie vrbi proxima versaretur, vocem intendens, vt ab omnibus audiri possit: Cassa, inquit, spe duceris, ô Aniane, si verbis abigi posse aduersarios credis: eædem precationes va-

nes va-

nes validioribus etiam vrbibus nihil profuerũt. His dictis corruit exanimus, nec vltra quicquã est prolocutus. Post*hæc* barbaris oppidum inuadentibus, tanta vis aquæ de cœlo cecidit, vt coacti sint dimissa oppugnatione in castra se recipere. Sic misericors & iustus Dominus simul & orantibus adfuit, & orationum virtuti detrahẽtis vltus est scelus. *Gregor. Turon. Hist. libr. 2. cap. 7. & Sidonius libr. 8. Epist. penult.*

SI quis igitur, quo faciliùs Dei gratiam conciliet, de sãctorum cœtu deligere sibi patronos optauerit, vtatur quibus volet, id est, siue illis, quos præcipuos putat, siue illis, *quibus* hoc priuatim à Domino indultum legimus, vt aduersos casus eorum, qui se inuocauerint, aut imminentes *repellant*,, aut incidentes leuent. Huiusce autem prærogatiuæ hi sunt: Honophrius Monach⁹, cuius in vastissima Aegypti eremo defuncti animam ab Angelis ad cœlum ferri vidit Pasnutius Abbas. Decem millia Martyrum, qui apud Alexandriam pro Christo omnia penè Christi tormenta ibi ab impijs illata constanter sustinuerunt. Niceta Martyr Maximiani Nicomediæ regis filius, qui & supplicijs, & patri, à quo ea passus est, superstes, populum antè in idolis mortuum docendo, reueuiscere in Christo fecit. Venedus Martyr Trecasij passus, qui de fide ab Angelo meruit strui, & à Christo ad fluuium Sequanam sibi apparente ptizari, cuius interfecti sanguis interfectori suo Cæsari ureliano illitus, vt beneficium referret pro iniuria, ocm amissum reparauit. Veneranda Virgo & Martyr, quæ Gallia Christum prædicando multos vnà secum ad pal*m adduxit* Martyrij, Antonino Imperatore Ecclesiam rsequente. Catharina Virgo & Martyr, per quam Dei sa*ntia* mundi sapientes vicit, & cuius corpus de Alexa, vbi pro Christo passa est, ad montem Syna Angelicis *nibus* translatum dicunt, vt nemo dubitet, eam mul posse in cœlo, quæ sic honorata est in terris. *Simon. taph. Sur. Tom. 6.*

Honofrĩ Sur. Tõ. 3. Decem millia Martyrũ. Niceta Mar. Metaphr. & Sur. Tõ. 5. Venerandus Mar. Histor. Fran. lib. 2. cap. 13. Veneranda. Catharina.

ED profectò inter Sanctos Sanctasque omnes, vt prin apud Deum locum obtinet, ita prior inuocari debet na cœli gratia plena, benedicta in mulieribus, Maria *Maria. B. Virginis Oratio*

Digitized by Google

& inuocatio. Hæretici moderni quã sunt alieni ab hac fide.

Virgo, Maria simul & mater, cuius immaculatus & intactus venter Spiritu sancto repletus edidit Saluatorem mundi. Nihil certius speratur, largius tribuitur, tutius conseruatur, quàm quod ipsa pro nobis poposcerit Filium. An quicquam maternis precibus non gratificaturum credimus, quem cum Deo Patre legem, quæ matres honorari iubet, sanxisse scimus.

Fæmina.

NVNC ne à proposito discessisse videar, quantum fæminæ quoque orationũ vi efficere potuerint, breuiter exponam, quibus nihil obstitit sexus fragilior, quin par cùm viris meritum, & æquam mirabilium faciendorum potẽstatem adipiscerentur.

Anna Elcanæ. 1. Reg. 2.

ANNA Elcanæ coniux diutinæ sterilitatis opprobriũ, cùm Deum orasset, fœcunditate compensauit. Genuit primo Samuelem, genuit deinde filios tres, duasq; filias. Phenenna verò altera Elcanæ vxor, cõsorti suæ semper infensa, post susceptos liberos parere desijt, & in idem vitium, quod illi petulanter obijcere cõsueuerat, ipsa incidit. Denique sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est. Vltio enim superbiã, orationem sequitur gratia. 1. *Reg.* 2.

Ibidem.

Iudith. Iudith 12.

IVDITH in humilitate cordis Deum precata, tantum audaciæ concepit, vt à Bethulia ad hostes, qui eam obsederant, egressa inter tot millia militum armatorum Holophernem ducem, qui iam Ciliciam, Mesopotamiam, Syriãque deuicerat, ipsa & sola, & inermis, & mulier interimeret, interempti caput abscinderet, abscissum secum in vrbem ad suos referret. Iam seruitutis iugum Israëlitarum imminebat ceruicibus: omnes simul vno die vna Iudith liberauit. Nunquam tantum facinus perpetrare potuisset, nisi priùs perpetrandi facultatem à Domino precibus obtinuisset. *Iudith.* 12.

Susanna. Dan. 13.

QVID de Susanna dicam, quæ Iudicum sententia morti iam addicta, exclamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit vocem ipsius. Spiritum quippe Danielis pueri suscitauit, qui malignos accusatores falsitatis conuictos talionem subire compulit, plebe illos ijsdẽ ipsis lapidibus obruente, quos in Susannam apprehenderat. Duo erant, senes erant,

Digitized by Google

erant, Presbyteri erant, numerus, ætas, dignitas verbis fecerat fidem. Nisi inuocatus præstò adfuisset, qui manifestat occulta cordium, pudicitia infamiam, innocentia necem passa fuisset. *Daniel.* 13.

ET in Barbara quidem virgine, vt constans sanctæ Tri- *Barbara*
nitatis confessio, ita efficax fuit pro necessitate deprecatio. Dum enim infidelem & iratum fugeret Patrem, & fugam prærupti montis crepido inhiberet: orauit Dominũ, ac protinùs illo, in quo hæserat, saxo in aduersam paris altitudinis partem se inclinante euasit, neque tamen tanto miraculo inclinatus est impius pater, vt vel sic elapsam quærere cessaret. Proh nefas! Pater persequitur, saxa miserantur, & ad inuocationem Christi montes mollescunt, hominis infidelitas obdurat. *Simeon Metaphrast. Sur. Tom. 6.*

AD Radegundis Clotarij Gallorum regis vxoris, sed *Radegũ.*
magis Christi Ancillæ orationem, ferreæ pedicæ eorum, qui in vinculis publicis erant, contritæ sunt, illi absoluti. Sic & nos orare oportet, vt peccatorum nostrorum nexibus liberemur, & liberati Deo gratias agamus, dicentes: Diripuisti, Domine, vincula nostra, tibi sacrificabim' hostiam laudis. *Fortun. in vita eius. Gregor. Tur. libr. 9. cap. 39. Sur. Tom. 4.* *Psal. 115.*

ELISABETH vidua, & ipsa quidem regia progenies, sed *Elizabet vidua.*
melius regnans cum Christo, pro iuuene quodam seculi vanitatibus dedito orasse dicitur, qui continuò nouum induens hominem, seculi huius amorem in amorem conuertit Christi, religionisque suscepto voto, Ordinem Fratrum Minorum subijt. Et ingenuè confessus est, se illa orante ita intimis flagrasse præcordijs, vt ardori remedium nullum inuenerit, donec vitam mutare decreuit. Ad eius ergo orationem Dominus ignem misit in terram: & quid voluit, nisi vt accendatur? *Iacob. Montan. Spirens. Conrad. Concio. Sur. 6.* *Luca 12.*

THEODORA Romana Sisinij coniux, à Clemente Pon- *Theodora.*
tifice conuersa, & ab hoc à viro infideli odio habita, pro conuersione eius orauit & exaudita est. Petrus Apostolus oranti apparens, Sisinium precibus eius à Domino con-

cessum

ceſſum nuntiauit. Hinc demum depoſito errore Siſinius,
1. Cor. 7. Chriſtianitatem accepit, & vir infidelis per mulierem fidelem ſaluatus fuit. Non illum ſuaſionibus non argumentis eſt aggreſſa, ne peruicacis animi hominem, dum lenire
Eſai. 40. nititur, grauiùs irritaret. Tacita Dominum rogauit, & lupus in agnum mutatus eſt, factaque ſunt praua indirecta, & aſpera in vias planas. *Ingeſtis Alexandri PP.*

Orationes ab Angelis offerũtur Deo. QVID mirum autem, tantum virium ineſſe orationib' Sanctorum, cùm hæ vſque ad illius ſolium auresque perueniant, qui quodcũque vult, facit in cœlo & in terra? Angelus ad Tobiam: Ego, inquit: obtuli orationem tuam Domino. Et in Apocalypſi dicitur: Aſcendit fumus incenſorũ de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.
Tobiæ 12. Apoc. 8. Pſal. 133. Sancti orant, Angeli miniſtrant, Deus dat gratiam, qui facit mirabilia ſolus: & cuius potẽtiam, ſapientiam, bonitatem admirari licet, comprehendere non licet.

De Tentationibus tempore orationis.
CAP. III.

QVONIAM verò orationes arma ſunt, quibus proſternitur omne diaboli robur, idcirco maligni ſpiritus interdũ orantibus nobis impedimenta ſtruũt, vt vel torpeamus pertæſi, vel territi obmuteſcamus, vel vagis cogitationibus abducti, verba quæ penſiculatè ruminanda ſunt, contemptim effugiamus, ſimiles ebrijs, qui ſæpe multa quidem loquuntur, nec tamen quid loquantur ſatis ſciunt. Detegamus nunc huiuſmodi inimici dolos atq; inſidias, Sanctorumque in cauendo induſtriam ſimul conſideremus, vt hos imitando, illos, qui neminem niſi volentem vincunt, floccifacere atque contemptui habuere poſſimus.

Sulpitius Epiſcop'. SVLPITIVS Bituricenſis Epiſcopus, dum nocturnis precibus incumberet, horrendos circa ſe ſtrepitus voceſque terribiles audiuit, neque tamen aut loco ceſſit, aut orare deſijt, donec ſedatus eſt tumultus. Qui enim confidit
Pſal. 124. in Domino, ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum: par terrori erit, atque dicet: Si conſiſtat aduerſum me
Pſal. 26. caſtra

Digitized by Google

castra, non timebit cor meũ. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. *Sur. Tom. 1.*

Maximus Monach.

QVI Sulpitium terrere volebant, idem Maximum Monachum (qui postea Rhegiensis Episcopus fuit) seducere conati sunt. Nam cum noctu ad littus processisset vt oraret, (Monasterium enim non procul à mari erat) vidit nauẽ applicuisse, à qua descendentes nautæ ipsum reuerenter adierunt, atque laudibus attollere cœperunt, quòd scilicet fama eius vsque ad Syriæ fines peruenisset, quodque multi eum videre desiderarent, quòd denique si illò proficisci vellet, saluti plurimis foret, & si modò secum ire disponeret, se iam in rem paratos esse, pro lucro habituros, si talem virum vehere sibi contigisset. His inanis gloriæ officijs diaboli calliditas nitebatur subuertere hominis mentem, vt qui in orando humilitatem imitabatur Publicani pectus percutientis, iam tandem imitaretur iactantiam Pharisæi se se arroganter efferentis. Attamen Maximus antiqui hostis captiosas tendiculas circumspecto, sagaciqúe animo percipiens, positis in litore genibus, sicut proposuerat, orauit. Et statim auersi sunt erubescentes, qui dixerunt illi: Euge, euge, Discamus eius exemplo cauere a- *Psal. 69.*
dulantium adopertos delinificis sermonibus dolos, melleque circumlita venena, cùm etiam Salomon præcipiat, di- *Prouer. 5.*
cens: Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. *Dinamius Patritius in vita eius, & Gregor. Turon. de glor. Cõfess. cap. 83.*

Launomarus Abbas.

LAVNOMARO Abbati Cornotensi noctu oranti, lucernam ter à dæmonio extinctam fuisse ferunt, & ter ab Angelo rursum accensam. Non enim passus est Dominus, illum deridiculi gratia in tenebris derelinqui, qui orando seruiebat luci. Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo nõ *2. Ioan. 1.*
sunt vllæ. Quid tũc solatij, quid gaudij cepisse Launomarũ dixerim? cùm pro se, contra nequitiæ spiritum, stare Dominum videret. Potuit lætus concinere Dauidicum illud: *Psal. 17.*
Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas. In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. *Sur. Tom. 1.*

Leonar. Mona ch.

LEONARDO Corbiacensi monacho oranti serpens à pedi-

Digitized by Google

pedibus in sinum vsque sursum versus reptauit, quem quidem ille vsque adeò nihil expauit, vt immobilis permaneret, donec precum finem fecit. Quia etiam peractis precibus, vltrò sese pestiferæ bestiæ ingerebat, dicens: ne facere differret, quicquid faciendi facultatis aduersus ipsum à Domino accepisset. Sed illa sicuti orantem non terruit, sic etiam omnia pati paratum minimè læsit. Quotus quisque vel viso tantùm iuxta se serpente, non continuò trepidus exiluisset? At Leonardus etiam intra gremium illabentem
Prou. 28. contempsit. Cur ita? nisi quia verum est, quod in prouerbijs Salomon ait: Fugit impius, nemine persequente: Iustus autem quasi Leo confidens, absque terrore erit.

SERPENS autem ille antiquus, qui fraudulentis perniciosisque suasionibus seducere mortales non cessat, neutiquam decipere potuit humillimum precatorem, fidissimumque Dei seruum Franciscum. Qui cùm die quodã prolixius oraret, audiuit clamantem: Franciscè, pœnitẽtibus
Præiscus. ignoscit Deus, non se tam pertinaci fatigatione conficientibus: Agnouit in verbis dolos, & sicut cœperat, orando perseuerauit, atque etiam ad perferendos pro Christo labores magis exarsit. Sciebat enim, inimici consilia semper eò spectare, vt fallant, nunquam vt doceant, scriptumque
Prou. 22. esse: Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij. *S. Bonauent. in vita eius, cap. 5.*

Idem. RVRSVM tamen humani generis perpetui hostes, quoniam fraudulenta inductione nihil profecerant, terrificationibus aggredi illum decernunt. Dũque ipse nocte quadam precationi operam daret, super tectum domus immaniter strepere atque horribiliter mugire cœperunt. At ille intrepidus exurgẽs: En adsum, inquit, nequissimi spiritus, venite, exercete in me quicquid vobis permissũ est. Quòd si corpus hoc verberibus affeceritis, quid aliud quàm vindicabitis me de aduersario meo? His dictis confusi discesserunt. Ille ad preces Deo persoluendas redijt, nullis tentationibus cedens, sed fiduciam habens in Domino semper.

Idem. CAETERVM neque sic superata Satanæ improbitas cõquiescere potuit, iterumque oranti illi plus etiam molestiæ

stiæ intulit tacita suggestione, quam intulerat manifesta infestatione. Intimo namque medullarum titillatu, cogitationem ei libidinis excitauit, atque ille intermissa precatione repentè exurgens, violentum mentis motum dura corporis flagellatione repressit, venarumque calescentiũ pruritum, semet in gelida niue nudum prosternens, extinxit. Hoc enim est genus illud quod non eijcitur, nisi per ieiunium. *Ibidem.* *Marci. 9.*

His iam dictis exemplis Agathonis Abbatis sententia probari potest, qui interrogatus: Quinam spiritualium actionum plus laboris inesset: Precationi, respondit: Quoniam precationis tempore, ipse nequam spiritus plurimũ nobis negotij exhibet, nunc apertè oppugnans, nunc occultè insidians, modisque omnibus enitens, vt confundat deprecantium mentes atque conturbet, haud ignarus, quãti apud Deum momenti sit constans, continua perseuerans humiliter orantis intentio. *In vit. PP.* *Agathon Abbas.*

De Contemplatione. CAP. IV.

Satis hæc de oratione: nunc res ipsa poscere videtur, vt gradum faciamus ad contemplationem. Prius enim orandum, deinde contemplandum, vt cùm gratiam impetrauerimus, tunc demum in cubiculum introducamur regis, iam tacito mentis obtutu consideraturi Maiestatem gloriæ illius, cuius potentia nihil potentius, sapientia nihil sapientius, bonitate nihil melius, æternitate nihil prius, nihil posteri⁹, neq; esse, neq; excogitari potest.

Hvivscemodi meditationum altitudine absorpti, quidam ita obstupescunt, vt sensibus corporis alienati (quod Græci extasin vocant) mortui magis quàm viui videãtur. Sed interim animus cœlestium visione fruitur, diuini luminis dulcedine pascitur, reuelationes quandoque accipit Mysteriorum Dei. *Extasis vnde.*

Sic credimus Abraham, Isaac, Iacob, cum Deo collocutos, futurorum notitiam recepisse: Moysem etiam, præteritorum. Is enim mundum à Deo in principio creatum verè didicit, & omnib⁹ palã fecit. Sic præterea Dauid versu oracula cecinisse, de quibus gloriatur, dicens: Incerta *Abrahã. Isaac. Iacob. Moyses. Dauid.*

& oc-

Digitized by Google

Psal.50. Prophetæ omnes.

& occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Sic denique Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, cæterosque Prophetas omnia in spiritu hausisse, quæ quondam ad populum nunc prospera, nunc aduersa vaticinantes effuderunt. Semper enim de Deo cogitantes, digni habiti sunt, qui cum Deo etiam sermones miscerent, & (vt ait Scriptura) facie ad faciem loquerentur. Latiùs contemplationis eorum typicæ visiones reuelationesque modò à nobis enarrari possent, nisi omnibus satis notæ forent; & ab ijs, qui sub lege erant, ad eos, qui sub Euangelio fuerunt, nostra festinaret oratio.

Exod.33.

Petrus Apostol. Act.10.

DE Simone Petro in Actis Apostolorum traditum legimus, quòd cùm in cœnaculum circa horum sextam oratũ ascendisset, cecidit super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum, & inde vas quatuor initijs submitti, immũdis animalibus plenum, sed quæ à Deo mundata dicerentur. Ex quo significatum est, Gẽtiles quoque, qui planè immundi errorum inquinatione erant, per fidem Euangelicæ veritatis mundandos, & Ecclesiæ gremio excipiendos esse, sicuti & Iudæos. Quoniam non est, inquit, personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi. *Actor.10.*

Paul. Apostolus. 2.Cor.11. Rom.11.

PAVLVS Apostolus raptus vsque ad tertium cœlum, vtrùm in corpore, an extra corpus, nescit; Deus scit, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Hinc demum in illam prorupit vocem: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sẽsum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula, Amen. 2. *Cor.11.*

Ioannes Apostol. Apocal.1.

IOANNES Apostolus: Fui, inquit, in spiritu dominicâ die, & audiui, & vidi, ea vtique quæ in Apocalypsi commemorat. Quorum præstantiam diuus Hieronymus admirãs, ait: Apocalypsis Ioannis tot habet Sacramenta, quot verba. Parum dixi, in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ, & pro merito voluminis laus omnis inferior est. *Apoc.1.*

APO-

Digitized by Google

APOSTOLICI quoque viri cœlum ipsum animo trãscendentes,& viderunt,& prædicauerunt multa non mediocri admiratione digna. Antoninus Abbas, dum seculi voluptatum malignas illectationes secum considerat, totum terrarum orbem laqueis refertũ vidisse dicitur. Quæ res nõnne apertè nobis indicat, in quantis versemur vitæ periculis, qui quotidie inter mortiferarum cupiditatum tam multiplices pedicas vestigia figimus? Quòd si ijs nolimus implicari, meditanda sunt cœlestia, relinquenda terrena, contemplationis alis ad superna euolandum, inferiora dimittenda atque contemnenda. Qui sic agunt, securi sunt. Et de illis in Prouerbijs dicitur: Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. *Athanas. in vita eius.* *Antonin. Abbas.* *Prouer. 1.*

BONITIVS Auernensis Episcopus, dum noctu in Ecclesia meditationibus inuigilat diuinis, ecce pulchram vt Luna, electam vt Sol, beatam virginem Mariam virgineis choris comitatam ad se venire videt, iussus Missam celebrat, indumentum miri eandoris ab ipsa Dei genitrice sibi oblatum accipit. Visio abijt: Ille ad se reuersus in somnium fuisse putabat, donec idipsum indumentum iuxta se iacẽre conspexit, quod adhuc extare dicitur, & cernentibus rei fidem facere, nemine deprehendente neque lini neque texturæ genus. Magnum fuit tale munus accepisse, sed maius tali spectaculo interfuisse, & eius visionis dulcedinem, qua nunc fruitur in cœlo, gustare cœpisse in terra. *Sur. Tom. 1.* *Bonitius Epiſcop.*

ROMVALDVS Abbas ordinis Camaldulensis autor, cũ ad Sutrij montis monasterium deueniisset. & ibidem Missam celebraret, aliquandiu in extasi raptus stetit. Posthæc Psalmorum effici meruit expositor, quorum paulò antè ne lector quidem satis idoneus fuerat. Dum enim ipsum Dei verbum (quod tunc manibus contrectabat) intentiùs considerat, sanctorum verborum percipere meruit anagogem, latentemque sub litera sensum. Plurimorum annorum studium ad tantum eruditionis profectum nunquam illum extulisset, ad quantum die vna Christi perduxit contemplatio, *Petrus Damian. Anton. part. 2. tit. 15. cap. 15.* *Romualdus Abb.*

Digitized by Google

August. Episcop. AVGVSTINVS Hipponensis Episcopus, Philosophiæ Christianæ assertor egregius, dum sanctæ Trinitatis mysterium solus in cubiculo sedens contemplatur, ita se à seipso abscesserat, vt à muliere, quæ illum quadam de re consulere vehemẽter cupiebat, sæpius interpellatus, nihil responderet, imò ne respiceret quidem. Mulier denique quia se contemptam putauit, abijt tristis. Postero autem die cũ eum in Ecclesia Missam celebrantem audiret, in spiritu rapta vidit de Trinitate disputantem, atque audiuit, idcirco se illum die hesterno frustra quidem adisse, quòd eiusmodi meditatione occupatus, ipsam neque videre, neque omnino sentire potuisset. Ac proinde ne redire dubitaret. Redijt, & quod petierat consilium, sine cunctatione accepit. Maioriq; deinde reuerentiæ habere hominem cœpit, quàm antè habuerat, cùm talia de illo sibi videre contigisset. Quid igitur mirum, si tam copiosè, tamque arguteè de Trinitate scripserit, qui mente sic abstracta Trinitatis Sacramentum fuerat contemplatus? sed nec contemplando tantum apprehendisset, nisi vt apprehenderet, piè prius ac iustè viuendo dignus euasisset. Vitæ sanctitate meritum sibi comparet, qui vult contemplatione proficere. Scriptum est enim: Homini bono in conspectu suo dedit Deus

Eccles. 2. sapientiam, & scientiam, & lætitiam, *Possidius, & alij, Sur. Tom. 4.*

Hieronymus. QVA quidẽ bonitate præditus diuus Hieronymus, meruit etiam ipse spiritalis contemplationis ingentem & ineffabilem haurire dulcedinem. In eo quippe libro, quem de Virginitate seruanda edidit: Post multas, inquit, lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudensq;

Cant. 1. cantabam: Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Et ad virgines Deo dicatas scribens, ait: Experto itaque seni deuotè consulenti credite, filiæ, si semel gustastis

Psal. 117. quàm dulcis est Dominus, ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem e-

Exod. 33. lectum, poteritis ab eo illud audire: Venite, & ostendam vobis omne bonum, & tunc ostendet vobis talia, qualia non nisi mentes assuetæ norunt. Scio quid loquor, charis-

simæ.

Digitized by Google

e. Nam vt meam insipientiam loquar, ego homunculus
piectus, sic vilis in domo Domini; adhuc viuēs in cor-
e, Angelorum sæpe choris interfui; de corporeis per
domadas sustentationibus & nutrimentis nihil sen-
s, diuinæ visionis intuitu. Post multorum fortè dierū
ia præscius futurorum, redditus corpori flebam. Quid
nanens felicitatis habebam, quid inenarrabilis dele-
ionis sentiebam, testis est ipsa Trinitas, quam cerne-
, nescio quo intuitu. Testes sunt & ipsi beati spiritus
aderant, testis est etiam conscientia mea, qui tantis bo-
ipse fruebar, quot & qualia nescit proferre mollities
poris mei. Denique subiungit, dicens: Non potest ad tā-
contemplationis dulcedinem cor secularibus plenum
gotijs aspirare, sed oportet vt seculo moriatur, vt soli
o per tantas meditationes & desideria supernis inhæ-
t. Vnde granum frumenti cadens in terram, nisi mor- *Ioan. 12.*
um fuerit, semper sic solū manet vt ceciditi quod si mo-
ur, fructum plurimum affert. *Epist. ad Eustochium.*

THOMAM Aquinatem Catholicæ veritatis locupletis- *Thomas*
num dissertorem, dum de Deo diu multumque cogitat, *Aquinas.*
solo attolli, & altitudine ferè cubitali in aëre pendere
sum ferunt. Neque deinde tantæ contemplationis fru-
um dissimulare potuisse, vultu prodente iucunditatem,
iam intima conceperant præcordia. Extasi autem tam
ofunda rapi solitum, vt interdum candelam accensam
nens, ea demum ad manum vsque consumpta, flammæ
lorem non senserit. Quem prorsus non sensisse, ijs etiā,
ui id factum non viderunt, fidem facere poterant nō pau-
in manu ipsius ac digitis adustionis vestigia. Qualia er-
o illa aut quantæ delectationis fuisse dixerimus, quibus
ccupatus animus non aduertebat corporis tormenta, vel
d quæ sese mens erigens, carnis quoque pondus secū tra-
e videbatur, dum supinum stare, & humum non contin-
gere cogit. *Antoninus Pizaman. & alij, Surius, Tom. 2.*

NEC in Bernardo Clareuallensi Abbate non satis clarū *Bernard.*
ignum mentis in cœlo versantis fuit, quòd cùm aliquan- *Abbas.*
lo equum ascendens fratres Cartusienses inuisere perre-
xisset, & Præpositus eorū ephippio nimis decoro illū vsū

arguisset: quærere à comitibus cœpit, quale equi sui ephippium esset, neque enim aut insiliendo, aut desiliendo, aut etiam insidendo animum aduerterat quale foret. Iterum propè ripam Lausanensis lacus diei iter fecerat: Cumque iam occaso Sole ad hospitium diuertisset, & fratres qui eũ comitabantur, inter se de lacu ipso verba iactarent, rogauit vbi lacus ille fuisset. Postquam audiuit, miratus est, seque eum penitus non vidisse asseruit. Nec tamen mirum videri debet, si rem oculi cernere non potuerint, cui animus non attenderit, qui sæpius quidem cum Deo quàm cum hominibus erat. *In vita Bernardi. libr. 3. cap. 1. Sur. Tom. 4.*

Benedict. Abbas. AEQUAE altæ contemplationis indicium in Benedicto Abbate mirabilis visus præbuit. Nocte intempesta cælum per fenestram intuens Deum adorabat, quando lumen vidit, quo nox ipsa ita resplendui, vt cum die posset contendere. Mox totum mundum conspexit arcte atque angustè constipatum perexiguæ pilæ instar. Cœlũ quippe intuens, supra cœlum mente euectus est, & per creaturæ considerationem, ad Creatorem vsque peruenit. Illius ergo lucem, quam animo agitauerat, oculus vidit, & in illius luce tanquam in speculo mundum vniuersum. Sed ideo quidem tã paruum, quoniam tanquam momentum statera (vt Scriptura ait) sic est ante Deum orbis terrarum, & tanquã gutta roris antelucani, qui descendit in terram. *Greg. Dialog. lib. 2. cap. 15.*

Sapiẽ. 11.

Francisc. SED quid nunc de te, Pater Francisce, dicam? Quantum tibi quoque adhuc in terra degenti tua contulit contemplatio? Vidisti fulgentem Saluatoris nostri crucem, vidisti sanctum Seraph. à quo Seraphicus dici meruisti. Inde tibi singulari quodam priuilegio Dominicæ crucifixionis cicatrices corporaliter vendicasti, vt cuius paupertatẽ, mãsuetudinem, humilitatem fueras imitatus, eius etiam sacratissimæ Passionis signa in manibus, in latere, in pedibus referres, & cum Paulo gloriari posses, dicens: Christo cõfixus sum Cruci: viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus. Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego

Galat. 2.

Galat. 6.

Digitized by Google

go mundo. Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore *Matt. 25.*
o porto. O felicem seruum, cui Dominus quinque tra-
it talenta, vt quibus ille perditum redemit mundum,
labentem repararet Ecclesiam. *In vita Fanrisc. caput.*

NVNC quæ fœminis in meditando miracula contigêre, *Fœminæ.*
instituti nostri ordo seruetur, referamus.

MARIAM Magdalenam, cùm in solitudine ætatem a- *Maria*
eret, statutis diei horis super cœlum ab Angelis vectatã *Magdale-*
aduntquòd si (vt aiunt) in corpore, cùm Apostolus de se *næ.*
lubitet, quanti illam meriti fuisse dixerim? Mirarer post
næc mori potuisse, si non eodem die semper ad terras re-
latam dicerent. Tantillum temporis in illis æternitatis lo-
cis morabatur, quantum comperere poterat mortali. In-
terim ergo, etiam corpori proxima pilli inhærebat, quem
mente atque animo nunquam amittebat: adeò assidua Dei
meditatio prius carnem ipsius cælo dignam fecerat, quam
terreno labe liberam. Et si tantus fuit Mariæ in deserto
contemplantis fructus, quanta est nunc in Paradiso cum
Christo regnantis gloria? Iam ibi perpetuò habitat, vbi
quondã vel vnius horæ momento mansisse felicitatis fuit.
Silvest. Prieras, & alij, Sur. Tom 4.

MARIAM quoque AEgyptiacam, quæ Vrbanæ luxuriæ *Maria*
mollitiem eremi asperitate fregit, Zozimas Abbas oran- *Aegyp-*
tem corpore supra terram suspenso altitudine ferme cubi- *tiaca.*
tali vidit. Itaque quantum olim per corporis turpitudi-
nem in profundum perditionis corruerat, tantum postea
per mentis contemplationem, necdum sarcina carnis de-
posita, extolli meruit, dum oraret. Quàm malè cum illa a-
ctum erat cùm delicijs difflueret, tam deinde bene, cùm
resipiscere cœpit, & in sensu cogitare circumspectionem
Dei. *In vitis PP.*

ELISABETH Pannonum regis filia, cuius sæpe menti- *Elizabeth vidua.*
onem fecimus, dum se supra se tollens cœlestia medita-
tur, in extasim abibat, & mente cernebat, quod oculi per-
uidere non possunt: quod ne tum quidem, cùm ad se rediis-
set, dissimulare poterat, tantam etiam tacita facies hilari-
tatem præferebat. Eadem cum aliquando nimio labore fa-

Digitized by Google

tigata, lassáq; resedisset, oculis in cœlum intentis, fronte modò iucunda modò tristi apparuit. Et confessa est, se in nubibus vidisse Iesum, qui nunc se ostendens, lætam reddebat, nunc tegens, mœstam. Denique ipsum sibi dixisse: Bono animo est, filia: ego tecum sum. Et se respondisse: Ita Domine, tu mecum, atque ego tecum. Magnum profectò diuinæ liberalitatis beneficium, vt homo Deum alloquatur, maius, vt alloquentem audiat, maximum, vt vnà cum illo sit. Et tamen quoties eum contemplamur, nihil in fide hęsitantes, quoties eius amore desiderioque inardescimus, toties cordi nostro insidet. Et verè nobiscum atque adeò intra nos est, dicente Apostolo: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. *Conrad. Concion. Elizabeth.*

1. Cor. 6.

Elizab. virgo.

HINC etiam Elizabeth virgo, egregium Comagenfis monasterij decus, cùm sese cœlestium contemplationi penitùs dedisset, obstupefactis interdum corporis membris ac sensibus, diu veluti exanimis iacebat. Inde illi non pauca, quæ futura erant, diuinitus reuelata fuisse perhibent, solitamque beatæ Virginis frui colloquijs. Librum etiam, qui viarum Dei dicitur, Angelo dictante ab ea scriptum. Cùm hæc ita sint, nonne Paradisum habuit in terris, quoniam mente semper in cœlis fuit?

Clara.

CLARA Virgo beati Francisci præceptis imbuta, dignaque tanto magistro discipula, pridie quam natalis Domini veniret, ægrotauit, nec licuit illi cum reliquis sororibus ad agendas sacræ noctis precationes pergere. Verùtamen aduersa valetudo corpus impedire potuit, animum non potuit, & ancilla Christi adfuit in spiritu, vbi in carne adesse nequibat. Reuersis quippe sororibus, quicquid inter absentes actum dictumque esset ordine retulit, & mirantibus adiunxit: Sibi tunc ibidem loci, vbi absens cum ipsis fuit, Iesum puerum qua hora quondam nasci voluit, apparuisse. Iesum ergo deuotè contemplata, cùm in lectulo iaceret, omnia quæ procul in Oratorio agerentur, perspiciebat. Et quod ne ipsæ quidem, quæ illò conuenerant, viderunt, videre meruit. *Sur. Tom. 4.*

Eadem.

ALIAS etiam, à die cœnæ Domini, vsque ad Sabbatum sanctum, corporeorum sensuum vsu subtracto, quasi mortua

Digitized by Google

permanſit. Sed interim toto animi vigore in Deũ trãs-
, omnia dominicæ paſſionis myſteria ijsdem horis, eo-
ordine geri cernebat, quo geſta nouerat. Vbi autẽ cor-
i fuit reddita, haud ampliùs quàm vnius horæ ſpatio ſe
miſſe putauit. Ex quo facilè percipi poteſt, quàm illi
ũm erat huiuſce dormitionis ſpectaculum. Breue e-
videri ſolet omne quod delectat. Delectabat autem
,non Chriſtum pati videre, ſed vidẽdo compati Chri-
Ibidem.

Exhortatio ad cõtẽplationem, eiuſque fructus.

Nos quoque Sanctos pro virili parte imitati, abiecta at-
e contempta terrenarum rerum cura, ad cœleſtium me-
tationem accingamur. Penſemus quàm potens ſit, à quo
ndita ſunt omnia; quam ſapiens, qui gubernat vniuerſa;
iàm bonus, per quem cuncta quæ vbique ſunt conſeruã-
,ac in ſua natura permanent; quàm magnificus ſit, cui
mper adſiſtit cœleſtis militiæ innumerabilis exercitus,
ngeli, Archangeli, Throni, Virtutes, Poteſtates, Domi-
ationes, Cherubin & Seraphin, & omnis beatorum Spi-
ituum concio glorioſa. Quem viginti quatuor Seniores
n facies ſuas cadentes adorant. Et cuius Maieſtatem vene-
rantur centum quadraginta quatuor millia ſignatorum ex
omni tribu filiorum Iſrael, & illa omnis generis omniũq;
populorum turba, quam in Apocalypſi dinumerare nemo
poteſt. Hunc omnis ſpiritus laudat, omnis lingua confite-
tur, huic omnia famulantur elementa, huius nutui cuncta
etiam inanimata, & omni prorſus ſenſu carentia, abſque
vlla tardatione parent. Cùm igitur talem ac tantum cogi-
tauerimus, qualis quantusq; nec verbis explicari, nec cogi-
tatione poſſit comprehẽdi, ſemper Dauidicũ illud occur-
rat: Seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore.

Apocal. 4. & 7.

Pſal. 150. Rom. 14.

Pſal. 2.

Deibenefitia.

Geneſ. 1. Pſal. 8.

AD hæc, multum quidem nobis conferre poterit ſuorũ
erga nos beneficiorum aſſidua iugisq; meditatio. Ad ima-
ginem & ſimilitudinem ſuam nos fecit, cœlum, terram,
mare vſui noſtro ſubdidit, Patriarchas, Prophetas, leges,
cæteraq; multa egregia ſanè & admiranda, quæ in veteri
Teſtamẽto continẽtur, quibus & in viã iuſtitiæ & agnitio-
nẽ ſui pleniùs dirigeremur, nobis indulſit. Poſtremò cum
omne hominũ genus primorũ parentũ culpa ſub maledi-

Digitized by Google

cto deperiret pita vt neque lex ipsa quenquam iustificare
Hebr. 9. posset, miserrus nostri expandit pietatis sinum, Filiumque
Ioan. 1. suum vnigenitum nobis misit, qui non vitulorum aut hircorum, sed proprio sanguine nos redemit, & filios fecit lucis, qui fuimus tenebrarum. Erat enim Deus in Christo mundum reconcilians sibi, pro nobis Christus Dominus formam assumpsit serui, Discipulorum pedes lauit, paupertatem inopiamque sustinuit, persecutiones tulit, labores suscepit, omnia aduersa atque aspera tolerauit, ieiunauit, esuriuit, sitiuit, peruigilauit, fleuit, à suis proditur, ab impijs comprehenditur & ligatur, alapis cęditur, conspuitur, irridetur, flagellis verberatur, spinis coronatur, arundine percutitur, manibus pedibusque Cruci affigitur, felle aceto diluto sitiens potatur, lancea vulneratur. Denique occiditur ac sepelitur, Deus pro hominibus, Dominus pro seruis. Iustus pro peccatoribus. Quæ quidem omnia tam patienter excepit, vt & accusatus taceret, & pendens pro crucifixoribus suis oraret. Nos quoque ista tam grauia tãque acerba quotidie secum recensentes, quæ pijssimo Domino pro nobis subire libuit, vicissim enitamur, pro nomine illius quæcunque voluptatis & otij & arrogantiæ esse videntur, euitare: dura autem laboriosaque & humilia semper sectari. Ne fortè cùm ille ad iudicandum mundũ
Matth. 2. venerit, ipsi nulla præ nobis ferentes vitæ eius insignia, audiamus: Amen dico vobis, nescio vos: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Denique vt breuiter concludam: Dominus noster pro nobis mortuus est, & resurrexit. Commori Domino nostro nos oportet in humilitate, si cum illo cupimus consurgere in gloria.

De Scripturarum lectione. CAP. V.

His & alijs huiusmodi meditationibus eo commodiùs vtemur, quo diligentiùs lectioni Scripturarum incubuerimus. Ad quam accedere si quãdo fastidierit animus, excitandus erit ijs, quæ modo referem⁹, Sanctorum exemplis, vt eorum legendi studium secutus, fructũ quoq; percipere, quem illi perceperunt, mereatur.
Hilarion Abbas. HILARION Abbas in omni sanctitatis genere mo-

Digitized by Google

morandus, Scripturas diuinas (vt inquit Hieronymus) post orationes & Psalmos, quasi Deo præsente, recitabat. Quæ enim per Prophetas & Apostolos, dictante Spiritu sancto, prolata nouerat, ea non irreuerenter, nec inconsideratè, neque omnino ineptè legenda iudicauit. *Hieronym. in vita eius, cap. 3.*

Basilius Magnus.

BASILIVS ille magnus, cum primitus mundanæ philosophiæ studijs plurimum delectaretur, vbi deinde scientiæ spiritalis dulcedinem gustare cœpit, illa contempsit, & huic soli totum se dedit. Sunt qui eum dicant panis ac vini vsum sibi interdixisse, donec mysteriorum intelligentiam pleniùs perciperet. Parum erat secularem sapientiam diuinæ postposuisse: duo præcipua vitæ humanæ sustentamenta panem & vinum à se abdicauit, dum cibos colligit vitæ æternæ. Quorum suauitatem Propheta quoque admiratur, dicens: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine? super mel ori meo. *Sur. Tom. 1.* *Psal. 118.*

Hieronymus Presbyter.

DIVVS Hieronymus vanitatem seculi fugiens, Roma relicta, Ierosolymam petijt, & cùm nec adhuc se tenere posset, quin Gentilium libros, præcipuèque Ciceronis, auidiùs legeret, fatetur in quiete sibi visum fuisse, se ad superni Iudicis tribunal in cælum trahi, accusari, verberibus affici, quòd Ciceronianum dicerent esse, non Christianum. Denique cum iuramento dimissum, ne vnquam posthac alios, præterquam diuinos codices, præ manibus haberet: tanto deinde studio legisse diuina, quanto antè mortalia non legerat. Itaque latentium sub velamento mysteriorum dulcore iam tandem pleniùs hausto exclamauit, dicens: Quæ pars fideli cum infideli, quæ communicatio luci ad tenebras? quis consensus Christo cum Belial? Quid facit cum Psalterio, Horatius? cum Euangelijs, Maro? cum Apostolo, Cicero? Demum ait: Non debemus bibere simul calicem Christi, & calicem dæmoniorum. Eadem sentire, si quem non mouet admonentis autoritas, moueant saltem patientis flagella, quæ ille experrectus, cùm & vibices in corpore apparerent, & discedente somno, dolor non discederet, intellexit non soporis fuisse, sed punitionis. *Hieronym. Epist. ad Eustochium.* *2. Cor. 6.*

Digitized by Google

Augustin. Epiſcop. AVGVSTINVS dum inter Dialecticorum ſophiſmata Chriſtum quæreret, hæreſi ſe implicauerat Manichæorum. Tandem Pauli Apoſtoli epiſtolas euoluens, reperit ſcriptum: Induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Ac ſtatim diſcuſſis erroris tenebris, aſpicere cœpit lucem veritatis, conſuluitque Ambroſium Epiſcopum, quid primùm de ſcripturis legere deberet, quò iam confidentiùs Catholicæ fidei poſſet adhærere. Et audiuit: Iſaiam ſibi ligendum eſſe, vtpote qui ea, quæ in Chriſto contigerint, explicatiùs prophetarit, & Gentium vocationem annis multis poſt futuram, quaſi præſentem, viderit. Denique ab Ambroſio baptizatus, Diuinos codices perlegendo, non ſolum fidelis, ſed etiam Eccleſiæ Doctor præſtantiſſimus euaſit: cuius paulo antè, dum ſæculari tantùm ſcientiæ ſtuderet, fuerat oppugnator. Contra Eccleſiam cum Manichæo conſurrexerat: pro ea mox decertans, & ipſum & reliquos omnes hæreticos facilè conuicit. Scripturas igitur Catholicas legant, qui puræ ſynceræque veritatis luce cupiunt illuſtrari, dicente Propheta: Lucerna pedibus meis, Domine, verbum tuum, & lumen ſemitis meis. *Auguſtin. Confeſſ. lib. 8. cap. 12.*

Rom. 13.

Pſal. 118.

Thomas Aquinas. THOMAS verò Aquinati vaticinia Prophetarum legenti, vt alibi diximus, cùm in locum obſcuriorem incidiſſet, hæreretque velut in ſalebra, atque adeò intelligentiam efflagitaret, Petrus & Paulus Apoſtoli apparuerunt, & quod quærebatur exponentes, ſatis ei fecère. Id quoties legentibus nobis vſu venerit, doctiores conſulamus, vel Thomæ exemplo, à Deo eruditi inſtruique precemur: nec interim Scripturam, ab Eccleſiæ inſtitutione diſſentire putemus, ſed nos non intelligere. Et ſanè melius eſt, aliquid non intelligere, quàm malè intelligendo errare. *Anton. Pizam. Sur. Tom. 2.*

Quàm lègè aliter faciunt noſtri tèporis hæretici.

Idem. IDEM ſanctus ita ſolerti ſtudio lectitaſſe Scripturas perhibetur, vt interdum neque propriùs aſtantes viderit, neque interpellantes audierit, ſenſibus omnibus cum mente ſimul vni lectioni intentis. Hinc eſt, quòd ad confirmationem Fidelium, infideliumque confutationem, tales nobis Commentarios reliquit, vt nihil in Eccleſia quic-

Digitized by Google

quicquam scrupuli sit, nihil nodi, quod non explanatum in illis absolutumque inueuies. Declaratio sermonum eius illuminat, & intellectum dat paruulis. Et ipse verè Scriba doctus in regno cælorum, proferens de thesauro suo noua & vetera. *Ibidem.* *Psal. 118. Marc. 13.*

BERNARDVM Abbatem, cuius non inelegans ingenium, neque mediocrem doctrinam testantur Opuscula ipsa quæ edidit, nullo magistro vtum aiunt, sed sola legendi orandique assiduitate mysticos de Scripturis sensus elicuisse. Vt legeret, intelligendi cupiditas fecit: vt intelligeret, oratio impetrauit: vt autem impetraret, quid nisi vitæ sanctitas promeruit? Sic cupiat, sic oret, sic viuat, qui sic intelligere, Spiritu sancto docente, desiderat. *In vita Bernard. Sur. Tom. 4.* *Bernard. Abbas.*

BERNARDINVS, cuius prædicationibus Fratrum Minorum collegium creuit, primum quidem Pontificij iuris disciplinis operam dedit: postquam autem ad Theologiam animum applicuit, ei studio se prorsus totum tradidit, adeoque ipsum delectauit de Deo sermo, vt mox relicto seculo, Religionem sit ingressus. Itaque iuris peritia virum quidem bonum constituit, sed Theologiæ ratio etiam perfectum reddit. Altera neminem offendere docet, altera semetipsum quoque abnegare, & Crucem tollere, & Christum sequi omnibus suadet, multisque persuadet. *Sur. Tom. 3.* *Bernard.* *Matth. 16. Marc. 8.*

SACRARVM literarum studiosissimum etiam Stephanum Presbyterum Constantinopolitanum fuisse accipimus. Qui quoniam omni vitæ perfectione præstantissimus fuit, videtur, quicquid legerat, opere implesse. Vt se probaret, non viam, de qua semen verbi Dei ab auibus auferetur: non petrosam, in qua arescit: non spinas, in quibus suffocatur, sed terram illam bonam, in quam cùm ceciderit, fructum affert virtutum. *Nicephor. lib. 12. & Zonar. in Capron.* *Stephanus Presbyter.* *Matth. 13. Luc. 8.*

EQVITIVS Valeriæ vrbis monasterij Abbas, nè qua die deesset quod legeret, quocunque ibat, scorteas manticas libris refertas secum deferebat, neque illi oneris huius molesta erat grauitas, dum lectionis sacræ compen- *Equitius Abbas.*

sa-

Digitized by Google

pensatur vtilitas. Sic nec militem strenuum ferrea lorica, cassis, ensisque grauant, quæ sibi saluti fore sperat. Vtque ijs munitus in certamen prodire, & confidenter cum honesto congredi solet; ita qui sele lectionibus diuinis libenter instruit, omnia diaboli machinamenta facilè contemnit. *Gregor. Dialog. lib. 1. cap. 5.*

Antonius Monach.

ANTONIVS monasterij olim à B. Gregorio Romæ constructi monachus non (vt multi) captiosam argutamque scientiam in legendo perquisiuit, sed piè viuendi doctrinam, cordis compunctionem, pœnitentiæ lachrymas. Illis duntaxat lectionibus occupabatur, vnde tales fructus posset carpere: multo malens effici sanctus, quàm variarum quæstionum dissertatione eruditus, cùm scriptum

Eccli. 18.

sit: Melior est indoctus timens Deum, quàm doctus transgrediens legem. *Gregor. Dialog. lib. 4. cap. 47.*

Gerualius & Prothasius.

GERVASIVS & Prothasius gemelli fratres, qui se, vno partu editos, non magis formæ quàm morum similitudine comprobabant, cùm persecutionem fugientes, annos decem domi latuissent, toto eo tempore nihil aliud quàm orasse atque legisse narrantur. Quantæ autem hoc vitæ institutum perfectionis esset, diaboli inuidia patuit. Qui in idolo loquens dum consuleretur, non se prius responsa daturum dixit, quàm Geruasius Prothasiusque sibi thura adolerent. Sed qui legendo fidem, orando constantiam perceperant, occidi potuerunt, cogi autem vt Christum negarent, non potuerunt. Itaque inimici malignitas atque doli in contrarium cessêre: quos perdere cupiebat, martyrij corona honestatos vidit. Armis enim, quæ de manibus illorum eripere cogitauerat, ipse victus succubuit, hoc est, oratione & lectione. *Ambros. Epist. 85. Metaph. & alij, Sur. Tom. 3.*

Seruulus.

SERVVLVS mendicus, & æger, & literarum ignarus, Ecclesiastica opuscula ex eleemosynis comparauerat, alijs quidem legenda, quoties lectorem nactus fuisset; sibi verò auscultanda atque ediscenda. Audiendi assiduitas reddidit eruditum, vt in alijs memoriter prædicaret, quæ ipse legere nesciebat. Quo magis illi arguendi sunt, qui literatura imbuti, proficere negligunt, & legendi laborem

Digitized by Google

fugientes, otio sese ignauiæque corrumpendos tradunt. de fit, vt ad omnem fortunæ ictum pauidi imbecilles sint. At Seruulus noster mundi calamitates ridens, impiam diuitijs, ægritudinem sanitati præferebat. Quia lectiones audiendo didicerat: Vsque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis. *Gregor. 4. Dialog. cap. 14. & homil. 15. Euangel.* *Eccli. 1.*

QVAM verò grata acceptaque Deo sit sanctæ lectionis cura, miraculorum quoque testimonijs probari potest. Eadmundus Cantuarienſis Archiepiscopus, dum Biblia legit, soporatur, candela ardens super paginas delapsa ipsa consumitur, sed librum inoffensum reliquit. Flamma ceras deuorauit, chartam non adussit, vetita literas delere, quas Dominus extare, vt perlegantur, voluit. *Abb. Floriacon. Sur. Tom. 6.* *Eadmundus Epiſc.*

IDEM cùm aliquando inter legendum obdormisset, mox expergiscens, lucernam extinctam reperit, & legendi sibi occasionem sublatam dolens, Sanctam Virginem inuocauit, lucernaque repentè illuxit. Hinc illis legendo quod cœperat prosecutus est, cùm priùs Deo & Deiparæ Virgini gratias egisset, quòd sic fauerent ijs, qui sacris lucubrationibus libenter inuigilant. *Ibidem.* *Idem.*

SED ne fœminas quidem ab hoc studij genere alienas fuisse monstrabimus. Traditum est, hanc ipsam (cuius modò mentionem fecimus) sanctam Dei genitricem Virginemque Mariam, ab hora diei nona vsque ad occubitum Solis, lectionibus veteris Testamenti sese exercuisse, vt scias huic rei tempus certum deceruni oportere, sicuti & orationi cæterisque huiusmodi negotijs. Nam vt arborum fructus, qui statutis diebus proueniunt, paulatim aucti dulcescunt, qui autem præcoces vel serotini, id est, non suo tempore apparent, sæpe decidui sunt, & priùs corrumpuntur, quàm ad maturitatem peruenerint: ita religiosæ actiones, ordine seruato, iuuant: confuso, tædium sui faciunt, & plerumque mentis affectum languere cogunt. *Fœminæ.* *Virgo Dei genitrix Maria.*

EI curæ nocturnum tempus Syluia Ruffini Alexandriæ præfecti soror dedicauerat, quam quidem eloquentissimam *Syluania legit Pulladium.*

Digitized by Google

mam fuisse aiunt, & cùm in eremo Thebaidis vitam duceret, fama sanctitatis plurimum claruisse. In solitudine ergo inuenerat, quemadmodum sola non esset, eorum propè consuetudine ac familiaritate vtens, quorum in Deum pietatem lectitando considerabat, considerando æmulabatur, æmulando æquabat. *Pallad. Hist.* 142.

Cæcilia. CAECILIA Romana Patritij quidem generis virgo, sed fidei claritate superans genus, dicitur Euangelicum codicem nunquam à se dimisisse, & si quò illi eundem esset, in sinu repositum secum tulisse, colloquijs eius in Scripturis assiduè fruens, quem gestabat in præcordijs. Sic castitatem conseruauit, sic ad Martyrij palmam peruenit, tormentorumque acerbitatem forti animo pertulit, dum ad Christum festinat, cuius dulcedine quotidie aliquid de illo legens capta fuerat. *Metaphrast. Sur. Tom. 6.*

Marcella vidua. DE Marcella verò vidua nobili ac sancta fœmina Hieronymus sic ait: Diuinarum Scripturarum ardor incredibilis ei semper cantabat: In corde meo abscondi eloquia
Psal. 118. tua, vt non peccem tibi. Et illud de beato viro: In Lege
Psalm. 1. Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Meditationem Legis non in replicando, quæ scripta sunt (vt Iudæorum existimant Pharisæi) sed in opere in-
1. Cor. 10. telligens, iuxta illud Apostolicum: Siue comeditis, siue bibitis, siue quid agitis, omnia in gloriam Domini facien-
Psal. 118. tes: Et Prophetę verba dicentis: A mandatis tuis intellexi, vt postquam mandata complesset, tunc se sciret mereri intelligentiam Scripturarum. Quod & alibi legimus. Quia
Act. 1. cœpit Iesus facere & docere. Erubescit enim quamuis præclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia, frustraque eius lingua prædicat paupertatem & docet eleemosynas, qui Crœsi diuitijs tumet, vilique opertus pallio, pugnat contra tineas vestium sericarum. Hæc ille: *Hieronym. Epist. ad Marcellam.*

Hieron. ad Furiã. Matth. 13. SED idem & ad Furiam viduam scribens: Post Scripturas sanctas, inquit, doctorum hominum tractatus lege, eorum duntaxat, quorum fides nota est. Non necesse habes aurum in luto quærere: multis margaritis diuenditis, vnam redime margaritam. *Hieronym. Epist. ad Furiam.*

ILLI

Digitized by Google

LLI igitur haud immeritò reprehendendi sunt, qui tilium Poëtarum nænijs figmentisque deliniti, ne re- ere quidem ad Scripturas sacras volunt. Delegerunt magistros (vt Apostolus ait) prurientes auribus, & à itate quidem auditum auerterunt, ad fabulas autem uersi sunt, & tamen eò impudentiæ processêre, vt se tos putent, cùm mendacia didicerint. Sed estò, eruditum famam consecuti sint, apud omnes magnæ æstimanis habeantur, ab omnibus vbique prædicentur. Nunc vita defunctis, cùm ad inferos descenderint, inter menta horribilesque cruciatus, vacabit post se relictæ dis nuntios audire? & non magis magisque affligentur um rerum recordatione, quibus effectum est, vt ad tam lerandæ sortis perpetuam infelicitatem deuoluerenQuàm tunc vellent, animarum suarum saluti, non ni gloriæ comparandæ, operam impendisse, cùm iam cantu personatus fletus, & pro cithara dentium strir, cùm iam pro iocis, & lusibus, & risu prement tenebræ, torrebit ignis, rodet vermis, nunquam conquiescent a atque horrenda supplicia. Hic fructus, hæc merces oris eorum erit, qui poesim præponunt Euangelio, id est, rrabam Christo. Non me quidem fugit, quosdam sanorum multa etiam versibus lusisse, sed quæ ad Christiam dogma pertineant, non quæ sapiant gentilitatem, ocul est ab ore eorum Saturnus, Iupiter & Mars, cætera non numina, sed portenta, quæ Christianæ religionis ertores vt adorarent, nullis minis, nullo vnquam supicio compelli potuerunt. Nobis, si quos aliquando vel oeticæ fabulositatis, vel mundanæ sapientiæ libros euolere cupido incesserit, enitendum erit, vt inutili delectaone penitus secluſa, id solum exquiratur, quod piæ institionis disciplinam iuuare possit. Itaque secernenda erit voluptate continentia, à lasciuia honestas, ab omni vio virtus. Zizania paleæque leues in fasciculos colligenæ ad comburendum, triticum verò in horreum, ad saluioris vitæ vsum, recondendum. Neque tamen his cõrenDomini nostri sermones, in quibus perfectæ consumatæque iustitiæ certissima documenta sunt, die vllo vel

In eos qui fabularũ magis quàm veritatis lectione delectantur.

1. Tim. 4.

legere

Euangelia aliaque sacra scripta.

legere vel audire prætermittamus. Quoties ab ijs discedimus, toties periclitamur, ne in sempiternæ perditionis barathrum corruamus. Horrent verba, iacet oratio. Sed si maturè discutiantur, nihil est eorum præstantia sublimiùs, autoritate grauius, traditione verius, præceptione iustius, sensu suauius, pollicitatione felicius. Abest quidem nimis compti eloquij lenocinium, & elaboratæ dictionis ornatus, quoniam sua synceritate satis nitida veritas non indiguit fuco alieno. Et quod æquè ad omnes pertinebat, communi sermone tribunalibusque verbis exponendum fuit. Alioquin alij non intelligerent, alijs autem daretur calumniæ locus, qua credentium numerum argutæ potiùs facundiæ, quàm rectæ fidei ascribere conarentur.

De fide vnius Dei contra Gentiles.

CAP. VI.

QVAM ipsam fidem nos peropportunè nunc more nostro exemplis astruere pergemus, ne quis in scrupulum aliquem incidat infidelitatis, cùm nusquam plus periculi sit. Impossibile enim est (vt Apostolus ait) sine fide placere Deo.

Hebr. 11.

Abraam Pater.

PER hanc autem primùm placuit pater noster Abraam. Cùm enim promissiones seminis sui, id est, Christi, in quo benedicendæ omnes nationes erant, accepisset, sic de illo scriptum legimus: Credidit Abraam Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Non est autem scriptum tantùm propter ipsum, inquit Apostolus, quia reputatum est illi ad iustitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur, credentibus in eum qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. *Genes. 15.*

Genes. 15.
Rom. 14.

Moyses.

AD hæc fidei veritatem sæpissimè apertissimeque ostendit errantium pertinax contentio. Moysi signa & miracula diuinitus operanti, cùm diu restitissent Pharaonis malefici incantores, victi tandem confitentur, dicentes: Digitus Dei est hic, Pharao, qui cedere noluit, perijt. Fidelibus verò mare ipsum, discussis aquis, vt illæsi euaderent, siccum præbuit

Exod. 8.
Ibid. 14.

Digitized by Google

præbuit iter, fideique virtutem etiam insensibilia senserunt, Pharaonis duritia non admisit. In aquis maris Pharao, in aquis Baptismi diabolus interijt: credentes verò saluati sunt. *Exod.* 8.

ELIAS quoque Propheta cum prophetis idoli Baal contendens, coram Achab rege in monte Carmeli, vt eos qui auersi erant reuocaret, ita conuenit, vti duos boues in frustra concisos, super geminam lignorum struem separatim componerent, offerentes holocausta pro se quisque Deo suo. Et cuius Deus ignem mitteret ad perficiendum sacrificium, is esset omnium Deus, alijs Dijs repudiatis. Sacerdotibus ergo Baal & Prophetis nomen Dei sui, à manè vsque ad meridiem frustra inuocantibus, vbi ad Eliam sors inuocandi peruenit, struxit altare de lapidibus, fossa circumdedit, ligna cum carnibus superposuit, omnia aquis perfundi, donec fossa impleretur, iussit. Et cùm Deum Abraam, & Isaac, & Israel inuocasset, illicò ignis è cælo delapsus carnes, ligna, lapides, aquamque & omnem fossæ limum hausit atque absumpsit. Quo miraculo commotus populus, & in Deum verum credidit, & Eliæ seruo eius obediuit, mactans Prophetas Baal, Deo volente vt qui mortiferum idolorum cultum alijs persuaserant, impietatis crimen morte luerent. Et quoniam propter illorum flagitium atque scelus diutina siccitate (annos enim tres & menses sex non pluerat) omnia in agris exaruerant, orante Elia, Dominus dedit pluuiam, & terra protulit fructum. Fides restaurauit, quod vastauerat perfidia. *Elias Propheta.* *3. Reg. 18.* *Reg.* 18.

De fide Christi contra Iudæos.

CAP. VII.

CREDERE deinde in Iesum Christum Dei filium, Patribus promissum, nobis datum, & quicquid de illo Apostolica autoritate sancitum firmatumque nouimus, quàm certum atque indubitatum sit, cùm verum Prophetarum iam impleta vaticinia, tum quotidiana penè miracula, tum etiam itidem, vt suprà multorum

Digitized by Google

torum in diuersum agentes, eiectæ tamen explosæque sententiæ docent.

Stephanus Protomartyr. Actor. 6.

PRIMVS ergo Religionis nostræ propugnator Stephanus, cùm signa & prodigia faceret in populo, infidelium in se inuidiam concitauit. Conspirant omnes de synagoga Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Ciliciæ, & Asiaticorum, vt inita cum illo disputatione, fidem ab eo prædicatam, quoquo modo possint, fugillent. Nec tamen resistere potuerunt sapientiæ & spiritui qui in Sancto loquebatur, & dum pudet tam multos ab vno superatos, innocentem blasphemiæ aduersus Moysen infimulant. Postremò quem argumentis vincere non poterant, vi opprimunt, & lapidibus obruentes enecant. Tantum autem profecerunt, vt nisi sic egissent, minùs patuisset, eos de fide disceptando succubuisse. Obstinatorum enim est, cùm ratione nequeunt, malignitate cõtendere. Sed si fidelis cælos ad se suscipiendum apertos vidit, quis dubitat, quin infidelibus ad eos diglutiendos aperiatur infernus? *Actor. 6.*

NEC tamen omnes vsque adeò obfirmato nisu repugnarunt, vt non quàm plurimi eorum victos se fatererentur, veritatique concederent. Nam (vt Lucas de Apostolorum gestis scribens testatur) Petro Ierosolymis Christum euangelizante, die vno tria millia hominum baptizati sunt: Et quidem in tanta fidei vnitate, vt omnia inter eos communia haberentur. Altero etiam die, eorum qui Christo credidêre, quinque millium numerus fuit: indies præterea crescente multitudine, de synagoga ad Ecclesiam, de circuncisione ad Baptismum salutis confluentium. *Actor. 2. &c.*

Petrus Apostol. Actor. 2.

SED dicet aliquis veritatis calumniator, facilè fuisse rudem plebeculam verbis decipere, suasione supplantare. Quid? Paulus in Lege doctissimus, qui priùs spirans minarum & cædis in Christi discipulos erat, nónne mox conuersus eorum, quos persequebatur, factus est socius, collega, co-postolus? nónne synagogas ingressus prædicauit, quòd Iesus esset Christus Dei filius? Denique qui priùs in gratiam Iudæorum vinciebat Christianos, idem deinde pro Chri-

Paulus Actor. 9.

Digitized by Google

pro Christianis confundebat Iudæos qui Damasci erant. Qui, cùm quod responderent non habuissent, in necem illius coniurarunt. Sed qui iam apertis mentis oculis Christum aspiciebat, nullis minis, ne illum prædicaret, coërceri poterat; atque in ipsum, qui vita est credenti, mortem non pertimescebat. *Actor. 9.*

CONTENDIT cum illis & Sylvester Pontifex, sed ita fœlici successu, vt superatos baptizaret. Hic primus Romanum Imperium Christo subdidit, Constantino Cæsare in fidem recepto. Constantini verò mater Helena, cùm esset in Bithynia, vt conuersionem filij audiuit, eidem scripsit, se quidem gaudere, quòd idola vana reliquerit, sed molestè ferre, quòd hominem crucifixum adorare maluerit, quàm Deum Iudæorum. Postremò cùm vtra eorum vera esset opinio, disceptatione dirimi placuisset, Helena Romam rediens, Pharisæorum Scribas in Lege peritos secum aduexit, ex his duodecim præstantissimos delegit vni Sylvestro aduersaturos. Causæ cognitio alienæ sectæ viris defertur, ne iudicium suspectum foret, id est, gentilibus Philosophis, Cratoni Zenophiloque. Quibus tandem Sylvestri rationes approbantibus, ventum est ad experientiam miraculorum. Iudæus Zambri magicis incantationibus taurum ferocissimum repentè corrui mortuum fecit, sed eundem Sylvister, Christum suum precatus, & viuum & mansuetum reddidit; quod ille efficere nequibat, vtpote mortis, non vitæ, scientiam tenens. Omnes ergo se vicos fatentes, ipsi Sylvestro consensêre, & Iesum, quem odò calumniati fuerant, sanctè colere atque adorare ceperunt. Impletum est illud Isaiæ vaticinium dicentis: *Sylvester et Papa.*

Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te; & adorabunt vestigia pedum tuorum, qui detraxerunt tibi. *Isaiæ 60.*

Pontifical. cap. 34. Metaphrast. & alij, Sur. Tom. 6. Mart. Ward.

CONSTANTINVS præterea Christiano nomini tempositi, dona contulit, vrbem, oppida, agros cessit. Quod idem Propheta præuiderat futurum, sic olim ad nouam hanc nouam Ierusalem loquens: Aedificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. *Constantinus Augustus. Isaiæ 60.*

Digitized by Google

tibi. Et iterum: Suges lac Gentium, & mammilla regum lactaberis. Tunc primùm quidem Roma ipsa, Ecclesiæ iugum vltrò susceperit, multò feliciùs iam Christo seruiens, quàm quondam orbi terrarum imperitans. *Euseb. de vita Constant. lib. 4.*

Basilius Magnus.

BASILIVS Magnus eò quidem maior, quòd iam desperatæ pertinaciæ virum euidentissimi tandem experimenti argumento ad credulitatem egit. Cùm enim morbo grauiter affectum Ioseph Iudæus medicus adiens, deprehensis mortis signis, eum vesperi illius diei decessurum dixisset: Quid, inquit, si & alterum diem superuixero? se ille tunc Christianum fore, cùm id contigisset, respondit. Igitur Basilius non vitæ suæ in terris producendæ, sed salutis proximi cupidus, orando à Domino impetrauit exitus dilationem. Manéque hora tertia sanus de lectulo consurgens, ad Ecclesiam venit, ac Iudæum tanto miraculo stupentem baptizauit. Et quem sæpe antehac testimonijs conuictum Scripturarum flectere nequiuerat, fidei tandem virtute molliuit. Mox deinde ad stratum suum rediens, extemplò expirauit: Ita vt dubium non sit, quin hora illa, qua prædictum erat, fuerit moriturus, nisi mortis suæ mora vitam medico esset allatura. *Amphiloch. in vita Basilij.*

Ioannes Damascenus.

IOSEPHI huius cæterorumque conuersionem minùs mirabitur, qui animum attenderit, quòd Ioannes Damascenus Mesuæ Iudæi filius, Iudæorum omnium doctissimus, Hæbraicis Græcisque literis æquè eruditus, nemine cogente, contulerit sese ad Christianitatem. Nunquid nesciuit Legem? Ignorauit Prophetas? Non intellexit Psalmos? Imò quia ista omnia percalluit, ideo credidit in

Ioan. 5.

eum, quem in ijs scriptum reperit, ipso dicente: Scrutamini Scripturas: illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Et iterum: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Signanter (vt mihi videtur) dixit forsitan. Sciebat enim quosdam ex illis futuros, qui etiam Moysi credentes, magis eligerent obstinatione sua perire, quàm Christum à Moyse & Prophetis præmonstratum confitendo suscipere, & per eum saluari. Neque enim

Digitized by Google

enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus (vt Petrus Apostolus ait) in quo oporteat nos saluos fieri. *Ioan. Patriarch. in vita eius.* *Actor. 3.*

De fide Christi contra Gentiles.
CAP. VIII.

VICIMVS Iudæos: nunc vertenda est acies aduersus Gentilium fatuitatem, quorum Dij dæmonia erant.

BARTHOLOMAEO Apostolo in partibus Indiæ Templum ingresso, idolum Astaroth desijt responsa dare, atque obmutuit. Demum iussu Apostoli se non Deum, sed diabolum esse, seductorem hominum, confiteri cœpit; vt cùm sibi cultum diuinum exhibuerint, secum simul ad inferna corruant. Tunc rursum iubente Apostolo simulachrum in puluerem redigitur, teterrimus dæmon catenis circumligatus, visibiliter apparet, omnibusque palàm fit, quàm peruersa hactenus fuerit, eorum religio. Ille magno & horrendo edito vlulatu, è medio abijt, populus conuertitur, Templum Deo vero dedicatur, Polemus rex baptizatus, relicto regno, Apostolum sequitur, vt in paupertate Christum adoret, qui in diuitijs & potentatu adorauerat diabolum. *Abdias.* *Bartholomeus Apostolus.*

EPHESII quoque fidem à Ioanne Apostolo prædicatam recepturi, vt eam signis approbaret, petierunt. Qui Christi nomine inuocato, vetustum Dianæ Templum ruere fecit, vt in qua illi plus confidebant, minus pro ipsis valere intelligerent: quandoquidem semetipsam Dea defendere nequibat. Aristodemus verò templi Antistes adhuc incredulus, aliud etiam experimenti genus perquisiuit. Venenum propinat, quo dudum capitis reos necauerat. Id acceptum Apostolus hausit inoffensè. Et impletum est, quod Dominus noster de credentibus prædixerat: Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Ipsos insuper, qui necati fuerant, ad vitam reuocauit. Tunc demum Aristodemus, & qui spectaculo aderat Consul, reliquumque vulgus, derelicta idolorum superstitione, ad salutis lauacrum confugerunt. Et Apostoli iussu per omnem Asiam, euersis Deorum simulachris, Crucis vexillum erexêre, *Ioannes Apostol.* *Marc. vltim.*

Digitized by Google

1. Cor. 3. cùm iam compertum haberent, verbum Crucis pereuntibus quidem stultitiam, his autem, qui salui fiunt, Dei virtutem esse. *Abdias.*

Pergentinum & Laurentinum fratres.

ARETII verò Tiburtius Præfectus, Pergentinum & Laurentinum fratres, ne Christum prædicarent, suasionibus primùm blanditijsque lactat. Vbi id parum successit, comprehensos fustibus verberari iubet, verberantium brachia aruerunt. In carcere conclusis cibum denegat, ab Angelo aliti sunt. Eductos super candentes prunas ambulare nudis pedibus cogit, vt super arenam, ierunt illæsi. Allato Iouis simulachro vt adoraret, minaciter hortatur: Illis autem Iesum inuocantibus, æneus Iupiter in puluerem solutus perijt. Parum nempe fuerat Tiburtij fæuitiam immanitatemque calcasse, nisi & Deos eius contriuissent. Multi Gentiles, cùm illos Dijs suis fortiores vidissent, ad Christum conuersi sunt. Ad impijssimus tyrannus capite eos postremò cædi iussit, nullo tamen manifestiore indicio victum se ostendens, viuere permisurus quos occidit, si vicisset. *Sur. Tom. 3.*

Augustinus Anglorum Episcopus.

AVGVSTINVS præterea Anglorum Episcopus, à Gregorio Pontifice (vt Beda tradit) in Britanniam missus, cùm Iesum Dei filium asseruisset, Edilbertum regem, magnamque Procerum eius partem credentes baptizauit. Cæterùm multis adhuc religioni refragantibus, cum idolorum Pontificibus contendit. Qui quoniam satis firmam rationem, qua causam suam tueri possent, non habebant: miraculis certare decernunt, atque oculis captum quendam in medium producunt, nescientes minus veri se videre, quàm ille lucis, pro eo, vt visum reciperet, supplicarunt Dijs, quasi verò lapides preces possent audire, & non etiam ipsi cæci, insuper & surdi, & muti essent. Cùm ergo cura laborque eorum omnis ineassum recidisset, Augustinus Christum suum deprecatus, fine cunctatione hominem sanum reddidit, & reliquam plebem eo signo conuertit, Britanniam totam eripiens diabolo, & subijciens Christo. Tunc terra illa inculta (iuxta Ezechielem) facta est vt hortus voluptatis, iam exuberans fructibus salutis. *Ezech. 36. Beda hist. lib. 1. cap. 25. 26.*

QVID

QVID de Mutio Abbate dicemus? Qui dum esset Gentilis, natura ferox, & latrocinijs deditus, ita vt etiam Sanctorum delubra expolijndo prophanaret, vidit tandem in quiete virum forma habituque augustiore quàm humano, comminantem sibi necem, nisi protinus à flagitijs sacrilegioque se submoueret. Cumque pauore perculsus repentè euigilasset, nihil moratus ad Ecclesiam confugit, & baptismate suscepto eremum petijt. Tantæque sanctitatis fama breui illustratus est, vt aliquando iter faciens, Solem stare (sicuti de Iosue & Ezechia legimus) feciſſe feratur. Iactent se Gentiles Romani orbem subegisse terrarum, virtute ac robore ante omnes semper stetisse: Sideribus imperare, non nisi fidelium fuit. *In vit. PP.* *Mutius Abbas.* *Iosue 10. 1. Par. 4.*

PRAETER hæc etiam licet populus Romanus omnes reliquas nationes suo subiecerit imperio, lateque dominatus sit, fidem tamen Christianam euertere (cùm maximè conaretur) non potuit. Cædes passim in Christianos sæua atque horrenda peragebatur, sed interdum, & ij, qui eos cædebant, repentè mutati conuertebantur, & iam credentes in Martyrum numero censeri gaudebant. Ita vnius supplicium, conuersionis multorum causa erat. Videbant enim signa inde sequi, pro quibus vitam hanc deseri, non graue videbatur, sed iucundum. Aut si nihil viderint (vt quidam calumniati sunt) maius profectò miraculum est, nullo apparente miraculo, simplici nudoque sermoni credidisse mundum, & ipsos quoque Romanos Imperatores ijs tandem cessisse, quos disperdere decreuerant. Qui cùm omnium potentissimi essent, totis viribus persequebantur pauperculos homines, inermes, nudos, non repugnantes, sed occidi pro Christo cupientes. Et ecce persequendo, torquendo, occidendo victi sunt. Quam enim religionem Dijs suis obsequendo delere nitebantur, eandem contempta inanium Deorum cultura vltrò susceperunt. Neque illis rubori fuit fidem Christi palàm profiteri, quam palàm oppugnantes expugnare nunquam potuerunt. Reliquum est, vt tanto triumpho læti ac gestientes concinamus: Omnes Dij Gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit. *Fidei vim superauit.* *Psal. 95.*

Digitized by Google

De fide Christi contra Magos.

CAP. IX.

AT quoniam non defuerunt, qui Christicolarum supra humanam naturam virtutem Magicæ arti deputarent, operæpretium est referre, qualiter ab his, Magi quoque ipsi confutati sunt, vt appareat, non fuisse maleficia, quibus etiam maleficiorum magistri succubuerunt.

Simon Magus.

MAGORVM igitur princeps Simon, Samaritanos præstigijs dementabat, & eò temeritatis proruperat, vt se Dei virtutem magnam diceret. At cùm Philippus Diaconus illò accessisset, & Euangelium Christi miraculorum

Actor. 8.

operationibus confirmasset: Samaria verbum Dei accepisse dicitur, & ad Baptismum simul venisse. Nónne ideo, quia maiora quædam certioraque in discipulo Domini deprehendit, quàm deprehenderat in Mago? Qui vbi se Philippo longè inferiorem vidit, & ipse credere se dixit, baptizari voluit, non fidei ardore, sed operum, quæ ipse facere nequibat, cupiditate: ratus, recepto baptismate, se etiam æquè grandia admirandaque facturum. *Actor. 8.*

Petrus Apostol. Actor. 8.

VENIT deinde Petrus, & cùm baptizatis manum imposuisset, acceperunt Spiritum sanctum. Hinc Simon offerre pecuniam cœpit, petens sibi potestatem dari, Spiritum sanctum conferendi cui vellet. Nunquid igitur Magus Apostolus? Cui Simon supplicat, & se quidem non habere, quod ille habebat, auidiùs poscendo manifestat. Pecuniam autem offert, sperans, si petita obtineat, multum se inde lucri facturum. Sed qui spiritalia credentibus gratuitò erogabat, maledixit procacis hominis peruersam nequitiam, quam ille donum Dei pecunia parandum putauit. Qualis ergo arbor, talis & fructus eius. In malefico infirmitas & auaritia, in Christi seruo virtus & pecuniarum contemptio. *Ibidem.*

POST hæc Simon (vt quidam Scriptores asseruerunt) de Samaria Romam vnà cum suis maleficijs se transtulit. Et cùm eodem loci Petrus & Paulus aduenissent, cum ipsis

Digitized by Google

ipſis coram Nerone miraculis certauit. Denique ſe relictis terris cœlum petiturum dicens, à ſpiritibus immundis in aëra ferebatur, iamque ferè omnes Simonem verè Deum eſſe acclamabant. Tunc in tanto errantium periculo, Apoſtoli minimè cunctandum rati, ſpiritibus in nomine Chriſti præceperunt, vt illum dimitterent. Itaque dæmonum auxilio deſtitutus, præceps ad terram corruit, ac repentino eliſu extinctus, qualis ipſe Deus eſſet oſtēdit. Dignus certè qui ſic interiret, ne illi, quos maleficis incantationibus deluſerat, pernitioſa crudelitate perirent. *Egeſip. de excid. Hieroſ. libr. 3. cap. 2.*

PAVLVS Apoſtolus cùm Paphum applicuiſſet, Barrieū Elymam magum, qui Paulum Cypri Proconſulem à fide auertere moliebatur, cęcitate damnauit, vt nec Solem hunc ſuper iuſtos & ſuper iniuſtos oriētem poſſet aſpicere, qui tam aduerſus abibat à Sole iuſtitiæ. Proconſul autem Apoſtolum ſecutus, Magum contempſit, nec in illo veritatis lumen eſſe iudicauit, qui oculorum lumen amittere dignū fuit; ſed in illo, qui dum veritatem doceret, eum, qui veritati repugnabat, in tenebris reliquit. *Actor. 13.* *Paulus Apoſtol.*

PHILETES quoque Hermogenis Magi diſcipulus, cum Iacobo maiore de fide certamen iniit; victus autem credidit, & ad Magiſtrum ſuum reuerſus: Magus abieram, inquit, redeo Chriſtianus. Indignatus Hermogenes, Philetē vbi conſtiterat incantationibus fixit, ita vt ſe loco mouere non poſſet. Tunc Apoſtolus Sudariolum ſuum miſit, cuius tactu liberatus Philetes, diſcipulum diaboli relinquens, adhæſit Diſcipulo Chriſti. Rurſum tamen Hermogenes imperat ſpiritibus, vt extemplò ambos coram ſe vinctos ſiſterent. Sed in foueam, quam fecit, ipſe incidit. Profectò enim ſpiritus ne tangere quidem Dei ſeruos potuerunt. Supra illos in aera pendentes, fremebant ac lamentabantur, quòd ab Hermogene miſſi vt eos ligarent, ipſi igneis catenis ligati ibidem detinerentur. Expediti tandem, & Apoſtolo, quàm Mago, obſequentiores facti, Hermogenem ipſum vinculis complicatum, in medium adducunt, nihil præterea ei mali inferre iuſſi. Qui deinde libertati redditus, ab Apoſtoli latere diſcedere non audebat, ne quid grauius *Iacobus Maior Apoſtol.*

Digitized by Google

uius à dæmonibus pateretur, donec baculo eius accepto abijt securus, plus iam confidens Apostoli ligno, quàm veneficijs suis. Conuersus igitur maleficæ artis libros flammis tradidit, & se fidei Christi satis expertus, nihil ea neq; verius, neq; fortius, mortalibus datum. *Euseb. Eccles. Hist. lib. 2. cap. 8. Isidor. de Patrib. cap. 73.*

Taurinus Episcop.

AD Taurinum Aurelianensem Episcopum, Magos Cabisem & Zamrim cum discipulis irruisse legimus, vt eum interimerent: quoniam cum viuente contendere, neq; dictis neque factis poterant. Illo autē sese Crucis signo muniente, diuinitus inhibitos ne propiùs accederent, & ob id magis furore concitatos, sibimetipsis mortem consciuisse. Confer nunc cum Magorum vanitate Crucis virtutem. Illa sibi seruientes occidit, hæc à cædis periculo liberauit. Quam rem etiam maleficorum discipuli considerantes, Christiani facti sunt, & Sanctum, quem capitali odio persecuti fuerant, reuereri cœperunt *Vincent. in Spec. lib. 10. cap. 78. 79.*

Cyprianus Damascenus.

CYPRIANVS Damascenus primum quidem Magus & Gentilis, deinde verò Episcopus Christiq́ue martyr. Cùm enim totis maleficorum viribus Iustinam virginem in amorem Aglai iuuenis, qui eam deperibat, pellicere molitus fuisset: & dæmones re infecta reuersi, nullum sibi in ipsam peccandi locum relictum dixissent, eo quòd Crucis munimine Christiana fœmina castitatem suam protegeret: continuò relictis dæmonijs, Christianorum religionē sequi decreuit. Baptizatus ergo tantum fide & sanctitate profecit, vt ad Episcopatum promoueri meruerit & martyrio coronari. Idem igitur, qui Magus fœminam vincere nullo modo potuit, Christianus factus tyrannorum tormenta facilè superauit. *Greg. Nazianz. in orat. Hieron. in 2. Iona, & alij.*

De fide Christi contra Philosophos.

CAP. X.

SVBIVGATIS Magis, congredi nunc cum Philosophis pergamus, vt & hi discant, quia quod stultum est Dei

Digitized by Google

Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

DIONYSIVS Areopagita, cùm Apostoli Pauli prædicationes audisset, & ea, quæ sibi iam similia veri videbantur, credere adhuc dubitaret, verbis fidē se habiturū dixit. Si Paulus cęco, qui fortè aderat, Christi inuocatione visum restituisset. Tunc ille: Ne me, inquit, magico carmine vsum, Dionysi, suspicari possis, tute ipse accedens cæco illi iube, vt videat in nomine Domini Iesu Christi. Id vbi peregisset prospero eueutu, protinus Areopagum reliquit, atque Apostolum secutus, & ipse Christum prædicare Gentibus cœpit, tanta constantia, vt sæuientes tyrannos nihil timeret, & mori pro Christo cuperet, quandoquidem illi ratio iam constabat: Beatos esse mortuos, qui in Domino moriuntur. *Metaphr. & alij, Sur. Tom. 5.* *Paulus Apostol.* *Dionysius Areopagita.* *Apoc. 14.*

BASILIVS ille Magnus, cum esset Gentilis, & bonarū artium apprimè eruditus, inter conflictantes Philosophorum sententias, nihil certi asserentium, nutabat, donec ab Athenis transiēns in AEgyptum, explorato Philosophiæ nostræ sensu, Christo credere cœpit. Inde reuersus Eubolum præceptorem suum de ratione veræ sapientiæ disputando superauit, & ad Domini Dei nostri cultum conuertitur. Reperit ergo Basil. in Ecclesia, quod in Academia nō poterat reperire; & discipulos docuit, quod non didicerat à magistro. Dum autem vterque Ierosolymis à Maximino Episcopo baptizaretur circumfusos lumine viderunt qui aderant, eaque res indicio fuit, eos antehac veri ignoratione in tenebris fuisse. *Amphiloch. in vita Basilij.* *Basilius magnus.*

CONSTANTINVS Imperator, ob Christi cultū quoniā nouam religionem in Rempublicā Romanam inducere piaculare videbatur, à Philosophis redargutus, diem constituit, quo cū Christianis ad rem inter se contentione discutiendam conuenirent, vt hi qui probabiliora in medium attulerint, cæteris sequendi authores fierent. Id agebatur Bizantij. Aderat Alexander Episcopus, mundanæ quidem sapientiæ non satis gnarus, sed morum sanctitate præstans. Is cùm disputarent, vni ex Philosophis dicere parāti, in nomine Christi silentium imperauit. *Constant. Imperat.* *Alexāder Episcop.*

Cum-

Digitized by Google

Cumque ille veluti elinguis, ne verbum quidem proloqui potuisset, manum Alexandro dedit, victum se confitens: reliqui miraculo conuersi, sepositis altercationibus, volentes fidem receperunt, ac si & ipsi Dominum audissent
Ioan. 10. dicentem: Si mihi non creditis, operibus credite. *Euseb. in vita Constant.*

Sabæ. MAXENTIVS quoque Imperator cùm esset Alexandriæ, & Christianos ad sacrificandum dijs cogeret, Catharinam virginem, ne eximium formæ eius decorem sæuiendo deformaret, à fide Christi Philosophorum suasionibus auerti cupiebat. Igitur ex omnibus prouinciæ oppidis quinquaginta sapientissimos deligi curauit, qui illam, respondere paratam impugnarent. Ferunt ita tunc locutam, vt omnium animos in stuporem versos tandem ad crudelitatem induxerit. Immanissimus tyrannus credentium ceruicibus cum gladio imminebat, illi verò maluerunt iugulã præbere ferienti, quàm cognitæ iam & perceptę contradicere veritati: ea & certissima & saluberrima esse, quæ à virgine didicerant, affirmantes. Vna ergo ancilla Christi disputando vicit, quos tota Platonis Academia vincere nõ potuisset. *Metaphrast. & Sur.*

De fide Christi contra hæreticos.

CAP. XI.

DEVICTIS etiam mundanæ sapientiæ professorib⁹, reliquum est, vt cum Hæreticis confligamus. Qui superseminantes zizania in medio tritici, subuertere Scripturas conati sunt, sensum deprauare, veritatem polluere, sectas impijssimi erroris pernicioßissimæque doctrinæ inducere.

Alexãder Epiſcop. ALEXANDER Episcopus Constantinopolitanus, Cõstantini Augusti temporibus, cùm Arrium Hæresiarcham publicè argueret, ac proinde orta plurimorum vtriusque partis contentione, sedari tumultus non posset, Dominũ orauit, ne Ecclesiæ suæ Catholicæ fidem impijs ludibrio esse pateretur. Vix ipse proces finierat, cũ Arrius dysenteriæ morbo laborare cœpit. Et dũ citá torminibus aluum exonerare vellet, intestinis profluentibus expirauit. Reliquos

Digitized by Google

quos obmutescere fecit timor, atque illum, quem primæ Nicena Synodus damnauerat, etiam Dei iudicio damnatũ omnibus palàm fuit. *Hist. Trip. lib. 3. cap. 10.*

MATTHAEVS quoque Palmerius Florentinus in suo Chronicon libro testatur: Olympium quendam Arrianũ Episcopum quingentesimo decimo Dominicæ humanitatis anno, dum apud Carthaginem in balneis lauans sanctã Trinitatem sacrilego ore lacessisset, tribus igneis iaculis ab Angelo visibiliter percussum conflagrasse. Rectè quidè totictibus sceleſtus ille interijt, quot in Deo Personas offenderat, quarum Trinitatem vnius esse substantiæ vnus percussor, iuxta fidei nostræ confessionem, declarauit. *Platina in vita Anastasij 2.* *Olympius Arrianꝰ.*

VERVM Dominus noster, vt fidei veritatem ostenderet, sicuti sæpe ab impijs hæreticis prauitatis pœnas exegit, ita ab eorũdem insidijs tutatus est seruos suos. Ioannes Chrysostomus Episcopus Byzantinus, quoniam Gainæ militiæ magistro, volenti in Diœcesi ipsius Ecclesiam ponere Arrianorum, obnixè restitit, ab illo capitali odio petitus, Dei beneficio profectus est. Gainas enim iræ impatiens, quibusdam ex militibus suis negotium dederat, vt domũ, in qua Ioannes erat, noctu aggressi incenderent, atque ipsum, si fortè flammas euasisset, ferro perimerent. Qui vbi domui appropinquassent, visis circa eam Angelorum copijs, territi fugam petierunt. Iterum nocte insequenti missi eadem visione repelluntur, & re infecta ad Gainam redeunt. Postremò ipse Gainas ratus Episcopum conductitios habere, qui sibi præsidio essent, cum validiore militũ manu ad eum inuadendum profectus est, sed & ipse simili modo perterrefactus, celeriùs abijt quàm venerat. Et quoniam putauit ciuitatem cum Ioanne stare, furore percitus, perrexit in Thraciam, coëgit exercitum, & reuersus deuastabat Byzantinum agrum, etiam vrbi proxima incursans. Arcadius verò Imperator molestiam hanc absque hominũ cæde auertere cupiens, cùm ad illum placandum legationem destinare vellet, Ioannem vltrò se offerentem misit. Eius aduentu Gainas consternatus humi procidit, & ab eo, quem interempturus putabatur, veniam supplex petijt. Tũ *Ioan. Chryſoſt.*

præ-

Digitized by Google

præda restituta amouit exercitum matureque recessit, tam deinde fauens Christianis, quàm antea fauerat impietati perfidiæque Arrianæ. *Metaphr. & alij, Sur. Tom. 1.*

Basilius Magnus.

BASILIVS etiam Episcopus verè calumnia ignis (vt cuidam visum fuit) calore æstuans charitatis, non est veritus Valentem Imperatorem increpitare, quod Ecclesiam quandam, quæ Christianorum iuris erat, tradidisset Arrianis, Sublatis iurgijs, eò deducta est res, vt fidei periculum facerent. Clauserunt Ecclesiæ fores, decernētes vt ad quorum precationem per se patefierent, illis eius possessio cederet. Arriani dies treis perpetuis supplicationibus incassum orarunt. Basilius verò postquam precatus est, leui bacillo portas tetigit, dicens: Attollite portas, Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Et statim ac si vocem iubentis sensu aurium, quas non habebāt, percepissent, sic obsecundanter paruerunt. Idcircò nemine refragante, Ecclesia adiudicatur Christianis, & plerique etiam Arrianorum relicta hæresi, fidelibus sese iunxêre, quòd solis illis apertum esse cœli aditum dicerent, ad quorū inuocationē sic aperiri Ecclesiæ aditū viderant. *Amphiloch. in vita Basilij.*

Psal. 23.

Copres Presbyter.

SED mira profectò extitit pertinacia nonnullorum, qui ne signa quidem videtes conuerti voluerunt. Copres Presbyter eremi Thebaidis cultor, cùm quēdam, de grege Manichæorum prauitatis suæ contagione alios corrumpentem, cohibere nullo modo posset, aduocata populi concione, pyram extrui iussit, proponens vt qui ipsorum duorum ignem ingressus aduri nequiret, ei fidem omnes probatam haberent. Manichæus timidum animal Copretem priùs rem experiri petijt. Copres autem, in Domino confidens, sine cunctatione in flammas irrupit, ac qualis intrauerat, talis exijt, non nidoris, non caloris molestiam sensit. Dubitantem posthæc Manichæum auertentemque sese, hi qui spectacula aderant, vi corripientes in ignem impegerunt. Ardoris impatiens Copretis opem implorauit, & ab illo exemptus periculum euasit. Sed tamen cuius virtutem & tentando cognouit, & inuocando confessus est, & euadendo sensit, eius credulitatem sequi noluit: tanta iam

MA-

Digitized by Google

mentem illius præoccupauerat insania, tantus furor. Itaq; in malo perseuerans thesaurizauit sibi iram in die iræ. *Pallad. Lauf. Hist. 54.*

AT non ita Ecclesiæ sanctæ illustrator Augustinus, qui in initio eadem hæresi pollutus, cùm Ambrosium prædicantem audisset, perspexit errorem in quo erat, atque abiecit: & tandem omnis expers ambiguitatis, Christi susceptit fidem, iuxta traditionem Catholicæ religiositatis; non signa requisiuit, non experimenta tentauit, audiendo tantũ agnouit veritatem, & de tenebris venit ad lucem. Denique eandem sectam illam, quam reliquit, nemo postea fortiùs impugnanit, nemo acriùs est persecutus. Peruersissima impietas, cuius assertione tutam se putabat, eius confutationum telis confossa perijt. *Confeß. lib. 5. cap. 14.* *August. Episcop.*

EVTICIANAE verò prauitatis error, quam Chalcedonensis Synodus damnauerat, etiam tunc manifestò apparuit, cùm Anastasius Augustus, vt ab eo discederet, summi Pontificis Hormisdæ denuntiationibus monitus, sed obtemperare negligens atque contemnens, fulmine ictus pœnas dedit. Reliqui, ne idem paterentur, Catholicæ fidei adhærentes, ab eodem Pontifice in Ecclesiam recepti sunt. Non enim dubitarunt, eam religionem esse verissimam, pro qua Deus ipse sic depugnaret, vt neque Imperatoribus aduersus eam niti impunè esset. *Platina in vit. Hormisdæ PP.* *Hormisd. PP.*

SVMMVS quoque Pontifex Agapetus Constantinopolim profectus, cùm Iustinianum Augustum adisset, verbis aliquot vltrò citroque habitis, deprehendit illum in hanc ipsam Eutichetis hæresim incidisse, atque ait: Putaram me cum Iustiniano loqui, non cum Diocletiano: apertè ostendens, quanta esset erroris huius malignitas, ob quam solã mitissimum Principem sæuissimo Christianorum persecutori duxit comparandum. Veruntamen cum aliquandiu inter eos fuisset disputatum, Augustus tandem, Pontificis sententiæ cedens, Catholicum se fecit. Porrò Antonium Episcopum de eadem prauitate publicè convictum, improbè tamen in flagitio persistentem, & ab Agapetõ depositum, in exilium egit, suffecto in locum *Agapet. PP.*

suum

suum sancto ac fideli viro Menna. Sicque sapientissimus Princeps cùm fidei nostræ syncritatem paulò pleniùs didicisset, vsque adeò approbauit, vt & ipse correctus crederet, & credere renuentem puniret. *Platina in vita Agapeti PP.*

Hieron. MAGNVM ea etiam res indubitatæ fidei testimonium fuit, quam Cyrillus coram se Ierosolymis ita actam tradit. Post diui Hieronymi obitum, Hæresiarcha quidem Sabinianus opusculum execrandi dogmatis à se confectum, quo errori suo adsciscret authoritatem, à Hieronymo editum asseuerabat. Eum autem falsitatis palàm arguens Syluanus Nazarensis Episcopus, proposuit conditionem, vt nisi librum illum die crastino ipse Hieronymus ostento manifesto reprobasset, tum se pœnam capitalem subiturum. Sin econtrà, idem supplicij pro mendacio Sabinianus referret. Qui cùm tale miraculum nunquam euenturũ timeret, sed magis speraret, Syluani exitio suam sententiam firmam fore, accepit conditionem. Dies præstituta venit, ad Ecclesiam frequentes conueniunt, signum nullũ apparet. Syluanus ex pacto ad supplicium poscitur, præbet ceruicem, mori pro veritate paratus. Sed præstò illi fuit Hieronymus, cunctisque cernentibus, tenuit spiculatoris manum iam ad feriendum erectam. Mox ad hæreticum conuersus, acerrimè illum increpuit, doli & fallaciæ accusans. Abijt visio, & maius secutum est miraculum: Sabiniani caput, nemine percutiente, ab humeris auulsum in terram procidit. Denique qui aderant Orthodoxi, pro victoria, quam paulò antè desperauerant, Deo & diuo Hieronymo, gratias egerunt. Reliqui ad Syluanum confugiẽtes, illius fidei sese dedidere. Et pernicioſissimus error (qui iam latè manare cœperat) vnà cum suo autore extinctus defecit. *August. Epist. 106. cap. 4.*

Cum Hæreticis nõ communicandum. Ioannes Apostoli.

CVM eiusmodi hominibus ne communicandum quidẽ, duorum exemplo docebimus: Ioannis Apostoli, & discipuli eius Polycarpi. Ioannem, Eusebius Ecclesiasticæ Historiæ Scriptor tradit, dum Ephesi moram traheret, balneæ ingressum, viso ibi Cherinto hæretico, statim retulisse pedem, & ad suos conuersum dixisse: Fugiamus hinc ne bal-

Digitized by Google

nea-

nea nos ruina opprimant, in quibus Cherinthus lauat veritatis inimicus. *Hist. Eccl. lib. 4. cap. 14 Iren. cont. hær. lib. 3. cap. 3.*

POLYCARPVS autem Martioni aliquando obuiam factus, quærentique an se agnosceret: Agnosco, inquit, primogenitum Satanæ agnosco, atque auersus ab eo pertransijt. *Ibidem.* *Polycarp.*

SIC etenim & Paulus Apostolus ad Titum scribens monet ac dicit: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus. Et ipse Ioannes Epistola secunda: Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis: qui enim dicit ille Aue, communicat operibus eis malignis. Et in Apocalypsi: Angelus, id est, Episcopus Pergami Ecclesiæ arguitur, nõ quod fidem negarit, fidelis enim erat: sed quòd prope se habeat tenentes doctrinam Balaam, doctrinã Nicolaitarũ. Quod si cohabitare cum illis crimini est datum, quantò grauiùs peccant, qui familiaritate & consuetudine eorum vtuntur? *Paulus Apostol. Tit. 3.* *Ioannes Apostol. 2. Ioan. 1.* *Apocal. 2.*

FACESSANT igitur à nobis in vestimentis ouium lupi rapaces, Dominico semper insidiantes gregi. Recedant spinæ & tribuli, de quibus nec ficus nec vua colligi possunt. Procul absit hæreticæ insaniæ fermentum, ne purissima orthodoxæ fidei massa corrumpatur. Caueantur vulpium foueæ, & volucrum nidi, in quibus Christus non habet vbi reclinet caput suum. Quos & Apostolus cauendos rursum præcipit, dicens: Obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. *Contra Hæreticos.* *Luc. 9.* *Rom. 16.*

De spe Diuinæ misericordiæ.

CAP. XII.

POSTQVAM autem & de istis sicuti de cæteris omnibus triumphauimus, hęc est enim victoria quæ vincit mundum, fides nostra: rectè nunc de spei virtute dis- *1. Ioan. 5.*

Digitized by Google

feremus, vt bonum quod maximum cum Deo esse creditmus, etiam sperare discamus.

VTILITER sperat, qui nec adeò misericordiæ Dei confidit, vt iustitiam non timeat: nec adeò iustitiam timet, vt misericordiæ diffidat. Itaque semper attendendum est, ne ad proxima Spei vitia imprudenter delabamur. Ea sunt desperatio & præsumptio. Qui desperant, non satis perpendunt diuinæ misericordiæ magnitudinem, & conscij delictorum, ante se damnant, quàm damnantur. Qui præsumunt, iustitiæ seueritatem obliuiscuntur, & dum nihil timent, licentiùs peccant. Neque hi præsumerent, neque illi desperarent, si meminisse voluissent, quòd iustus pariter & misericors sit Dominus, quòd simul & fontes puniat, & pœnitentibus ignoscat.

Desperatio & Præsumptio.

Desperatio Cain. Genes. 2.

IMPIVS Cain, inuidia stimulante, fraternæ cædis cruore sceleratas polluit manus. Credimus tamen eum maledictionis pœnam vitare potuisse, si pœnitens Dei misericordiam imploraſſet: execrabilior factus est post reatum patricidij, dicens: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Illos autem, qui vitijs suis fauentes præsumptione labuntur, Ecclesiasticus arguit, dicens: Ne dixeris, peccaui: & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum: & ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximat, & in peccatores respicit ira illius. *Gen.* 4.

Præsumptio. Eccli. 5.

Spes.

NOS igitur errorem istorum refugientes, eos sequamur, qui vel grauissimè lapsi, sic sese (dum flagitij pœnitet) erexêre, vt spem recuperandæ gratiæ non amitterent, & quod sperarunt, Deo indulgente adepti sunt.

Dauid rex. 2. Reg. 12

DAVID adulterij homicidijque crimine nequiter corruerat, sed per Nathan Prophetam reprehensus: Peccaui, inquit, Domino. Dixitque Nathan: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Peccatum confitendo doluit, & de misericordia Dei non diffidit. Idcirco non est spe deceptus: tunc veniam impetrauit, cum commissa ingemuit. Sed si Dauid sic cecidit, nemo continentium se ar-

Digitized by Google

se arbitretur securum: rursum si idem tanti reatus damnatione absolutus est, nemo delinquentium desperet. 2. *Reg.* 12.

MANASSES Regum omnium, qui Ierosolymis regnarunt; sceleratissimus stellas adorauit, aras Baalim erexit, in Templo Dei idolum posuit, somnia obseruauit, auguria sectatus est, super hæc, sanguinem innoxum fudit, interficiens Prophetas, Isaiam serra medium secans. Cumque ob hæc Flagitia Dominus tradidisset eum in manus Principũ Assyriorum, ferroque vinctus ductus esset in Babylonem, angustijs cõpellentibus agnouit peccatum, egit pœnitentiam, orauit, exauditus est, Deoque propitio redijt Ierusalem, & recuperauit regnum, atque in alium mutatus, idolis sublatis, prophanata expiauit; & vnum Deũ Israël impensè coluit. Quis igitur veniam desperet, si Manasses inuenit? Aut quis adeò pessimis moribꝰ viuit, vt euadere bonus non possit, si ille euasit. 1. *Paral.* 33. *Manasses rex.* *1. Par. 33.*

NINIVITAE cùm Iona prophetante vrbis excidium imminere didicissent, peccatorum, ob quę id passuri erãt, pœnitentiam agentes, dixerunt: Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Grandis fiducia, in ipso diuinæ vltionis procinctu sperare misericordiam, sed frustra quidem sperassent, nisi vitijs finem statuissent. Quod sperauerant, pœnitendo obtinuerunt, dicente Scriptura: Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiam quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. Ea igitur spes impetrandæ salutis non fallitur, quam vitæ correctio comitatur. *Ionæ* 3. *Niniuitæ* *Ionæ 3.*

EVANGELII tempora percurramus. Cuius spem non incitat atque accendit latro in Cruce pœnitens? Quã quidem Crucem, si nihil mali cõmisisset, si nemo cogeret, sua ple sponte hac mercede ascendere debuit, vt à Domino udiret vocem illam, qua nihil iucundius: Hodiè mecum ris in Paradiso. Ob latrocinia noxæ deditus, mortique ddictus, dum moriens dignum se supplicio confitetur, um in Christum credit, dũ iuxta se pendentẽ deprecatur, ransiuit de morte ad vitam, de Cruce ad Paradisum. O di- *Latro in Cruce.* *Luc. 23.*

Digitized by Google

uinæ clementiæ immensitas, quam feræ conuersioni quàm grandem tribuisti mercedem? *Luca 23.*

Matth. Apostol. Marc. 2. Luca 5. Zacheus Publicanus.

SED neque de illis quidem desperandum est, quos in omne vitium egit cumulandarum opum immoderata libido, & impudens exigendi fœnoris cupiditas, Matthæus de Telonio ad Apostolatum vocatus est. Zacheus Publicanorum princeps, & ipse diues, Saluatorem mundi hospitio suscipere meruit. Vterque igitur cùm vsuras reliquissent, lucrati sunt regna cœlorum. Talem quæstum facere solet, qui conuersi spem suam de terrenis diuitijs in Deum transferunt, cœlestium diuitiarum æternæque beatitudinis largitorem. *Marci 2. Luca 5.*

Petrus Apostol.

NEQVE enim Nouatianorum impietati adhibenda est fides, qui aiunt ijs, qui post Baptismi lustrationem peccati maculam contraxerunt, gratiæ recuperandæ non esse locum. Petrus de piscatore Apostolus, iam carni & sanguini Domini communicauerat, iam speciali priuilegio cũ Iacobo & Ioanne eiusdem Domini gloriam in monte viderat: Iam Iesum Dei filium confessus fuerat: & tamen dominicæ passionis tempore, dum homines timet, Deũ negauit. At quoniam post negationem amare fleuit, non solùm quòd peccando amiserat, pœnitendo iterum est assecutus, sed etiam omnium Princeps factus, claues regni Ecclesiæque gubernandæ potestatem accepit. Benignissimus Dominus plus contulit eius pœnitentiæ, quàm contulerat innocentiæ, pristinis beneficijs cumulum faciens tam excelsæ præposituræ honorem. *Matth. 26. Marci 14. Luca 22.*

Iudas Iscariotb.

AT econtrà Iudas de culmine ipso Apostolatus in barathrum inferni infeliciter corruit. Non vtique quia Dominum vendidit, sed quia, eo vendito, magis de flagitio doluit, quàm de venia sperauit. Peccaui, inquit, tradens sanguinem iustum. Conueniens pœnitentiæ, si sibi humiliter ignoscí postulasset, & non sceleri scelus addés, ad laqueũ priùs quàm ad Dominum confugisset. Nunquid proditori suo non dimisisset, qui dimitti crucifixoribus suis rogauit? Nunquid se vendenti non pepercisset, qui lancea latus suũ fodienti sic pepercit, vt coronã indulgeret Martyrij? *Matt. 26. 27.*

Digitized by Google

SED quis præterea desperet, quamuis impius, & crudelis, & omni immanitate præditus, si Paulus, Christiani nominis persecutor, factus est Christi Apostolus? si vas iræ conuersum est in vas electionis? si is, qui infensissimus fuerat Ecclesiæ hostis, repentè euasit constantissimus eiusdem Ecclesiæ propugnator? Sed dices: Ille in via vocatus est, & vt se corrigeret, penè coactus est. Quid tu, quoties peccatorum conscientia compungeris, nonne vocaris? Quoties aduersitate aliqua solicitaris, nonne cogeris? Quid ergo auerteris? quid reluctaris? Ille increpitus statim obediuit, & tu quæso, ne obdurescas. Ille cùm in terram cecidisset, iussus est surgere & ciuitatem ingredi, vt ibi audiat quid se oporteat facere: & tu terrenarum cupiditatum malignitate subuersus, iam tandem surge, & ingredere ciuitatem mandatorum Dei, vt ibi discas quid te facere, quid fugere oporteat, vt salutem tibi parare possis. Illi Ananias manū imponens visum, quem cadendo amiserat, restituit. Ananias interpretatur donum gratiæ Domini. Hoc donum tibi manum imponet conferens virtutem, vt in spe confirmeris, & visum recipias, quem peccando perdidisti. Nō visum carnis, neque oculorum, sed quo Deus videtur, mentis & intellectus: vt demum cum ipso Paulo gloriari queas, dicens: Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed gratia eius in me manet semper. *Act.* 9. *Paulus Apostol. Act.* 9. *1. Cor.* 15.

AVDI & aliud id genus exemplum. Dauid quidam in finibus Hermopolis grassatorum princeps, cùm diu exercendis latrocinijs operam impendisset, tandem pœnitudine pulsatus ad monasterium venit, monachusque factus, Deo in humilitate seruiuit: Et cùm post aliquod dierū pœnitentiam, dimissa sibi esse peccata quæ commiserat, Angelo referente accepisset, multitudinis eorum conscius dubitauit an vera audiret. Ob incredulitatem linguæ officio caruit. Sed cum vehementer doleret, quòd solitas Deo laudes ore impedito concinere non posset, vocis vsum ad eam duntaxat rem recuperauit, ad cætera mutus permansit. Sperauit ille quidem futuram aliquando delictorum veniam, sed spem eius præcessit Dei clementia. Et vt præ- *Dauid Monach⁹.*

Digitized by Google

cessisse crederetur, nō credentē puniuit, vt scias quia non est ponere numerum neque finem misericordiarum eius.

Moyses abbas. MOYSEN quoque Abbatem Isidori Abbatis apud Thebaidem discipulum, natione AEthiopem, singularis sanctitatis ac patientię virum, latronem antea fuisse memorant, multorum spolijs cædibusque infamem. Igitur compunctus ad mentem redijt, misericordiam Domini orando & pœnitendo quæsiuit, sperando assecutus est. Et qui aliquando de latronum numero fuerat, in Sanctorum censum redigi meruit. Sic AEthiops mutauit pellem suam, & pardus

Ierem. 13. varietates suas. Sic lapus rapax conuersus est in agnum, *Pallad Lauf. Hist. 23.*

NVLLVM execrabilius crimen, quàm post agnitā perceptamque veritatem à fide decidere. At etiam inde reditum patere ad spem salutis certissimam, non solùm Petri

Iacobus Denodatus. exemplo, sed etiam aliorum satis edocemur. Iacobus Martyr, à præfectis membrorum nodis Denodatus dictus, cū esset fidelis, fidelibusque ortus parentibus, atque inter regis Persarum aulicos primo loco haberetur, gentili dominio gratificari cupiens, eò prolapsus est, vt idolum adoraret. Deinde à matre per literas increpitus, culpam agnouit, animo resipuit, pœnitentiam egit, honores quibus fruebatur contempsit. Regem nihil veritus, idola eius detestatus est, & se Christianum esse palam asseruit, tam constanter, vt articulatim dilaniatus nō formidaret supplicia, sed appetere videretur. AEternæ denique felicitatis bona, quibus præuaricando se indignum fecerat, diuina clementia

Psal. 117. suffragante martyrio suo redemit. Bonum est ergo (vt Propheta ait) confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. *Iacob. de vor ag. Episc. Ianuens.*

Nicolaus Jenex. SI quis verò delinquendi assuetudine ita duratus est, vt per se omninò corrigi nō possit, non ideò desperet, sed senem illū Nicolaum imitetur: qui cùm libidinibus ætatem consumeret, & neque anni ad finem vitæ vergentes, finem turpitudini facere possent. Andreæ Apostolo supplicauit, vti pro se Deum obsecraret. Se enim sceleris conscientia, ne orare quidem satis audere. Precibus ergò Apostoli placatus

Digitized by Google

tatus Dominus, veniam indulsit, & ille correctus, peracta semestri pœnitentia, hinc decedens misericorditer in fine saluatus est. Exemplum nobis reliquit, vt si quando spes vitæ emendandæ, veniæue impetrandæ, ob peccandi vsum difficilior contigerit, ad eorum, qui Deo placent, confugiamus auxilia. Nostris .n. flagitijs irritata Diuinitas, Sanctorũ meritis, qui pro nobis orauerint, faciliùs mitigabi- & ad miserandũ citi⁹ conuertetur. *Abdias in vita S. Andreæ.*

FVERE præterea qui non modo verbis, sed etiam scriptionibus Christianitati renuntiantes, diabolo se dedêre non dubitauerant; posthæc tamen cùm pœnitentiam egissent, gratiam à qua deciderant, recuperarunt. Ierosolymis Proterij principis viri seruus Phanias, filiæ eius amore captus, quoniam potiundæ spes nulla esset, Magos consuluit. Exciti maligni spiritus, eam illi vxorem fore dixerunt, si ipse se diaboli seruum adscripserit, contempto Christo. Conditioni assentiens, chirographum dedit, & nuptias cũ ea, quam adamauerat, inijt. Posthæc deprehendit mulier, nihil prorsus Christiani moris inesse viro, non orare, non ad Ecclesiam ire, non Crucis signum facere. Denique causã ab eo curiosiùs sciscitans, plenè didicit, & anxia remediũ quærens, Basilio Episcopo rem detulit. Tunc accersitum Phaniam Basilius horatur, vt reuerti vellet, vnde per præuaricationem recesserat, & credere, & confidere in Domino: conuersum secum domi retinuit, ac pro illo orauit. Et post XI. dierum ieiunium, multasque interea Satanę insultationes eduxit, vt purgatum reconciliaret Ecclesiæ. Ibi frequenti Clero plebeque vrbis astante, voces terribiles auditæ, frementium ac lamentantium dęmonum aduersus Basilium, quasi raptorem alieni serui. Sed eo iubente etiam chirographum inuiti restituunt. Quo discisso, apparuit detectum esse Phaniæ crimen. Ita per mulierem fidelem, vir infidelis saluatus est, & qui desperauerat, Episcopi operâ ad spem redijt salutis. *In vitis PP. in vita Basilij, Surius, tom. I.*

Phanias.

1. Cor. 7.

THEOPHILVS quoque Ciliciæ Archidiaconus ab Episcopo, officio motus, chirographũ confecerat, quo Deũ patrem que Dei abnegare se, & diaboli subijci seruituti dixit,

Theophilus Archidiaconus

dixit, promittente diabolo se facturum, vt ipse in locum suum gradumque restituatur. Restitutus demum animaduertit, quantum sceleris flagitijque commisisset, & animo conflictatus lachrymas fudit, & veniam orauit. Die quadragesimo dormienti Virgo Dei mater, cuius opem inuocauerat, apparens dimissum ei peccatum nuntiauit. Somno excitatus, chirographum suum iuxta iacentem reperit. Ea re lætus, & peccatum suum & Dei erga se misericordiam cunctis audientibus publicè enarrauit. Die tertio vita defunctus, etiam miraculis claruit. Quòd si tãti criminis reus ad tantam beatitudinem peruenit: profectò nemo perit, nisi qui pœnitere non vult: nemo condemnatur, nisi qui desperat. *Metaphrast. Sur. Tom.* 1.

Feminæ. NVNC ne quid desit, quo spem nostram minùs intra nos labascere patiamur, in fœminas etiam Domini miserationes considerabimus.

Mulier in adulterio deprehensa. MVLIERI in adulterio deprehensæ pepercit, iniungens tamen ei ne amplius peccaret: vt intelligas, tunc nos rectè veniam sperare, dũ desinimus peccare. Malignis autẽ in illam frementibus iniecit ruborem, propria eis exprobrans delicta, qui accusatum venerant aliena. Et hi sanè vnus post alium abierunt, sicut aduenerant, nequitia & impietate pleni. Illa verò perstitit, donec condonato reatu dimissa est. Perseuerare enim sperando debemus, nec vllo expectationis tædio affecti deficere, dicẽte Apostolo: Christi domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. Quãdiu ergo speramus in Christo, habitat in nobis Christus: procul est ab ijs qui desperant. *Ioan.* 8.

Hebr. 7.

Maria Magdal. MARIAM Magdalenam, ob impudentis lasciuiæ crimen, cæterorumque vitiorum infamiam, cognomento peccatricem dixêre, & tamen cùm sese pœnitendo Domino submisisset, dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multũ, & quę diu serua fuerat peccati, meruit effici Discipula Christi, eiusque Resurrectionem videre prima, atque audire: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Sic vbi abundauerat peccatum, superabundauit misericordia, & in pœnitente, omni spe maior spei merces fuit. *Luc.* 7.

Luc. 7.

Marc. 16. *Luc.* 10. *Rom.* 8.

MA-

Digitized by Google

MARIA Aegyptiaca meretricio quæstu diu infamis, cum aditu etiam Ecclesiæ indignam se diuinitus eo prohibita cognouisset, post lachrymas eremiq́ue labores, ad tantam vitæ perfectionem deuenit, vt orans in terra terram non tangeret, & Iordanem transiens super aquas ambularet. Ad Dominum migratura à sanctissimo viro Zozima sacrosanctam Communionem accepit, à leonibus sepulturam, cum scrobem in terra carptim vnguibus excauassent, sanctæ corpusculi capacem. Vsque adeò Dominus conuersam exaltauit, quam peccantem ne in templum quidem intrare permiserat, tam erga pœnitentem misericors, quàm erga delinquentem iustus. *In vitis PP.* *Maria Aegyptia.*

MARIA Abraam Eremitæ ex fratre neptis, virginitatis seruandæ voto, ipsum ad desertum secuta, eodem cum illo contubernio annos septem vsa, piè sancteq́ue vixerat, clausis semper ianuis, nusquam inde discedens. Sed quid tam clausum, quò diaboli non penetret inuidia? Iam vigesimum ætatis agebat annum, cùm inimici dolis suggestionibusq́ue subuersa, iuueni cuidam eò ventitanti consentiens, in turpis luxuriæ foueam corruit. Sceleris conscientia, veniam desperauit, solitudinem reliquit, proximam ingressa ciuitatem, pristinas virtutes vitijs æquauit, permisit libidini frenos, & quæ diu virginitatem accuratissimè seruauerat, prostibuli obruta est spurcitijs. Postquam verò ab ipso Abraam sene, vehementer de eius perditione solicito, diu quæsita, & tandem inuenta, illo hortante ad montem redijt, sanctitatis meritum, quod peccando amiserat, pœnitendo recuperauit. Sic perdita ouis boni Pastoris humeris reportata, lupi fauces effugit, & electo tandem dominico gregi meruit computari. Nunquam in Deo vana spes pœnitentis fuit. *Ephren. in vitis PP.* *Maria neptis Eremitæ Abraam.*

PELAGIA Antiochena, cùm & diuitijs & corporis facie multum emineret, luxuriæ ac libidini dedita, vsque adeò frontem fregerat, vt gloriaretur, nullam se neque ornatiorem, neque lasciuiorem, in publicum procedere. At vbi Nonij Heliopoleos Episcopi prædicationes audiuit, recognouit errorem suum, penitusq́ue immutata, ornatum omnem abiecit, & quicquid habebat opum, pau- *Pelagia.*

Digitized by Google

peribus erogauit, atque impudicitijs finem statuens, in monte Olueti, iuguriolum sibi posuit, tum ne quis in solitudine, manenti fœminę insidiari in animum induceret, sexu celato Pelagium se nominari fecit. Tantumque deinde vitæ sanctitate excelluit, vt de pelago vitiorum facta diceretur pelagus virtutum, amarissimas Maris aquas in dulces conuertens. *In vitis PP.*

Thais. THAIS etiam Aegyptia meretrix, crebris Pasnutij Abbatis admonitionibus ad pœnitentiam conuersa, facultates, quas non modicas corporis vulgatione parauerat, constructa pyra in ignem coniecit; & de prostibulo, vbi diu diabolo seruierat, ad monasterium transiens seruiuit Christo. Post triennem eius clausuram, Paulo Antonij Abbatis discipulo reuelatum est, dimissa esse à Domino Thaidi peccata. Itaque à Pasnutio de cellæ carcere educta, cùm dies quindecim superuixisset, migrauit ad Paradisum, & consortio inserta est Angelorum. Talis beatitudo eos manet, qui vitam corrigunt, & spem suam in sola Dei misericordia semper collocant. *In vitis PP.*

HAEC est enim de qua Dauid in Psalmis gaudet, ob quam Domino benedicit, quam admiratur, in qua sperat. *Psal. 30.* Exultabo, inquit, & lætabor in misericordia tua. Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam. Nec conclusisti me in manibus inimici. *Psal 102.* Et in alio Psalmo: Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. *Idem.* Et paulo pòst: Misericors & miserator Dominus, longanimis & multum misericors. Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundùm altitudinem cæli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus super timentes se. Et rursum in alio Psalmo:

Mise-

Digitized by Google

Miserator & misericors Dominus, patiens & multum misericors. Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Et iterum: Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Et rursum idem alibi: Dominus, inquit, soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit elisos. Et item alibi: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine. Sustinuit anima mea in verbo eius, sperauit anima mea in Domino. A custodia matutina vsque ad noctem, speret Israel in Domino. Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius. Philo etiam sapientiæ spiritu plenus: Misereris omnium, inquit, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil eorum odisti quæ fecisti. Et paulo pòst: Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas. Et per Isaiam Dominus ipse ad populum fidelem ait: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non miseretur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Et per Ezechielem: Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini, & viuite. Item in Euangelio: Non veni, inquit, vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et item: Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Venit, inquit, Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Et alibi de se testatur, & ait: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis. Hinc Apostolus Paulus: Si Deus pro nobis, inquit, quis contra nos? Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Hinc idem alibi Patrem misericordiarum & Deum totius consolationis eum appellat. Et rursum alio loco dicit: Cùm autem benignitas

Psal. 144
Ibidem.
Psal. 145
Psal. 129
Sap. 11.
Ibidem.
Isaiæ 2
Ezech.
Lucæ 5.
Matth.
Lucæ 19
Ioan. 10
Rom. 8.
2. *Cor.*
Titum

Digitized by Google

gnitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. Has tantas ac tales Domini nostri erga nos miserationes si quis rectè secum reputet, nemo grauiùs delinquit, quàm qui post delictum à spe impetrandæ veniæ decidit, & plus se peccasse, quàm quod à Deo dimitti possit, existimat: tanquam si vllum sit tam magnum peccatum, tam immane crimen, quod non condonare possit, & velit, & soleat Deus pœnitenti.

LIBER TERTIVS.

De Charitate erga Deum. CAP. I.

CHARITAS quoniam & tertia in ordine harum, de quibus modò diximus, ab Apostolo ponitur, & de tribus maior ipsa prædicatur, ideo satis congruum arbitror, vt tertij nunc voluminis principium teneat, & quasi in arce collocata consistat. Quæ virtus cùm talis sit, vt sine ea cæteræ nihil sint; neminem ignorare volumus, de ipsa simul tractari, vbicunque de aliqua à nobis tractetur. Quædam tamen, quæ illi magis propria censui, conabor hoc loco referre, & Sanctorum exemplis (primò quatenus Deus diligendus sit, deinde proximus, postremò inimicus) digerendo explicare.

DEVM toto corde, tota animâ, totis viribus iubemur diligere. Quod vtique ita fit, vt sola erga eum dilectio omnes alias superet dilectiones. Super omnia enim amandus est autor ipse omnium atque conseruator. Nulla res vnquam cordi nostro sic inhærere debet, vt eius causa ille, qui est causa omnium, minùs honoretur, minùs colatur. Despiciantur opes, deserantur parentes, repudietur vxor, abijciantur liberi, perferantur supplicia, vita ista effun-

Digitized by Google

effundatur, nihil denique vel non agendum vel non fustinendum putetur, quod ab homine agi fustinerique possit, dummodo soli pareatur Deo, soli semper deseruiatur.

Abraam Genes. 22

ABRAAE vnicus filius erat Isaac, & cùm vnicè illum amaret, manibus proprijs mactare voluit, vt obediret Deo. Pluris fecit mandatum Dei, quàm vnici vitam, neque se crudelem esse, si sanguinem filij effudisset, existimauit; sed pientissimum, si (eo effuso) iussioni paruisset diuinæ. Promissionem acceperat de Isaac, dicente Domino: Dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, & Reges populorum orientur ex eo. Et tamen de quo tanta sibi promittebantur, mox eundem impuberem adhuc iubetur immolare. Cuius hîc non titubasset fides? quis non dubitasset, ne illo sublato irritum fiat oraculum? At verò Abraam & pollicenti credidit, & iubenti obediuit, & certissimo tandem euentu quod promissum fuerat accepit. *Genes. 22.*

Genes. 1

Heli 1. Reg. 4

HELI Sacerdos nimia in filios indulgentia, malè agentes remisè molliterque corripiens, Deum offenderat, & tamen cùm illos tam tenera amplexaretur pietate, à Philistijm interfectos audiens, satis æquo animo tulit: Postquam autem & Arcam Domini simul captam fuisse intellexit, impatiens doloris, de sede corruit. Et quia nonagenarius iam erat, eo lapsu collisus expirauit, ostendens quanto sibi grauius erat præsentia Domini, quam arca exhibebat, quàm liberis (quamuis charissimis) orbari. *1. Reg. 4.*

Dauid rex. 2. Reg. 6

QVANTVM de Arcæ amissione doluit Hæli, tantum de eius reductione à Philistinis restitutæ lætatus est Dauid. Nam cùm Rex esset, & rerum gestarum gloria omnibus qui in Iudæa regnauerant præferretur, non erubuit, dum Arca à Læuitis portatur, omni regiæ dignitatis ornatu depositio, & ephod lineo sumpto, pedester incedere, saltare, ludere, & quasi vnus è plebe iucunditatis gesticulationibus vti, donec illa in vrbem inuecta, sub tabernaculo, quod ipse tetenderat, venerabiliter collocaretur. Ex quanta autem in Deum pietate, quantoque amore ea Regis exultatio proueniret, Michol vxoris suæ pœna testatur, quæ

Digitized by Google

tur, quæ quoniam scurrilis leuitatis illum arguerat, Deo vlciscente perpetuæ sterilitatis damnum tulit. 2. *Reg.* 6.

IDEM post hæc anxiè secum quæri cœpit, se in ædibus habitare cedrinis, Arcam verò Testamenti Dei manere sub pellibus, quibus tabernaculum tectum erat. Hinc iam in animum inducens, constituere Templum Domino, sacrisque illius magis decenter reponendis dedicare, Regiam cessisset, nisi multò magnificentius habitaculum ijs, quàm sibi faciendum decreuisset, & quidem tale, quale deinde à filio suo Salomone legimus ædificatum, cuius opulentiæ amplitudinisque gloria, apud posteros vix fidem inueniisset, si eam humanæ tantùm, non etiam diuinæ Scripturæ monumenta retulissent. Sed mirentur alij opus, nos animi Deo deuoti affectum pensemus, qui mea quidem sententia maior in Dauid quàm in Salomone fuit. Multa quippe postea populo populique Principibus indulsit Dominus, & propter seruum suum Dauid, ea se indulsisse protestatus est. Vt quia ipse Deum plùs cæteris dilexerat, plùs etiam à Deo dilectus nosceretur. Quòd autem Salomon potiùs quàm ille, vt Templum Domino construeret, electus sit, non tam meritum quàm mysterium fuisse constat. 1. *Reg.* 7.

PERFECTAE charitatis cultum & in pueris illis in Babylonem abductis viguisse quis negauerit? quando captiuitatis necessitatem, in qua erant, superare potuerunt, nunquam Religionis suæ obseruationem deserentes. Leguminibus & frigida aqua nutriri, quàm dapibus regijs, ne cibo lege vetito incestarentur, maluêre. Statuamque auream adorare iussi, mori præoptarunt, quàm fidem præuaricari. Hinc in fornacem, septuplo quàm solitum erat accensam, missos flamma non adussit. Illæsi inter igneos globos laudes Deo concinebant, & idem ardor, qui illis intra fornacem ignouit, raptim exhalans eos qui foris aderant, regis ministros corripuit atque consumpsit. Motus tanto miraculo rex, non iam statuam à se erectam, sed Deum Israel adorandum, edicto iussit. Sic constans ac vera pietas captiuos rege ipso, à quo fuerant capti, fortiores reddidit, & in igne positos periculi expertes fecit, parcente

Digitized by Google

cente illis incendio, & in suos sæuiente autores, quos peremit. *Dan. 1.*

ELEAZARVS Scriba, Antiocho Epiphane fideles persequente, vt suillam carnem gustaret, compelli (quoniam illegitimum erat) nullo modo potuit; sed neque pro illa suppositam aliam, qua vesci licebat, vt sumeret exorari, volentibus amicis ea simulatione ipsum subtrahere neci, vtque cæteris constantis animi perpetuæque in Deum obseruantiæ exemplum fieret, extrema pati maluit, quàm quicquam prophani aut agere aut omnino egisse videri. Itaque corpus carnifici crudelibus pœnis conficiendum tradidit, vt spiritum absque labe commissi pariter suspectique sceleris conseruatum Deo offerret. *2. Machab. 6.* *Eleazarus. 2. Mac. 6.*

MACHABAEI quoque septem fratres neque ingentibus regis promissis corrupti sunt, neque minis territi: ad perferenda fortiter supplicia mater hortatrix aderat, & magis ipsa animo torquebatur, verens ne tormentis victi contra Dei Legem aliquid agere inclinarentur. Sed & illi fœliciter consumpti, plùs Deum quàm semet diligendum documento fuêre: & mater, sic amando filios, vt eos quocunque mortis genere affici mallet, quàm peccare. Ac ne in se quàm in liberos indulgentiorem fuisse putes, quos ad necem præmiserat, continuò sequi voluit. Et id quidem tantò lubentiùs, quantò iam de eorum erga Deum fide magis fuit secura. Non supplicia reputabat, sed an Deum amarent gloriosam experientiam; multaque charitate ardens, probari tam se quàm filios pœnis acerbioribus gestiebat. O dignam talibus filijs parentem! O dignos tali parente filios! Vtrique pari animi constantia ostenderunt, quàm omni morte fortior esset sola Dei dilectio. *2. Machab. 7.* *Machabæi fratres. 2. Mac. 7.*

HIC est ignis ille, quem Dominus noster Iesus venit mittere in terram, & quid volo, inquit, nisi vt ardeat? Videamus ergò qualiter in illis arserit, qui ipsum Iesum Dei Filium esse certa atque indubitata fide credidêre. Simon Petrus in illius amorem semper propensissimus, cùm totius noctis piscationem casso labore peregisset, ipso tandem *Apostoli. Petrus. Luc. 5.*

Digitized by Google

tandem in nauiculam suscepto ac iubente laxauit rete, & tantam vim piscium traxit, vt attonitus indignum se talis Domini præsentia iudicaret: Et genibus simul prouolutus diceret: Exi à me, Domine, quia homo peccator sum. Profectò qui sic humiliabatur, iam diligere cœperat. Hinc & subleuari meruit, ne timeret, quòd deinde non pisces, sed homines esset capturus. Quibus verbis ita allectus est, vt quem modò exire à se volebat, mox exeuntem sequi maturaret, & quidem relictis omnibus, vt iam palam esset, nihil se præter Christum appetere, nihil habere velle. *Luc. 5.*

Idem. ITERVM cùm nauigantes discipuli Dominum super mare gradientem conspexissent, & an ipse esset ambigerent: Petrus reliquis feruentior: Domine, inquit, si tu es, iube me venire super aquas: non ambulare super aquas petijt, sed venire, quàm primùm amplecti illum, non mi-
Ioan. 21. racula facere, cupiens. Nauis velo remoque satis properè obuiam agebatur, sed amantis cupiditate tardior erat. Annuente Domino, succinctus profilijt, super vndas cucurrit, mox crebrescentibus ventis, commotoque mari pauefactus, dubitauit, & cùm ob hanc animi hæsitationem mergi cœpisset, clamasse dicitur: Domine, saluum me fac. Arguitur itaque quia timuit, sed saluatur, quia eius ope etiam saluari posse credidit, cuius virtute super mare incessit. Vt dubitaret, fragilitas compulit: vt inuocaret, fides iussit: vt periculum euaderet, charitas impetrauit. *Ioan. 21.*

Idem. IDEM cùm quibusdam ex Discipulis durus ille sermo
Ioan. 6. Domini videretur: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis: ideoque post sensum suum abeuntes ab ipso desciuissent, reliquos duodecim interrogante Domino, an & ipsi abire vellent, pro omnibus respondit: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei. Sic confidebat etiam tum Petrus Dominum, vt nihil eum sine ratione dicere, nihil facere arbitraretur: sic eidem adhæserat, vt si etiam reliqui omnes dilapsi fuissent, ipse solus

non re-

Digitized by Google

non receſſiſſet. Cæterùm & ſe & illos non modò nuſquam receſſuros, verùm etiam minimè dubios eſſe, quin ipſe Filius Dei ſit, affirmat, vt ſcilicet diſcas, Neminem poſſe perfectè diligere, qui non plenè crediderit. *Ioan.6.*

POST hæc prædicente Domino, ea quæ propediem Ieroſolymis paſſurus eſſet, ait: Abſit à te Domine, non erit tibi hoc. Vide quali amoris ardore flagrabat: quem in omnibus veriſſimum eſſe nequaquam dubitat, ab eodem id ſolum patienter audire non poterat, quod ipſi valdè indecens & abominabile eſſe, nondum myſterium intelligens, exiſtimabat. Abſit à te, Domine, imprudenter optat: ſed error hic ex affectu prouenit charitatis. Increpatur ergò vt ab errore reſipiſcat, non vt à charitate diſcedat, imò vt correctus perfectiùs diligat. *Matth.16.* *Idem.* *Matt.16.* *Marc. 8.*

INDE & in monte, cùm reliqui fulgentis Domini ſplendore ſtupefacti mutire non auderent, primus prorupit in vocem: Domine, bonum eſt nos hîc eſſe. Non attendebat loci ſolitudinem, non deſerti incommoditatem, non rupium aſperitatem, ibi ſibi optimum eſſe cenſuit, vbicunque cum illo vnà eſſe contigiſſet. Si vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Heliæ vnum. Cur etiam ſibi vnum non popoſcit? quia eodem cum Ieſu contubernio vti, & nullo prorſus interſepto ab eo ſeiungi velle, conſilium erat. Semper oculis illum coràm intueri cupiebat, quem ſemel animo complexus fuerat. *Matth.17. Marci 9.* *Idem.* *Matt.17.* *Marc.9.*

TVNC quoque ſeparari ab eo pertimuit, cùm ille Diſcipulorum pedes loturus, ſibi obnixè renitenti minaretur ac diceret: Niſi lauero te, non habebis partem mecùm. Hoc vt audiuit, protinus ſe totum eius exponens voluntati reſpondit: Domine, non tantùm pedes, ſed & manus & caput. Modò dixerat, non lauabis mihi pedes in æternum, & tam citò mutauit ſententiam, quàm citò illam Domino minùs placere intellexit. Vtrobique tamen ſummi amoris argumentum, cum & reuerentiam præ ſe tulerit renuendo, & permittendo obſequij ſolicitudinem; veritus ne quam ob cauſam conſuetudine eius, qua ſibi nihil dulcius neque ſuauius erat, carere cogeretur. *Ioan.13.* *Idem.* *Ioan.13.*

Digitized by Google

Idem. *Ioan.13.* QVID illud? cùm audisset quòd vnus ex Discipulis conspiratus esset aduersus Dominum suum, & à Ioanne quæreret, quis ille esset? quo eum animo quæsisse crederemus? nónne in ipsum protinùs irruendi, ipsum membratim discerpendi, & in frusta concidendi laniandique, si cognouisset? quandoquidem nec armatorum cohortem timuit, vnum ex illis gladio feriens, dum pro Domino, cui iam manus iniecerant, furibundus contempto vitæ periculo decertat, plures inuasurus, nisi Dominus inhibuisset. *Matt.26.* Tunc gladium vaginæ reddidit, cùm is, cui etiam ligato parendum erat, iussit.

Idem. *Ioan.20.* ILLVD etiam obiter consideremus, quantæ pietatis quantæque teneritudinis fuit, cùm Dominum audisset dicentem: Quo ego vado, vos non potestis venire; solus percontatur & interrogat: Domine, quo vadis? & quare non possum te modò sequi? animam meam pro te ponam. Omnia quidem præsumere cogebat amor, sed imbecillitas non omnia potuit præstare. Iam ad supplicium raptum à longè sequitur, nec in atrium ingredi audet, sed foris ante ostium præstolatur, & ab alijs introductus accedit ad ignem, quoniam subrepente formidine frigescebat charitas. Denique interrogatus, se nosse illum negat, pro quo paulò antè ne vitæ quidem suæ parsurum, si res ita postulasset, dixerat. Cessit tunc sanè timori amor, vt pateret quanta esset humana fragilitas, vbi auxilium subtrahitur diuinum: Sed & si cessit, non tamen recessit. Rursum se ille colligens, cùm in ipsum respexisset Iesus, vsque adeò timuisse doluit, vt dolore mors leuior fuisset. Haud igitur minoris dilectionis testimonium præbuit viuus dum crimen luget, quàm præbuisset mortuus, si Dominum omninò non negasset. Proindè etiam post reatum, his quoque qui nihil tale commiserant, præferri meruit, omnium Princeps constitutus, quia omnibus plùs dilexit. *Ioan.20.*

Idem. PERSEQVAMVR & illa intimi amoris signa, quæ post Resurrectionem Saluatoris, in eo apparuisse Euangelica veritas docet. Cùm igitur singulari cultu atque obseruantia, Dominum vsque ad Crucem prosecutus fuisset, mortuum quoque ac sepultum quærere non cessauit. Cucurrit

vnà

Digitized by Google

vnà cum Ioanne ad monumentum, vt citiùs cæteris videret illum, quem cæteris ardentiùs amabat. Præcurrit quidem Ioannes, sed antè introiuit in monumentum Petrus, corpore tardior, sed amore aliquantò feruentior. *Ioan.* 20. *Ioan.* 20.

ITA & cùm piscationem facerent, Dominum ipsos de littore alloquentem, prior agnouit Ioannes, sed ad eum prior venit Petrus. Sic quippe traditum est: Simon Petrus cùm audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se, (erat enim nudus) & misit se in mare; alij autem Discipuli nauigio venerunt, non enim longè erant à terra. Non patitur moras charitas, tametsi prope littus erant, haud quaquam distulit Petrus, quin ipsum nauiculæ cursum suo præueniret, dum ad Dominum properat. Non petijt nunc vt super aquas ambularet, quia & id petere tardatio videbatur, & cum miraculo velle agere aliquid, quod sine eo perfici potest, Deum tentare est. Itaque vado, quò volebat, peruenit, reliqui deinde applicuêre. Tum demùm iubente Domino afferri de piscibus, quos ceperant primus ascendisse dicitur, & traxisse rete in terram magnis piscibus plenum. Qui enim impensiùs amat, solicitiùs paret. Magnisque affluit virtutibus, qui perfectè eum colit. Et cùm tanti essent, inquit, non est scissum rete. Non enim rumpi nexus possunt, quos verus innodauit amor, neque virtutum aceruus dissipari poterit, si in sinum congestus fuerit charitatis. *Ioan.* 21. *Idem.* *Ioan.* 21.

ILLVM ergò Dominus, cui plus inesse erga se peteratis nouerat, dignum iudicauit, quem ad Ecclesiæ gubernacula sedere faceret. Ter interrogato, & ter respondenti, quòd ipsum amaret, oues suas vltrò committit. Quòd autem tertiò interrogatus Petrus contristatur, iam ne quid vt antè imprudenter temereque præsumpserit dubitat, & idcircò consideratiùs respondet: Domine, tu nosti omnia, tu scis quia amo te. Aliàs multùm pollicitus, tam nihil præstitit, vt etiam veritatem abnegaret: modò nihil promittere ausus tantum exhibuit, vt post persecutiones, verba, carcerem, catenas quæ pertulit, etiam crucifigi pro nomine illius non recusarit. Hinc *Ibidem.*

Digitized by Google

apparet, nihil eo esse imbecillius, qui in se confidit: neque fortius, qui in Deo. In Deo confidens, Neronem contempsit, qui in se confidens, expauerat ancillam. *Ibidem.*

Paulus Apostol. Actor. 11.

DE Paulo quoque Apostolo in Actis legimus, cùm esset Tyri, ab Agabo Propheta & à Spiritu sancto fuisse prædictum, quòd vincula tribulationesque passurus Ierosolymis esset; ipse tamen, eodem spiritu confirmatus, illò proficisci nequaquam dubitauit, nihil supplicia veritus, dum prædicat Iesum. Lugentibus Discipulis, & magistrum indulgentissimum pariter ac doctissimum à proposito deterrentibus: Quid facitis, inquit, flentes & affligentes cor meum? Ego autem non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum, propter nomen Domini Iesu. Iuit, in insidias incidit, comprehenditur, ligatur, cæditur, torquetur. Et tamen cùm ei fandi copiam fecissent, tortores suos in viam salutis dirigere moliebatur, non pro se solicitus, vt vel sic acceptus dimitteretur, sed pro illis, ne errantes in æternum perirent, pro iniuria referens beneficium, pro malo bonum. Non enim languescit odium sustinens charitas, sed accenditur, si vera fuerit. *Actor.* 21.

Rom. 8.

HINC idem ad Romanos à Corintho scribens, clamat: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, & æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Psal. 43.

Idem. Philip. 1.

HINC etiam à Roma ad Philippenses scribens: In omni fiducia, inquit, sicut semper & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Et rursum: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter

Philip. 3.

Chri-

Digitized by Google

Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, vt & inueniar in illo, non habens meam iustitiam quæ ex Lege est, sed illam quæ ex fide est, Christi Iesu. Ad hæc & Corinthios hortatur, dicens: Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et de ijs qui Deum amant, ad Romanos ait: Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Et de ijs, qui negligunt, ad Corinthios: Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, maranatha, quod Syrum esse aiunt, & sonare, Dominus venit: vt sit sensus: Eum in aduentu Iudicis, à fidelium consortio separandum, qui à Christi charitate inuentus fuerat alienus.

1. Cor. 10.

Rom. 8.

1. Cor. 16.

CHARITATEM autem Dei habet, quisquis ea, quæ ab illo præcepta sunt, ante omnia exequi studet. Ioannes Apostolus: Hæc est charitas Dei, inquit, vt mandata eius custodiamus, ac ne quid excuses, subiungit: Et mandata eius grauia non sunt. Idem alibi: Et hæc est charitas, vt ambulemus secundùm mandata eius. Ipse quoque Dominus in Euangelio: Si diligitis me, inquit, mandata mea seruate. Et iterum: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Et rursum: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

1. Ioan. 5.

2. Ioan. 1.

Ioan. 14.

QVANTA verò vel quàm necessaria sit charitatis virtus, Paulus plenissimè declarat illa Epistola, quam primam ad Corinthios scribit, affirmans vni charitati omnes inesse virtutes, & omnes prorsus virtutes nihil esse, si hæc vna defuerit. Cuius quidem sententiæ verba, quoniam non solùm discenda, sed etiam ediscenda sunt, operæpretium erit hîc apponere.

SI linguis hominum, inquit, loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs so-

1. Cor. 13.

Digitized by Google

nans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero Prophetiam, & nouerim mysteria omnia & omnem scientiam: Et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit, siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destrueretur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc. Maior autem horum est charitas.

HAEC charitas Sanctos tuos, Domine, non modò diuitiarum dignitatumque secularium atque honorum, verùm etiam vitæ lucis huius contemptores fecit. Nullis Tyrannorum minis suppliciisve absterreri potuerunt, ne *Apostoli.* nomen vbique palàm prædicarent atque extollerent. Petrus, Andreas, Philippus crucifigi non recusarunt. Iacobus & Paulus capite truncari, Iacobus alter de pinna Templi deijci, & fullonis fuste mactari, Ioannes in bullientis olei dolium nudus demitti. Thomas & Matthæus lanceis confodi. Stephanus lapidibus obrui. Matthias securi percuti, Simon & Iudas irruenti sacrilegorum impetu elidi atque obteri. Reliqui omnes Discipuli diuersis tormentorum *Martyres.* generibus absumi ac perimi. Quid post illos de tot millibus Martyrum dicam? Dulcia illis tormenta erant, per quæ ad te ascendere, tecum iungi properabant. Nihil illis formi-

Digitized by Google

formidini, nihil timori esse poterat, quoniam perfecta charitas foras mittit timorem. Vehementiores pœnas expetierunt, vt maioris erga te amoris testimonium redderent. Sed nulla tam vehemens à persecutoribus excogitari potuit, vt æquaret patientium affectum: grauiora tolerare parati erant, quàm nouerat inferre rabies inimici in ipsos debacchantis.

SED ne fœminarum in Deum pietatem omninò præterijsse videamur, vnius exemplo contenti erimus, pietatem deinceps proximis debitam prosecuturi. Maria Magdalena mundi dilectione, in dilectionem Domini commutata, soli illi placere cupiens, venit in domum Pharisæi vbi ipse recubuerat, humique prostrata, pedes eius osculari cœpit, lachrymis rigare, capillo tergere, vnguentis perfundere: & quoniam charitas operit multitudinem peccatorum, continuò de illa dictum est: Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum. *Luc.* 7. *Fœminæ.* *Maria Magdalena.* *Luc.* 7. *1. Pet.* 4.

ITERVM in domo Simonis leprosi eiusdem Domini caput vnxisse refertur vnguento pretioso. Impetrata quippe delictorum venia altiùs promouetur, & quę pedes vnxerat, iam digna fit quæ vngat & caput. Sic paulatim progrediendo, ab infimis ad summa vsque peruenitur. *Eadem.* *Matt.* 26. *Marc.* 14.

IMMENSI amoris indicium & illud fuit, cùm Martha soror eius, Dominum accipiens hospitio, parandi conuiuij cura distringeretur, illa audiendi verbi dulcedine delinita, nullis eisdem germanæ compellationibus auelli potuit, vt abeo parumper secedens ipsam in ministrando iuuare vellet. Ideoque optimam partem elegisse dicitur, quæ non auferetur ab ea. Charitas enim nunquam excidit. *Luc.* 10. *Eadem.* *Luc.* 10. *1. Cor.* 13.

SED vt alia omittam, quis dignè explicare nedum laudare queat, iam sepulto Domino animi eius solicitudinem affiduumque angorem? Comparauit aromata, ante lucem ad monumentum venit, & non inuento corpore recurrit ad Discipulos: Tulerunt, inquit, Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerint eum. Rursum reuertitur, identidemque super vacuum sepulchrum inclinata prospectat, perquirit, plorat: recedunt Discipuli, *Eadem.* *Ioan.* 20.

Digitized by Google

puli, permanet illa. Qua perseuerantia atque inquietudine tandem obtinuit, vt Domini à morte resurgentis gloriam prima videret, prima crederet, prima cæteris nuntiaret. *Ioan.* 20.

De Charitate erga proximum. CAP. II.

QVONIAM verò neque Deum diligere probatur, quisquis non dilexerit proximum suum: discamus Sanctorum exemplis, ipsi quoque proximi, id est, omnes homines (omnium enim vnus pater est Deus) quali amore, quantoque animi affectu prosequendi sint.

Ionathas. 1. Reg. 18. 19. & 20. IONATHAE erga Dauid amicitiam non imminuit Saulis patris indignatio, sed auxit. Pater sæpe vitæ Dauid insidiatus est, semper filius detexit insidias patris, frequenter iratum placauit, & à persecutione amici auertit. Cumque die festo Neomeniæ in celebri conuiuio requireretur, excusauit eius absentiam, & patris odium in illum concitatum in se penè excepit, lancea ab eo petitus, sed à Deo protectus. Exurgens ergò ne gustatis quidem solennibus epulis latebras adijt Dauid, eumque monuit, vt fuga sibi salutem quæreret. Denique (vt Scriptura testatur) diligebat Ionathas Dauid sicut animam suam, in tantum de salute eius solicitus, vt potiùs patrem regem sibi infensum sustineret, quàm illum desereret. Documentum est, non oportere parentum aliorúmve dissidijs aut insultationibus nos moueri, vt ab officio discedamus, quod proximis debemus. Scriptum enim est: Noli fieri pro amico inimicus proximo. *Eccli. 6.*

Dauid. 2. Reg. 24. 1. Par. 11. DAVID regis erga populum charitas cum in multis, tum in eo præcipuè apparuit, quòd postquam ob illegitimam simul & arrogantem plebium enumerationem puniendus, ex tribus malis vnum optare cogeretur: neque famem in terram suam, neque cædem suorum ab inimicis inferendam elegerit, cùm sibi & frumenti satis suppetere posset, vt Regi & multorum armis tectus, necem minùs ipse timere: elegit autem communem tam sibi, quàm reliquis omnibus metum, pestilentiam, imò quàm in se potiùs, qui deliquerat, quàm in alijs desæuituram speraret.

At vbi

Digitized by Google

At vbi vidit, se prætermisso, populum vastari cædique, Angelo percutiente, exclamat: Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi; isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domũ patris mei. Qua pietate diuinam placauit iram, sibique & ijs qui superfuerant veniam impetrauit, tam iustus in pœna eligenda, quã promptus in perferenda. Sed cùm neque populus à culpa credatur alienus, ipse corporis, ille animi dolorem passus est, minùs doliturus, si soli patri contigisset. 2 *Reg.* 24.

ABDIAS, Iezabele impia Prophetas interficiente, centum ex eis speluncis abditos pauisse dicitur. Non pepercit impensæ, tot homines pascendo, & magnum vitæ suæ adijt discrimen eos occultando, quibus cùm sibi vnà moriendũ esse non dubitaret, si deprehensi fuissent. Quamobrem & ipse diuinatione donatus, quarto loco censetur in catalogo duodecim Prophetarum. Qui enim Prophetam accipit in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. 3. *Reg.* 13. *Abdias.* 3. *Reg.* 18. *Matt.* 10.

TOBIAE charitatem Babilonica captiuitas probationem fecit. Quippe in eadem necessitate constitutis, quoquo modo potuit, opitulari non cessauit, nunc verbis consolãdo, nunc rebus iuuando, & eos qui ab impijs hominibus cædebantur, sepeliendo. Hinc cùm & ipse regis Sennacherib iussu necandus perquireretur, Deo fauente vnà cum suis periculum effugit. Postea rege, filiorum manu interẽpto, reuersus, omnia quæ sibi sublata fuerant recuperauit, ne benefaciendi materia deesset, cui non deerat animus. Pius ergo in medio inimicorum seruari meruit: crudelis autem nec inter filios tutus fuit. *Tob.* 1. *Tobias* *Tobiæ* 1.

ET beati Iob pietatis opera percensentur, dum ad eum dicitur: Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti. Cur ergò post hæc ærumnis concutitur, calamitatibus premitur, ad extremam redigitur miseriam? Cui? nisi vt aurum igne probatur, sic is qui prosperis in rebus semper continẽtissimus fuerat, etiam in aduersis eiusdem integritatis esse noscatur? Post probationem à malis liberatus, duplicia recipit, temporale vtique & æternum *Iob.* *Iob* 4.

Digitized by Google

nũ, ne ignores multò maximũ esse pietatis mercedẽ. *Iob. 4.*

Abdemelech. *Ierẽ. 38.* ABDEMELECH AEthiops Eunuchus Sedechiæ regis seruus, Ieremiam ab ijs, qui vera audire non poterant, in cœnoso lacu ignominiosè deiectum miseratus, cum regẽ pro illo exorasset, solus eduxit. Inde qui Prophetam malè habuerant, in hostium potestatem deuenerunt, è quibus alij interfecti, alij in Babylonem captiui ducti sunt. *Ibid. 39.* Ad ipsũ autem Abdemelech per Prophetam dicitur: Liberabo te in die illa, ait Dominus, & non traderis in manus virorũ, quos tu formidas. Sed eruens liberabo te, & gladio nõ cades, sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus. O grande charitatis meritum! Capitur, quatitur, vastatur, funditùs euertitur Ierusalem, & inter tot gladios furentium inimicorum is, qui proximum ab iniuria liberauerat, diuina virtute protectus liber expersque periculi fuit. *Ierem. 38. & 39.*

Christus. MVLTA quidem id genus exempla de veteri Testamẽto adduci in medium possent, nisi plura noui, modò sese ingerent referenda. Iam primùm Christi erga nos charitas effecit, vt nisi proximos nostros dilexerimus, non iniusti solùm, sed etiam ingrati simus. Si enim Dei Filius pro hominibus homo factus est, si formam serui accepit, si mori voluit: quanta ingratitudo est, nos tantillum gratiæ illi referre nolle, vt eos diligamus, quos ipse sic amauit? Profectò indignus est beneficio redemptoris, qui communis Redemptionis aspernatur cõsortem, & inter feras belluas computandus, dum ita exuit humanitatem, vt hominem contemnat, quem iuuare cõditio, genus, natura, Deus hortantur. Ne malos quidem odisse debemus, sed modis quibus commodiùs fieri potest, vt corrigantur, curare.

Ioannes Apostol. IOANNES Apostolus, cùm iuuenem, quem, baptizatũ peregrè proficiscens, Episcopi cuiusdam fidei commiserat custodiendum, discessisse atque in solitudine cum multis latrocinia exercere audisset, vehementi dolore affectus est, incusauitque Episcopi negligentiam, in eiusmodi depositò seruando, nec cunctatus conscenso equo ad grassatorum latibula abijt solus, periculi immemor, dum perditam ouem vestigat inter lupos. Eo viso, iuuenis commissi con-

Digitized by Google

si conscientia verecundatus, fugere cœpit, Ioannes insequi, consecutusque eum, blanditijs promissisque allicit, & ad spem veniæ animat, se pro illo rationem redditurum, modò pœnitere ac secùm redire ne detrectaret. Itaque reuersum sic instituit, vt lucraretur Christo. Nobis documẽto est, nullo labori parcendum, vt proximum pernicioſis vitæ erroribus implicatum expediamus ad salutem. Alioquin contempsisse arguemur, quem sicut nosipsos diligere iussi fuimus. *Euseb. Hist. Eccle. lib. 3. cap. 17.*

HOC loco nó omittendæ videntur Sancti huius de odio charitateque sententiæ, quò accuratiùs enixiusque hãc sequamur, illud euitemus. Qui dicit, inquit, se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ occæcauerunt oculos eius. Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitã æternam in se manentem. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Charissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum: Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Si quis dixerit, quoniã diligo Deũ, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatũ habemus à Deo, vt qui diligit Deũ, diligat & fratrẽ suũ.

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 3.

1 Ioan. 4.

Paulus Apostol. Rom. 9.

PAVLVS quoque Apostolus, qualem erga proximos charitatem haberet, ostendit ad Romanos, dicens. Optabã ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis. Et

ad Co-

Digitized by Google

. Cor. 7. ad Corinth. in cordibus nostris estis, ad commoriendum,
Philip. 1. & ad conuiuēdum. Et ad Philip. Testis mihi est Deus, quo-
. Thess. 2. modo cupiam omnes vos esse in visceribus Iesu Christi. Et ad Thess. Facti sumus paruuli in medio vestrum: tanquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniā charissimi nobis facti estis.
. Cor. 9. Rursum ad Corinthios: Cùm liber essem, inquit, ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem, & factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer; iis qui sub Lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub Lege, vt eos qui sub Lege erant lucrifacerem. Omnib' omnia factus, vt omnes facerem saluos. Idem denique ait
bid. 10. Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.

PRAETEREA charitatis proximi præcepta nobis insi-
om. 13. nuans. Qui diligit proximum, inquit, legem impleuit. Nā non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximū tuū sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergò legis est dilectio. Rursum alibi: Omnis enim
alat. 5. lex in vno sermone impletur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quòd si inuicem mordetis & comeditis, vi-
phes. 5. dete ne inuicem consumamini. Alibi quoque ait: Estote imitatores Dei sicut filij charissimi. Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsū
ebr. 13. pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis. Iterum alibi: Mementote, inquit, vinctorum tanquam simul vincti, & laborantium tanquam & ipsi in corpore morantes. Atque alibi breuiter omnia comprehendens,
alat. 6. ait: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

poſtoli APOSTOLORVM postremò omnium, & eorum qui illos secuti sunt, vnum hoc charitatis propositum fuit, neq;
eorum rerum præsentium, neque quietis, neque vitæ mortalis vllam habere rationem, dum consulitur spiritali saluti proximorum.

SERA-

Digitized by Google

SERAPION Abbas oppidum quondam infidelium ingressus, cùm publicè prædicantem in medio pellerent, venundare sese illis cœpit in seruum, vt saltem cum dominis priuatim colloquendi potestatem haberet. Vbi verò frequenti assiduaque suasione, illum cui seruiebat credentē, de Idolorum seruitute in fidei Christi libertatem vendicasset, reddito ei pretio ad alium transibat. Hoc gentiles erudiendi genere etiam Lacedæmone & Athenis vsum dicunt. Itaque non recusauit venalis mancipij vilitatem Abbas, vt alios à pernicie liberaret erroris. *Pallad. Lauss. Hist.* 83. *Serapion.*

MAGNA & Abraam Eremitę in neptem charitas, quam secùm in solitudine commorantem Deo seruire & virginitatem custodire docebat assiduis monitis, quotidianaq; adhortatione. Sed illa tandem à iuuene quodam solicitata, cùm sceleri consensisset, patrui sanctissimi viri conspectum ferre non valens, clā discessit, & de venia desperans, impudicitiæ se dedit. Quid ageret, amissa oue, pastor iam senex nesciebat, & tamen quiescere præ dolore ne poterat. Denique eremum relinquere, tegumentū vt non agnosceretur mutare, vrbes quas fugerat intrare, nihil intentatum relinquere, donec illam inuenisset, decreuit. Hoc igitur consilio vsus, quæsitam inuenit, inuentam conuertit, conuersam secum reduxit, & tanto labore recuperatam diligentiùs custodiuit, ita vt illa salutem, de cuius spe deciderat, pœnitendo acquisierit. Quòd si ipse delinquentē neglexisset, nū quam fortasse illa à delictis resipuisset. Sed nescit torpere charitas, quousque subleuet corruentem. *Ephren. in vit. PP.* *Abraam Eremita.*

PAVLINVS Nolæ vrbis Episcopus (sicuti alio loco de ipso diximus) viduæ cuiusdam filium, in Africa apud Vandalos captiuum, cùm pecunia non suppeteret, vicaria seruitute redemit, mulieris orbitatem miseratus: simul ne ille iuuenis, dum superbis dominis seruit, eorum ritus secutus, seruire inciperet diabolo, maluit vitam suā quàm proximi animam periclitari. *Aug. de Ciuit. Dei. lib.* 10. *cap.* 10. *& suprà pag.* 18. *Paulinus Episcop.*

ANTIDIVS Turonensis Episcopus, Caçodæmonem lætum *Antidius Episcop.*

Digitized by Google

lætum ac gestientem videns, quòd Zozimum Summum Pontificem septennio solicitatum, tandem ad stuprum cõmittendum, se impulisse diceret: haud cunctandum ratus, illi præcepit, vti se eadem celeritate, qua venerat, Romã perferret. Die altero Pontificem adijt, relatisque quæ de illo dæmon iactauerat, ruborem ei pauoremque iniecit, & confitentem protinùs ad pœnitentiam conuertit, eodemque vectore vsus, diei spatio ad Turonem redijt. Timuisset sese dæmoni credere, nisi proximi charitas foras misisset timorem. Cuius quidem charitatis merito effectum est, vt is qui Papam corruere fecerat, Episcopo obediret. *Antid. habet Martyr. Vsuar. Iunij 25.*

Pacomius Monach. PACOMIVS Monachus animaduertens proximi vicolonos, rerum ignaros, à cultu abesse diuino, & tantummodò in pascendis pecoribus studium protrahere, vehementer indoluit, nihilque moratus, eremum deseruit, & inter illos tugurio lum sibi constituit. Neque priùs ad solitudinis locum redijt, quàm illos edocuisset Deum honorare, Christo credere, piè atque innocenter viuere. Fugerat frequentiam, sed fugientem reuocauit charitas: Veluti qui maris periculum euadens, iam in portu atque in tuto se recepit, tum si quos naufragari respexerit, rursum cõmittit se fluctibus, vt in alto laborantibus opem ferat, suæ ipse quieti salutem præponens aliorum. *In vitis PP.*

Vitalius Monach. VITALII etiam Monachi in vrbe Alexãdrina mira admodùm charitatis opera extitêre. Prostibula adibat fœminarum, & cum ea quæ impudentiore lasciuia diffluere videbatur, noctem pactus pretium offerebat. Admissus autẽ in aliquo fornicis angulo, procumbens deprecando pernigilabat, donec illuscesseret dies. Factum admirans mulier, cogebatur interim tacita intra se cogitare, non iam quantum lucri feciisset, sed quantum turpiter viuendo Deũ offendisset. Itaque multæ ab eo hoc modo conuersæ, vitam correxêre. Ipse verò peruersa hominum opinione iactatus, quoniam circa lupanaria frequens erat, palamque reprehensus patienter tolerabat, cùm plus vtilitatis ex correctione alieni delicti caperet, quàm ex sua infamia damni. *In vitis PP.*

PANV-

Digitized by Google

PANVTIVS quoque Abbas, qua ratione Thaidem nobile scortum ab impudicitia auerteret, excogitauit. Cùm enim ab ea secretiorem congrediendi locum poposcisset, & in abditissimum postremæ domus cubiculum ductus, ibi etiam ne ab aliquo conspiceretur, vehementer se vereri diceret: Ne dubita, inquit illa, nemo hîc te iam videre præter Deum potest. Captata occasione Abbas interrogauit, an Deum esse crederet, quem latère nihil possit, tum qui bonis præmia & malis proponat pœnas. Annuenti subiúxit: Cùm hoc non ignores, nónne infelicissima es, quę propter breuissimi temporis voluptatem, & te, & omnes quibus tui copiam facis, perditum eas, cruciatibusque æternis deputes? Scelerum conscia mulier statim in lachrymas prorupit, ac deinceps lasciuiam carnis frenans ieiunijs, orationumque fatigationibus domans, pudicè sanctèq; vixit. Itaque neq; ipse Panufius timuit in se suspicionis notam, dum in alios timet reatus pœnam. *In vit. PP.* *Panufius Abbas.*

BERNARDINVS antequàm Minorum Religioné profiteretur, vitam imitabatur in omni charitatis negotio assiduam. Senæ pestilentia laborabant: plerique contagiosâ morbi vim timentes vrbe excesserant, & illi quoque qui resedissent cum ea familia, in qua æger erat, commercium habere formidabant. Solus Bernardinus sic destituris, necessarium præstare ministerium decreuit. Duodecim iuuenibus persuadet, vt secum infirmis seruiendo, Christo seruiant: cum hoc comitatu domos laborantium ingredi, sanos consolari, ægrotis mederi, Indigentibus victum, defunctis sepulturam prouidere, sed ante omnia curare, vt confessi contritique, quicquid euentus ferret, expectarent. Magis verebatur, ne quid decentibus officeret ad beatitudinem consequendam, quàm ne sibi ad vitam propagádam. Cæterùm tantæ pietatis vir in tam præsenti periculo, sanus atque incolumis meruit conseruari, dignusque effici, qui multò magis postea prodesset hominibus prædicando, quàm tunc profuerat ministrando. *Sur. Tom. 3.* *Bernar.*

SANCTVLVS Nursiæ Prouinciæ Abbas, cùm sibi pecunia non suppetisset, qua Diaconum suum à Longobardis *Sanctulus Abbas.*

Digitized by Google

dis latronibus captum redimeret, aliam longè difficiliorem redimēdi rationem iniit, & vt sibi cum illo colloqui, diesque aliquot vnà esse liceret, rogauit. Qui rogabantur hac lege concesserunt, vt si Diaconus effugisset, tunc Abbas qui per ætatem effugere non poterat, capite puniretur. At ille pro Diacono mori paratus, fugam persuadet, eumque noctu emittit. Qua de causa ad necem petitus, præbuit ceruicem. Cæterùm iam ad feriendum elatam videns spiculatoris manum, protinus exclamat: sancte Ioannes, tene illam. Immota mansit, & rigentibus neruis deflecti nequiuit. Reliqui miraculo territi, Abbatem liberum fecêre. Qui mox rogatus, malè affectam manū oratione curauit. Multiplicia dona certatim offerebant, venerantes iam quē dudum occidere voluerant, nihil illi accipere libuit, præter captiuos, qui omnes libertati redditi, cùm eis gratias egissent, abiêre. Itaque Sanctulus Abbas dum se morti opponere pro vnius salute non dubitat, vnà cum multis meruit seruari, Deo id tribuente hominis pietati. *Greg. Dial. lib. 3. cap. 37.*

Carpus. CARPVS Pauli Apostoli Discipulus (sicuti de illo Dionysius ad Theophilum scribens testatus est) cum fidelem quendam ab infideli subuersum cerneret, præ dolore languere cœpit. Cumque vt conuerterentur orare debuisset, vt ambo è vita decederent optauit: veritus, ne alterius suasu, alterius exemplo, alij corrumperentur. Vidit autem in quiete illos in fornacem ardentem, à spiritibus immundis trahi, violenterque impelli, & cum eo spectaculo delectari cœpisse, aspexit Christum cum Angelis è cælo delabi in terram, ipsosque ab ignis periculo ereptum accedere. A quo & audiuit, iterum paratum se pro peccatoribus pati. Hac visione admonitus, pro vtriusq; conuersione Domino supplicauit, & quos antea mori concupierat, demū in fide viuificatos recepit. Hinc discimus, neminem appetere debere delinquentium pœnas, sed pœnitentiam, orādumque esse etiam pro incredulis & iniquis. Sic est enim amplectenda religionis fides, vt non deseratur proximi charitas. *Dionys. Areopag. Epist. 8.*

Famina. NVNC ne alterius etiam sexus, pium in proximos amorem

tem silentio prætermittamus, idem amor nos hortatur, vt scilicet & legentes vberiorem referant fructum, & sanctę Fœminæ sua laude, quantùm in nobis est, minùs fraudentur.

CATHARINA Virgo duode-viginti annos nata, cum Maxentij Alexandriæ Præsidis edictum audisset, in quo referebatur, gladio in illos animaduerti placere, qui die præstituta Templum ingressi, Deos non adorassent: in medium prorupit, & Præsidem ipsum nomine compellans, atque insaniæ palàm arguens, Christum crucifixum adorandum esse asseueranit: inanium autem Deorum simulachra contemptui habenda, simul cum ijs, qui adorant ea. Non est vera, sæuissimo insultare tyranno, vbi proximorum periclitari vidit fidem. Corporis mortem contempsit, ne fideles, supplicioru metu perterriti, in mortem ruerent infidelitatis. *Metaphrast.* *Cathar.*

ANASTASIA Romana infideli quidem viro tradita, sed tantùm Christo iuncta, cum Patricij generis esset, prætulit nobilitatis altitudini, charitatis humilitatem. Quippe vilibus induta ne agnosceretur, Martyrum carceres inuisebat, vincula exosculabatur, ad patientiam exhortationibus animabat. His officijs digna euasit, quæ & ipsa coronam referret Martyrij *Suidas apud Sur. Tom. 6.* *Anastas.*

MARIA Decegnies cognomento dicta, de pago Niuella Episcopatus Leodij, ipsa vitæ sanctitate maritum pellexerat, vt castitatem seruaret. Ambo ergò Christo, non mundo, seruientes, leprę morbo affectis ministerium impendisse dicuntur. Non languoris deformitas, non tabes, non sanies fœculenta, non morbi euitanda contagio, obstitit charitati. Miserabilior ægrotantium facies, ministrantiũ curam magis accendebat. Nunc cum Christo regnant in cælis, qui leprosis ministrarunt in terra, pro breui labore præmia consecuti sunt beatitudinis æternæ. *Iacob. Vitriac. Card. Sur. Tom. 3.* *Maria Decegnies.*

BONA Virgo in finibus AEgypti, in sanctarum Virginũ cœnobio Deo seruiens, dum quam intet illas, quam præcipuè dilexerat, ex graui valetudine iam morti proximam miseratur, orauit Dominum, vt cùm ea simul diem obi- *Bona Virgo.*

Digitized by Google

ret, perpetuaque morientis fieret comes. Vt orauerat, impetrauit, ambæ eodē die vita defunctæ sunt, ambæ vno sepulchro conditæ. O inseparabile pij amoris vinculū, quod ne morte quidem soluere licuit! Simul cælum peti êrunt, quæ simul in terra Christo seruierant, vt conuiuere sic etiā commori exoptantes.

Theodora Virgo. CHARITATE inter se contenderunt apud Antiochiā Theodora Virgo & quidam miles. Illa ob Christi confessionem ab infidelibus in prostibulum truditur: Miles ignotus eam primus adiens, persuadet vt mutatis secum indumentis, virili habitu euadens, Virginitatē intactā conseruet. Cumque ipse cum muliebri veste deprehensus, pro virgine ad supplicium traheretur, non sustinuit illa, vt cuius ope pudicitiam tutata fuerat, ei necis causa fieret: palā proclamat, se esse ei pœnæ addictam, non ipsum; econtrà ille, imò se Iudicis sententia damnatum, non illam. Dia certarunt, vterque alterum sua morte redimere cupientes. At verò quoniam Christum confitentibus mori viuere erat, Deo disponente, ambo simul capitis obtruncatione, glorioſum Martyrium peregerunt, ne eos tyranni gladius separaret, quos iunxerat amor Christi. *Ambr. lib 2. de Virg. Sur. Tom. 2.*

De Charitate erga inimicos. CAP. III.

SED quoniam qui ait: Dilige proximum tuum sicut teipsum, idem deinde dixit: Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs qui oderunt vos: hanc quoque dilectionis partem prosequamur, vt Sanctorum exemplis discamus, nulli malum pro malo reddere, ne malè agenti pares simus, & quæ ab alijs facta reprehendimus, eadem ipsi faciamus. Tempore non opere differunt, inferens & vindicans iniuriam.

Ioseph. Genes. 37. Ibid. 43. IOSEPH ingentem fratrum inuidiam ingenti rependit beneficio: occidere eum voluerunt: in cisternam deiecerunt. Ismaëlitis vēdiderunt. At ille cùm deinde Pharaonis Præpositus esset, & fames septennis premere cœpisset terram, venientes in AEgyptum conuiuio excepit, frumento & pecunia iuuit, singulos exosculatus est, iniuriam omnem

Digitized by Google

tem remisit. Ac ne sequentibus annis, qui quinque donec septennium perageretur restabant, fame confecti perirẽt, vt ad se in AEgyptum cum patre totaque familia transmigrarent, curauit. Permissuque regis terram, in qua commodè habitarent, dedit. Quid multa? Qui sibi innocenti necẽ seruitutemque intentauerant, eos, cùm victus penuria laborarent, benignè susceptit, opiparè aluit, largè beneficijs affecit. *Gene. 45.*

MOYSES pro Maria sorore Deum orauit, & à lepra curatam reddidit, quam petulanter in se oblocutã nouerat, & ob hoc quidem lepra perfusam. Dimittere illam Dei iudicio voluntatique licebat, sed ipse pietate victus, vt morbo eo liberaretur, precibus impetrauit. *Num.* 12. *Moyses. Num. 12.*

IDEM à populo, quem de seruitute AEgyptia liberatũ, in terram lacte & melle manantem, id est, bonis omnibus affluentem, perducere tanto labore tantoque vitæ periculo moliebatur, sæpè murmuratione lacessitus est, sæpè furore impetitus, & ad Tabernaculum fugere coactus. Et tamen tali ac tanta ingratitudine nunquam sic commotus est, vt benefacere cessaret. Prostratus pro illis orauit, Deũ placauit, Manna de cælo, aquam de petra, dum deserta peragrant, ad esum potumque eius impetrauit, Legem digito Dei scriptam dedit: de inimicis victoriam à Domino exorauit, ducem, qui eos in terram promissionis inferret, reliquit. Si nihil in illum vnquã deliquissent, sed semper iussis omnibus fuissent obsequuti, magis pro ipsis solicitus esse non potuisset. *Idem.*

DAVID quoque Saulis Regis capitale in se odium beneficijs æquauit. Saul enim virtuti eius laudibusque inuidens, & lancea præsentem appetierat, & fugientem armis persequebatur. At ille persecutorem suum bis absque sui periculo interimere potuit, si voluisset. Semel in spelunca vbi ipse latebat diuertentem, cùm chlamidis laciniam nõ sentienti abscidit, Iterum sub tentorio, cùm noctu iuxta caput dormientis scyphum hastamque sustulit, & nulli custodum visus ad suos redijt. His quidem argumentis ostendere volens, quantum deferret regi etiam ini- *Dauid Propheta. 1. Reg. 18. Ibid. 24. Ibid. 26.*

Digitized by Google

quo, cùm ab illo declinare mallet, quàm hostiliter persequentem lædere. Denique à Philistæis cæsum luxit, & cædis eius nuntium, qui ex vulnere morientem, vt doloribus liberaret, ab ipso rogatus, insuper percusserat, occidi iussit, vt reliqui discerent, manum continere à Christo Domini. Benedixit autem illis, qui mortui cadauer mandauerant sepulturæ. Ad hæc illos, qui post Isboseth Saulis filiũ dolosè interfecerant, licet ipse de regni successione secum contendisset, vlcisci iussit, tã in aliorum offensores iustus, quàm in suos pius.

Prophetæ 2. Reg. 15

QVIDAM ex Prophetis, cùm venisset Bethel, Ieroboã Israël regem idolo sacrificantem increpuit, aduersa illi prophetans, familiæque eius. Iratus Ieroboam extendit manum, iubens apprehendi hominem, & continuò arefactam retrahere nequibat. Vir Dei autem misertus, pro illa manu, quam in sui iniuriam extensam mouerat, Dominũ rogauit, pristinæque sanitati protinùs restituit. Facillimè quippe diuina exoratur pietas, ab exercente pietatem. 2. *Reg.* 15.

Martyres.

QVID de Discipulis Martyribusque Christi dicam? qui etiam in eos, à quibus grauissima passi sunt supplicia, beneuolentiam benignitatemque præ se tulêre. Stephanus

Stephanꝰ Protomartyr.

pro illis, à quibus falsò accusatus, iniquè damnatus, crudeliter lapidum ictibus impetebatur, genibus prouolutus orauit, ne ipsis hoc ad peccatum imputaretur, quod sibi cedere sciebat ad gloriam. *Actor.* 7.

Iacobus Minor Apostolus.

IACOBVM quoque Apostolum, Alphæi filium, tunc cũ de pinna Templi lapidum ictibus deturbaretur, ac deturbatus insuper fullonis fustè cæderetur, orasse accepimus, illis ignoscí postulantem, à quibus iniustè necabatur. Sæuiendo impij efficere nequiuerunt, vt pius in se sæuientibus benè optare desisteret. *Euseb. lib. 2. cap.* 23.

Sabinus Episcop.

VENVSTIANVS Tusciæ Præses, Sabinum Assisij Episcopum, cum duobus Diaconis Exuperantio & Marcello, ob Christianitatem comprehendi fecerat, & in carcerẽ trudi. Hos ambos diuersis pœnis excruciatos interfecit, illi vtramque abscidit manum. Mox ipse graui oculorũ dolore vexatus, ab eodem remedium popoſcit, cui iam tot intu-

Digitized by Google

tulerat mala. Atque ille veluti beneficijs obstrictus, & nulla affectus iniuria, libenter accessit, diligenter orauit, efficaciter sanauit, sanando insuper hominem, ex infideli, Christianum fecit. Maius bonum pro malo reddere non potuit, quàm vt inimicum suum diligendo, Deum amicũ faceret, & eum pro Christo ad patientiam suppliciorum animaret, à quo ipse pertulerat supplicia. *Beda & Ado, Sur. Tom. 3.*

PERGENTIVS & Laurentius fratres, sub Decio Cæsare Aretij Martyrium passi, cum fustigarentur, & verberãtium brachia repentè obriguissent, vt illi sanitatem recuperarent orarunt: inimicorum potiùs, quàm suæ pœnæ, remedium exquirentes. *Sur. Tom. 3.* *Pergẽti⁹ & Laurentinus.*

IOANNES & Paulus, Iuliano Apostata imperante, Romæ passi sunt. Eorum corpora humi defossa, Terentiani militum Præfecti (cuius manu cæsi erant) filium ad tumulũ ipsorum adductum, à dæmoniaca vexatione liberum reddidêre. Hinc patet, quales erga alios vixerint, qui hos à quibus necati sunt, etiam mortui dilexerunt. *Terentianus. Sur. Tom. 3.* *Ioannes & Paulus.*

CHRISTOPHORVS Martyr, à Dago Lyciæ rege passus, cùm post multa tormentorum genera, stipiti alligatus, tandem sagittis appeteretur, atque earum vna reflexo mirabiliter ictu regis oculum confixisset, vulneris remediũ monstrauit. Rex itaque decollati Martyris cruore oculo illito sanatus est, & conuersus, cadauer eius sepulturæ honore affecit, cuius vitam extinxerat: Tunc demum considerans Christi virtutem, cùm expertus est erga se Martyris charitatem. *Rugger. Fulden. Sur. Tom. 4.* *Christop.*

NAZARIVM & Celsum Martyres, ij qui in mare suffocandos de naui iactauerant, cùm orta statim tempestate periclitari cœpissent, eosque super vndas ambulantes cõspexissent, vt sibi subuenirent, suppliciter petiêre. Illis ergò in nauem reuersis, atque orantibus, resederunt fluctus, posuerunt venti, periculum omne sublatum est. Sancti igitur tantum beneficij retulerunt, quantum iniuriæ acceperant, curantes ne illi mergerentur, à quibus ipsi submersi fuerant. Accessit beneficio cumulus, quoniam sic à *Nazar. & Cel.⁹*

Digitized by Google

mortis periculo liberatos, etiam quomodò in æternum beati viuerent, docuerunt. *Ambros. Sermon. 92. Ado, & alij.*

Spiridion Cypr. Episcop.

HAEC in Martyrio charitas, illa citra Martyrium. Spiridion Cypri Episcopus, fures nocturnos domi deprehensos, cùm multis vt eiusmodi scelere abstinerēt admonuisset, non solum impunitos, sed etiam veruece, quem furatū venerant, donatos dimisit. *Metaphrast. & alij, Sur. Tom. 6.*

Felix Monach.

FELICIS quoque Monachi in furem benignitas, à Gregorio in primo Dialogi sui libro, commendatur. Cùm enim hortuli curam gereret, ac subindè illum expoliari animaduertisset, serpenti præcepit, vt aditum custodiret, neminem læderet. Proh nefas, serpentes famulos Christi reuerentur, homines infestant. Fur aduenies, in primo statim ingressu viso serpente, pauidus retulit pedem, quo vepribus altè implicato, ipse in caput corruens, pronùs pependit, donec superuenit Felix. Qui pendentem miseratus, confestim deposuit, & oleribus abundè collatis, amicè hortatus est, ne per scelus quæreret, quod innocenter se largiente habere posset, quoties petitum veniisset. Magis forsan impensæ parceret Felix, si illum furari permisisset: sed à furandi peccato rem copiosiùs impartiendo auertere hominis animum, satiùs existimauit. *Greg. Dial. lib. 1. cap. 3.*

Odo Abbas.

TALIS in furem & Odo Cluniacensis Cœnobij Abbas fuit, illum enim, qui sibi equum noctu subducere attentauerat, eoque consenso, neque discedere cùm vellet, neq; omninò descendere quiuerat, manè compertum benignè ac perhumanè corripuit, & ad pœnitentiam criminis adduxit. Data etiam stipe veluti equi mercenarium custodē, non tanquam deprehensum abactorem, dimittendum curauit. *Sur. Tom. 6.*

Amos Eremita.

AMOS quoque AEgyptius, dum in eremo manenti panem, quo in diem vesci solebat, furto subtraherent homines impurissimi, duas serpentes cellæ custodiæ apposuit, quarum afflatu illi, cùm furandi animo propiùs accessissent, semineces concidêre, eos tamen superueniens Christi seruus, manu quenque prehensans erexit, & criminis blanditer arguens, ad pœnitentiam inflammauit, atque ita am-

Digitized by Google

amplexus est, vt ex furibus monachos faceret. Nunquid se suppilari doluit, qui suppilatoribus suis tam se benigum præstitit? Non vt vlciscereturinimicos, custodiam serpentibus mandauerat, sed vt deprehensos à flagitijs auerteret, & iungeret Christo.

NON minùs æquo animo quidam latronum violentiã tolerarunt, quàm hi dolos furum. Clodoueo rege aduersus Gothos arma mouente, quidam ex militibus prædę cupiditate Maxentij Abbatis Pictauiensis Monasterium inuaserunt, & cùm vnus Abbatem sacrilegio (vt poterat) renitẽtem ferire vellet, manum cum gladio sublatam demittere nequiuit, reliqui nescio qua stupiditate mentis correpti, immobiles constitêre. At Maxentius, immanitatis violentiæque eorum oblitus, pœnam miserari cœpit, & precatione liberos ab ægritudine reddidit. Qui deinceps inferre illi iniuriam & timuerunt castigati, & erubuerunt beneficio victi. *Sur. Tom. 3.* *Maxentius Abbas.*

ELPHEGVS Cantuariensis Archiepiscopus Romam versus pergens, cùm in vrbem Ausoniam diuertisset, omnibus quæ secum habebat exutus, vrbeq; eiectus fuisse dicitur. At cùm, Deo vlciscente Sancti iniuriam, repentino tecta incendio cõflagrare cœpissent, reuocatus oratione flãmas extinxit. Quo miraculo malignitas hominum in munificentiam versa, plurima offerebant dona: ipse verò nihil accepit præter ea, quę sibi modò per vim erepta fuerãt, vt gratuitò potiùs inimicos suos, quàm mercede diligere videretur. *Osbernus Monach. Sur. Tom. 2.* *Elphegus Archiepiscopus.*

IDEM Deo supplicando, & panem benedictum morbo affectis porrigendo, pestilentiã sedauit, in ipsos tantũ Cantuariæ occupatores grassantem, qui ab Ethelredo rege secedentes, cum pyratis societate, in vrbem hostiliter irruperant, magnam ciuium partem sustulerant, Monachos interfecerant, Templum incenderant, sibi graue vulnus infixerant, & carcere teterrimo constrictum menses septem incarcerauerant. Omnes Dei vltione deleti fuissent, nisi Elphegus interfuisset, ipsis etiam benefacere cupiens, à quibus tot mala se suosque passos sciret. *Ibidem.* *Idem.*

MAVRO Abbati, qui beato Benedicto in gubernatione *Maurus Abbas.*

Digitized by Google

ne succesſerat, monaſterium in agro Andegauenſi conſtruenti, quidam ex operarijs inter ſe blaterantes detrahere licentiùs cœperunt, idipſum monaſterij opus non pietati Religioniq́ue eius, ſed hypocriſi ſimulatæq́; ſanctitati deputando. Proinde Satanæ traditi, vnus qui criminis cauſa & caput fuerat, inſtanter expirauit, reliqui mirabiliter à dæmonio vexati ſunt. Mauro autẽ pro illis cum lachrymis deprecante, & mortuus reuixit, & qui nequitiæ ſpiritu agitabantur, liberati ſunt. Non, n. ſolet ad indignationem detractione moueri, quiſquis etiam laudari contemnit *Sigibert. Gembl & alij, Sur. Tom. 1.*

Appollo. Abbas. HINC etiam Apollonius Monachus & Martyr cùm in carcere detineretur, & Philemon choraules omnibus eum opprobrijs oneraret, ſuſpirans: Fili, inquit, miſereatur tui Deus, & nihil horum quæ modò in me obloquendo effudiſti, reputet ad peccatum. His verbis ille corde cõpunctus, & fidem quam perſequebatur ſuſcepit, & non recuſauit martyrium.

Vitalius Monach. VITALIVS Alexandrinus Monachus, hominem à quo alapam acceperat, ſtatim â dæmone arreptum ac voluratim humi iactatum, dũ pro illo oraſſet, omni prorſus moleſtia impediuit. Tam facilis exauditio nõnne apertè declarat, quanti apud Deum momenti ſit erga inimicos charitas? *In vit. PP.*

Iſaac Abbas. ISAAC quoque Abbas eum, à quo alapa percuſſus fuerat, cùm ob hoc à dæmonio vexaretur, ſuperincumbens pœna liberauit. Idem ijs qui noctu in hortum ſuum furtim irrepſerant, & nec auferre quicquam, nec inde diſcedere potuerant, manè inuentos de propoſito quidem corripuit, ſed quaſi hoſpites prandio excepit, & collectis hortuli fructibus, quos furatum venerant, donauit, atque abeuntes deduxit. *Gregor. Dial. lib. 3. cap. 14.*

Ioannes Eleemoſinarius. MEMORABILIS admodùm & Ioannis eleemoſinarij Epiſcopi contra iniuriam gratia. Conquerenti nepoti de villico conuitiatore, reſpondit ſe ita in eum vindicaturũ, vt nemo non miraturus ſit. Accerſitumq́ue villicum annuis penſionibus liberum fecit; docens hoc exemplo nepotem, iniuriam hominũ haud ſecùs vindicandã eſſe, ab ijs præ-

Digitized by Google

præsertim, qui Deo, non sibi placere student. *Leontius, Metaphrast. & alij, Sur. Tom. 1.*

IDEM cùm à quodam mendico, pro data eleemosyna, contumeliam recepisset, clericos in eum insurgentes cohibuit, se in causa esse asserens, quòd petenti minùs quàm indiguerat impendisset. Illoque accito, omnem quam habebat pecuniam coram effudit, vt quanta sibi opus esset, suo arbitrio sublatam ferret. Alius ab ingrato data repetijsset: ille contumeliam passus, datis etiam superaddendum existimauit. *Ibidem.*

Ioannes Damascenus.

IOANNES Damascenus pro eo, cuius occulta calliditate perfidię in Theodosium Imperatorem innocens damnatus dexteram amiserat manum, diu intercessit, ne in dolo deprehensus capite puniretur. Imperator admiratus hominis patientiam, ipsum pro quo rogabatur interfici vetuit, sed tamen ne tantum scelus omninò impunitum abiret, in exilium ablegari iussit. Sanctum honore affecit: Scribæ illi officium, in quo antea fuerat, restituens, cùm eidem manus quoque redintegrata beatæ Virginis beneficio fuisset. Quis acceptam remittere iniuriam arduum putabit, si tantæ offensionis odium, tanta repensum est animi benignitate? *Ioan. Pacriarch. & alij.*

Samson Archiepiscopus.

SAMSON Dolensis Archiepiscopus eum, qui sibi veneni poculum propinauerat, spiritu immundo oppressum miseratus, Deo supplicando sanitati restituit, ad pœnitentiam hortatus est, veniam indulsit, viuere illum in æternum cupiens, qui sibi per insidias molitus fuerat necem. Sic neque venena incautè sumpta nocere ipsi potuerunt, qui sibi antidotum iam præparauerat perfectæ charitatis. *Baldricus & alij.*

Fœmina.

HVNC quidem & fœmineis in pectoribus flagrantem charitatis ardorem nequiuerunt extinguere aliena odia.

Christina Virgo.

CHRISTINA Virgo & Martyr, pro fide ac veritate horrendos constanter perpessa est cruciatus. Cùm autem etiam serpentes in eam missi fuissent, sed mordere omninò nollent, veneficum, à quo ad mordendum irritabantur, inuadentes, rabidis ictibus multaque veneni vi statim interimunt. At Christina sui ipsa carnificis vicem dolens,

Digitized by Google

Christum precatæ, & serpentes in fugam conuertit, & ab eis peremptum ad vitam reuocauit, & eundem iam credentem ad certam beatitudinis spem erexit. *Vincent. Spec. lib. 12. cap. 86. & alij, Sur. Tom. 4.*

Anatol. Virgo. ANATOLIAM etiam Virginem angusto carcere vnà cum terribili serpente conclusam, nec tamen ab eo læsam, cùm tandem consumptam putarent, carcerisque ostium reseraissent, serpens inde erumpens, Audacem, à quo immissus fuerat, morsu apprehensum, sinuosoque spirarum volumine colligatum, humi deijcit moribundum. Mox autem ipsius Virginis oratione serpens procul effugatur, & Audax sanus erigitur. Christianorum enim conuenit pietati, eos, à quibus offensi sunt, defendere pro viribus ac tueri, nec ab vno lædi permittere. *Aldhelm. lib. de Virginib. Sur. Tom. 4.*

Potamiena Virgo. POTAMIENA Virgo Alexandriæ passa, Basilidi Præfecto, à quo omnia penè tormentorum genera, in suo exceperat corpore pro Christi nomine, postquam ad Dominum cum palma migrasset Martyrij, per visum apparuit, & coronam quam ei à Domino impetrauerat, si credere vellet, ostendit. Credidit ille, & per Martyrium æternitatis gloriam consecutus est. Tantæ curæ fuit Virgini eum, per quem torta interfectaque fuerat, saluum beatumque facere. *Pallad. Lauf. Hist. 3.*

Veneranda Virgo. VENERANDA quoque Virgo, dum pro Christo multis magnisque afficeretur supplicijs, & nunc humi dispassis manibus pedibusque diuaricatis extenta, neruis bubalis cæderetur, nunc sic resupinata grandi lapide ventri aduoluto premeretur, nunc in cacabum sulphure, pice, oleo plenum demersa, subiectis ignibus coqueretur; eius, cuius iussu talia patiebatur, propiùs astantis oculum bulloris aspergine cæcatum, terra saliua diluta liniens reparauit, & ipsum tandem patientia sua superatum, Christo credere compulit. Quis conuitium, contumeliam, maledictum non æquo animo feret, si pro tam grauibus tormentis tam magnum redditum est beneficium?

Daria Virgo. DARIAE Virginis integritatem, ab infidelibus ad prostibulum tractæ, leo de caua fugiens, atque illi assistens, tuta-

Digitized by Google

tentatus est. Qui eam vitiandi animo adire ausi fuerant, ipsos inuadens, in primo statim limine strauit, nihilque præterea mali intulit, ipsa Virgine sic iubente, vt essent quos ad fidem pœnitentiamque conuerteret, non qui in erroris tenebris vitæque nequitia disperirent. Parci igitur illis iussit, qui sibi ereptum venerant rem omnibus diuitijs atque etiam vita ipsa pretiosiorem virginitatem. Neque enim Virginitas illi ad beatitudinem consequendam satis fuisset, si abfuisset pietas.

PARIS exempli & Agnetis Virginis erga inimicum dilectio. Eum quippe, qui ipsam stuprare moliebatur, à diabolo necatum vitæ restituit. Vitæ restitutus Christum confiteri palàm cœpit. Illa ergò orante, is qui pudicitiam ipsius inquinare conatus fuerat, duo præcipua retulit bona; vitam, qua adhuc in terris viueret: & fidem, qua supra cælum æternitatem consequi posset. *Amb. Serm. 90 & alij, Sur. Tom. 1.* *Agnes Virgo.*

EVGENIA Virgo Philippi Alexandriæ Præfecti filia, sub virili habitu sexum dissimulans, inter Monachos religiosè versata, & iam digna cui monasterij gubernacula committerentur: Melanciæ tandem matronæ, quam ad illicitos amplexus prouocantem contempserat, accusatione capitis rea constituitur. Accusationis summa erat. Eugenium Abbatem domi suæ sibi vim inferre voluisse. At illa cum se non iam Eugenium, sed Eugeniam esse, vt infamiam purgaret, prodere vellet, priùs accusatrici suæ ignoscì petijt. Deinde coram Patre (cuius iudicio neci iam addicta erat) pectus suum detegendo, detexit fallacis mulieris impium commentum. Simul cuius ipsa filia esset indicauit. Sic omni prorsus periculo probroque sese expediuit, antè tamen venia impetrata illi, cuius tam mendaci actam fœda delatione in tanta inciderat mala. *In vit. PP.* *Eugenia Virgo.*

AT etiam in Monasterijs aliquandò locum sibi vendicat inuidia. Euphraxia Deo dicata virgo ob humilitatem frequenter sese vilibus occupabat officijs. Quædam autem inter sorores, nõ satis linguæ temperans, illam carpere & simulatæ sanctitati facta dictaq; eius adscribere palã ausa, cum ab Abbatissa punienda decerneretur, eiusdem *Euphraxia Virgo.*

quam

Digitized by Google

quam lacessierat intercessione liberatur. Eupharaxia enim & ante ipsam se suppliciter prosternens, quasi quæ læsisset, non quasi quæ læsa fuisset; veniam sibi petijt, & ante Abbatissam illi impetrauit. *In vitis PP. & Sur. Tom. 2.*

Othilia Virgo. OTHILIAM Virginem pater occidere in animo habebat, solo corporis vitio offensus, quia cæca nata fuerat. Mater autem periculo subtractam Monasterio tradidit. Hinc ipsa virtutibus proficiens, defectumque oculorum mentis perspicacitate supplens, pro eo patre, quem sibi tam indignè capitali odio infensum nouerat, feruenter orando effecit, vt & viuens pœnitentiam delicti ageret, & defunctus Purgatorij pœnas cum Paradisi delicijs commutaret. Ipsa verò corporei quoque visus vsum à Deo accipere meruit, quem non acceperat à parentibus. *Iacob. de Vorag.*

HOC quidem charitatis genus tum veteri tum noua Lege præcipitur nobis obseruandum. In Exodo dicitur: Si occurreris boui inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacêre sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. Et in Prouerbijs legimus; Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & displiciat ei, & auferet ab eo iram suam. Et iterum: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da ei aquam bibere. Prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi. In Euangelio quoque ipse Dominus ait: Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumnijantibus vos. Iterum: Diligite, inquit, inimicos vestros, benefacite, & mutuum date, nihil indè sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Quod autem verbis præcepit, exemplo præstitit. Proditori quippe suo Corporis & Sanguinis sui Sacramentum obtulit, pedes lauit, osculum non negauit. Illis etiam, à quibus Cruci affigebatur, veniam dari petijt: Pater, inquit, ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt. Si tam clemens erga tantam sæuitiam Dominus, quomodo seruus eius erit, qui vindictam expetierit?

Exod. 23. *Prou. 24.* *Ibid. 25.* *Luc. 6.* *Matth. 5.* *Luc. 6.* *Christus.* *Luc. 23.*

Digitized by Google

tierit? Aut quomodo Christiano nomine censeri merebitur, qui in diligendis inimicis Christum imitari contempserit? Omnibus mandatum est, benefacere omnibus, si fieri potest: sin minùs, benè optare: Ita tamen, vt homo semper ametur, malignitas hominis nunquam. Omnis enim malignitas diaboli seruitus est, homo autem Dei opus est, & quidem ad imaginem & similitudinem autoris sui factum. *Sap. 2. Eccli. 17.*

De Officio Doctoris Euangelici. CAP. IV.

SED profectò inter omnes omnium charitates ea præcipua est habenda, qua alius alij non tam ista temporalia & caduca bona, quàm illa æterna atque perpetua optare, & quantum in illo est, prouidere ac procurare debet. Enitendum igitur erit ijs maximè, qui diuinarum rerum scientia præstant, ignaros instruere, timidos animare, desides vrgere, omnes denique ad capessendas virtutes, quibus veræ fœlicitatis præmia comparantur, sedulò exhortari. Huiusce rei exempla more nostro ab ijs, quos Deo placuisse nouimus, petamus.

MOYSES & Aaron Dei iussu diriguntur, vt populum suum de Pharaonis iugo ereptum, ab Aegypti finibus educant, & populus ipse sacrificium sibi offerat in deserto, & sic terram ingrediatur promissionis. Doctoris igitur partes erunt, peccatores ad pœnitentiam compellere, de diaboli seruitute in libertatem gratiæ vendicare, & de terrenis secularibusque negotijs ad cælestium meditationem iugiter excitare: Vt quam beatitudinem animo contemplati fuerint, pietatis iustitiæque operibus parare sibi nitantur. *Exod. 5.* *Moyses, Aaron. Exod. 5.*

ISAIAS Propheta cùm se ab Angelo carbonis de altari sumpti tactu purgatum animaduertisset, & Dominus diceret, quem mittam, & quis ibit ex nobis? vltrò se obtulit, dicens: Ego sum, mitte me. Quod vsurpare nequaquam ausus fuisset, nisi se priùs à delictorum inquinatione prorsus expiatum excoctumque agnouisset. Carere enim debet omni vitio, qui aliorum prauitatem paratus est corrigere, vt auditores non tam verbis ad emendationem vitæ prouocet, *Isaias Propheta. Isaiæ 6.*

Digitized by Google

Prou. 20. uocet, quàm exemplo. Labia enim iusti (vt in Prouerbijs dicitur) erudiunt plurimos. *Isaiæ 6.*

Idem. VNDE alibi ad eundem dicitur: Super montem excel-
Isaiæ 40. sum ascende tu qui euangelizas Sion, vt scilicet culmen sanctitatis piè viuendo inscendat, qui prædicationis munus assumit. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem. Nempe vt, & qui propè sunt, & qui longè, audiant. Exalta & noli timere, ne timendo illis adulari incipias, quos debes increpare, & sublato cauterio, dum lædere cutem formidas, latens sub ea malum suppetare
Deut. 14. permittas. Ideo namque præceptum est, Non coquas hœdum in lacte matris suæ, id est, peccantibus ne blandiaris.

Isaiæ 58. RVRSVM dicitur illi: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Proinde qui in Ecclesia declamant, apertè, perseueranter, audacter suo fungantur officio: Ita tamen malefacta omnium detestando, vt sem-
Ionæ 4. per veniæ spem proponant pœnitentibus. Quia Deus clemens & misericors est, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.

Ieremias Propheta. IEREMIAS immaturam ætatem excusans clamat: a, a,
Ierem. 1. a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Noli, inquit Dominus, dicere, quia puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, & vniuersa quæcunque mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum, vt eruam te. Denique misit, inquit, Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit: Ecce dedi verba mea in ore tuo. ecce constitui te hodie super Gentes & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Si quis igitur ad prædicationis opus diuinitùs eligitur, nulli rei diffidat, nihil trepidet, omnia aderunt cui aderit Deus. Disce tamen, omne Doctoris studium eò spectare debere, vt euellat & destruat hominum vitia; plantet autem & ædificet virtutes. *Ierem. 1.*

Ezechiel Propheta. Ezech. 2. EZECHIELI etiam Dominus liberè vaticinandi præstitit audaciam, dicens: Tu ergò, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas. Et rursum: Verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides. Ad hæc datur il-

Digitized by Google

tur illi pro cibo volumen intùs & foris scriptum. Etenim prædicator & exteriorem Scripturæ historiam in exemplum auditorum proferre debet; & interiorem mysticumque sensum, qui sub ea latet, cùm res postulauerit, non tacere. Cuius quidem disciplinæ scientiam si assecutus fuerit, & ipse dicere cum Ezechiele poterit: Comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel duce. Vel cum David: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo. *Psal.* 118.

Ac nequando vel intempestiua ætas prædicandi minuat autoritatem in eis, qui diuinitùs inspirantur, Danielis adhuc infantis spiritum suscitatum legimus, & puero iudicante damnatos senes. Spiritus enim vbi vult spirat, cordaque hominum non annos metitur, quibus lumen sapientiæ suæ infundat. Et interdum quidem, vt virtutem suam ostendat, ex ore infantium & lactentium perfecit laudem. *Dan.* 13. *Daniel Propheta. Dan.* 13. *Psalm.* 8. *Ioan.* 2.

IONAS ad Niniuitas prophetare iubetur, & fugit. Quàm autem inconsideratè diuinæ reluctatus voluntati sit, casus ostendit: Nauigat, tempestate concutitur, in mare præcipitatur, à pisce deglutitur. Sed citò pœnitens liberatur, moremque Domino gerens prædicat. Et Niniue, quæ mox subuertenda erat, auditis Prophetæ verbis, pœnitentiam egit, Deum placauit, seruata est. Quid hoc exemplo discitur, nisi tam dignum diuina vltione Doctorem, qui dissimulat populi crimina, cùm ad prædicandum mittitur; quàm populum qui ab his auerti negligit, cùm redarguentem audierit. Neque enim tantam calamitatem Niniuitæ tunc effugissent, si Ionæ minas contempsissent. *Ionæ* 1. *Ionæ Propheta. Ionæ* 3.

IOANNIS quoque Baptistæ vox clamantis in deserto pulchrè nobis modum formamque prædicandi videtur exhibuisse. Vitia primùm omnium acriter increpanda, maximeque eorum quos in ijs obstinatiores cernimus, docuit, Pharisæis insultans, ac dicens: Genimina viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Remedium deinde ne desperent, continuò ingerendum ostendit, dum subiungens ait: Facite ergò fructũ dignum pœni- *Ioannes Baptista. Matth.* 3. *Lucæ* 3.

Digitized by Google

pœnitentiç. Postremò proponendum iustis præmium, impijs pœnam, dicens: Congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. His etiam qui talia docent neminem timendum declarauit, corripiendo Herodem regem, vincula, carcerem, necem perferre satiùs sibi existimans, quàm illicitum illius coniugium adulatione obtegere, & præceptorum Dei immemorem [illegible]ebere. *Matth.* 5. *Luc.* 3.

Christus. Matth. 13. POST Ioannem autem cœpit prædicare, ipse olim prædicatus, semperque prædicandus, mundi Saluator ac Dominus. Lex enim & Prophetæ vsque ad Ioannem, exindè Euangelium Christi, & hactenus quidem terrenorum præmium bonorum, nunc iam cælestis regni æterna promittitur pœnitentibus beatitudo, Pœnitentiam, inquit, agite, appropinquauit enim regnum Dei. Nec certè priùs Iesus prædicare cœpisse dicitur, quàm tentatus famem vicisset in deserto, auaritiam in monte, vanam gloriam in Templo. Quâ in re ostendere voluit, qualem priùs esse oporteat, qui diuini verbi passim disseminandi curam aggredi decernit. *Matth.* 3.

Matth. 3. HINC iam reliquarum nationum saluti consulens, Discipulos asciscit sibi, vt habeat quos discedens doctrinæ suæ per orbem propagandæ relinquat magistros, vtque is qui docet, alijs etiam docendi disciplinam impendere discat. Circuit totam Galilæam, vt doctoribus post se futuris vrbes, castella, vicos, peragrandi solicitudinem insinuet. Docet in synagogis, vt illi ibi magis verba facere studeant, vbi pluribus prodesse possint. Prædicat Euangelium regni Dei, ne quid aliud in Ecclesia prædicandum inani iactatione præsumant. Cum discipulos docet, ascendit in montem: cum turbas, descendit in planum, vt meminerint, perfectioribus excellentiora vitæ præcepta dari oportere: imbecillioribus leuiora: lac paruulis, solidum iam adultis cibum.

Cum infidelibus cautè loquendum. INFIDELIBVS verò his duntaxat, qui audire veritatem concupierint, Religionis nostræ quæque creditu faciliora primùm insinuanda sunt, non statim Mysteria ingerenda. Ne sanctum detur canibus, & margaritæ mittantur an-

Digitized by Google

tur ante porcos, & conculcent eas pedibus, contemnentes quicquid capere non possunt. Audiuimus quendam Sacerdotalis ordinis virum, cùm ipso præsente inter Mahometanos quosdam de Deo mentio incidisset, & multa vtrò citroque iactata fuissent, tandem dixisse: Deum ipsum sæpe à se manibus contrectatum, sæpe ore haustum. Quod & si verum dixerit, inconsultè tamen apud Sacramenti ignaros, atque adeò incautè, vt illi non modò non crederent, sed etiam ipsum quasi blasphemum vlcisci vellent. Denique parum abfuit, quin eidem quod sequitur, tunc contingeret, & canes conuersi dirumpant vos. Cuius quidem periculi non ignarus Salomon: *Qui custodit, inquit, os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* *Nota.* *Prou. 13.*

PRAEDICANDI autem donum ne quis leue putaret, non nisi precibus proponitur impetrandum. *Rogate, inquit, Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Cæterùm ne quis lucri & nō tantùm hominum causa prædicationis opus sibi vendicet, ait: *Gratis accepistis, gratis date.* At verò ne in quærendis vitæ necessarijs rebus occupatus animus docendi studium remitteret. *Dignus est operarius, inquit, cibo suo.* Vt scilicet quibus seminant spiritalia, ab ijs sibi corporalia metant, non plura tamen, quàm præsens necessitas poposcerit, ne prædicationem, quæ gratuita esse debet, venalem faciant. *Donum prædicandi.* *Matth. 9. Luc. 10.* *Prædicatio gratuita.*

PRAECIPIT quoque Dominus ac monet, vt huiusce professionis viri, ciuitatem ingressi, apud dignos maneant, ne scilicet integritati autoritatique eorum quicquam deroget turpis hospitij nota, & in suspicionem incidant, qua linguam honestiorem quàm vitam habere existimentur. *Matth. 10.* *Apud quē manere debeat prædicator.*

PRAETEREA licet illi, qui in auditorio conueniunt, parum aut nihil omninò profecerint: non tamen ei qui docet præmium supprimitur laboris, dicente Domino: *Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra: sin minùs, ad vos reuertetur.* Neque enim inuitantium gratia perire debet, si ad conuiuium inuitati, venire fastidierint. *Luc. 10.* *Prædicatoris non deperit meritum propter obstinationē auditorum.*

Digitized by Google

In obstinatos. *Marc.* 10. *Luc.* 9.

QVI autem vsque adeò inueterata animi peruicacia obdurant, vt pijs hortatibus mollescere prorsùs nequeant, eos Dominus anathemate videtur execrari, dicens: Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Minis quoque horrendis exterret, subiungens: Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Inexcusabilior procul dubio erit, quisquis prædicationes audiens, emendari corrigique neglexerit, quàm qui omninò non audierit, casu aliquo impeditus. Seruus enim qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit, plagis vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & facit digna, plagis vapulabit paucis. *Luc.* 12.

Matt. 10.

Prædicator sit prudens & simplex. *Matt.* 10.

POSTREMO ipsos Doctores cautè incedere, ne dolis hæresum capiantur, simplicitatem custodire, ne ad hypocrisim malitiamque declinent, iubet, dicens: Estote prudentes sicut serpentes. Serpente enim minùs prudens Adam, à serpente deceptus est. Et simplices sicut columbæ. Ne scilicet sanctiores videri, quàm esse, malint. Nã & Spiritui sancto ideo fortasse in columbæ specie interdum apparere libuit, vt ad imitandum auiculæ illius puritatem nos inuitaret. Profectò qui tales extiterint, non inuenietur iam audire poterunt: Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Itaque nihil neque in præmeditando, neque in pronuntiando laborabunt, quibus affatim omnia, quoties vsus fuerit, diuina benignitas suppeditabit. *Matth.* 10.

Apostoli. Actor. 2.

DE Apostolis ita traditum est: Variis linguis loqui cœperunt, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Hoc ideo sanè, quia diuersis Gentibus fidei Christianæ Mysteria prodiam, vulgarique oportebat, & diu errantibus viam aperiri salutis. Hinc tu quoque, si vnam alterámve ciuitatem ad Deum sanctiùs atque syncerius colendum conuerteris, nondum te existimes fecisse satis, donec datur facultas, etiam ad reliquos instruendos proficisci. Pij sanè ac

boni

boni medici est, plurimis curatis, alios insuper qui curatione indigent perquirere, & opportuna omnibus remedia conferre. *Actor. 2.*

LEGIMVS Petro Ierosolymis primum verba ad populum faciente, die vno tria millia hominum baptizata fuisse, indies quoque credentium creuisse numerum. Sed & alio deinde die, quinque millia superioribus addita. Cùm autem Petrus Gentiles quoque, Domini iugo subijciendos per visum cognouisset, Cornelium Centurionem, & qui cum illo domi erant, credentes baptizauit. Qui ergo paulò antè vna tantùm atque altera prædicatione tam multos conuerterat, idem etiam paucos non contempsit, ita vt neque itineris laborem ab Ioppe Cæsaream vsque euocatus recusaret. Illi igitur qui, in magna etiam auditorum frequentia, non suam gloriam sed alienum profectum quærunt, tunc quoque cùm laniores conuenerint, docere non erubescunt. *Actor. 2.* *Petrus Apostol.*

PAVLVS segregatus in Euangelium Dei, cum collega suo Barnaba, peragrant oppida Iudææ, in Synagogis prædicantes. Inuidentibus verò Iudæis, & ad conuitia furente rabie prorumpentibus, dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Relinquendi ergo sunt qui peruersa obstinatione duratè vpeccandi proposito diuelli nullo modo possunt: Ne, dum in sterili solo sementem iacimus, fœcundæ interim glebæ, nullo subactæ aratro, fructu vberiore fraudentur. In summa, quicunque Ecclesiam audire noluerit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Nemo saluatur inuitus. *Actor. 13.* *Paulus Apostol. & Barnabas. Actor. 13.*

IDEM hi (vt Lucas inquit) prohibiti sunt à Spiritu sancto loqui Verbum in Asia. Quæ res documento est, non passim omnibus euangelizare nos debere, & ijs præsertim, quos Euangelium ipsum contemptui habituros non ambiguimus. Ne & hi exinde grauioribus pœnis obnoxij sint, & nos sanctum dedisse canibus arguamur. Vnde & Salomon in Prouerbijs ait: Qui eludit derisorem, ipse iniuriam sibi facit; & qui arguit impium, sibi maculam ge- *Actor. 16.* *Prou. 9.*

nerat. Noli arguere derisorem, ne oderit te: argue sapientem, & diliget te.

RVRSVM illis libentissimè docendi operam debemus exhibere, à quibus vltrò inuitamur. Iam enim se institutionibus nostris pro sua virili obsecuturos polliceri videntur, dum inuitant. Hinc est quòd Paulus *Paulus Apostol.* transire maturauit in Macedoniam, cùm vir Macedo in visu apparens ei suppliciter poposcit, vt eò veniens ipsos adiuuaret. Non petit auxilium, qui non agnoscit periculum. Quis autem petit, nisi is qui periculo liberari cupit? *Actor. 16.*

Idem. Actor. 7. MVLTIS tandem vrbibus regionibusque docendo peragratis Paulus contulit se Athenas, disseruitque cum Epicuræis & Stoicis, palàm ostendens, quantò præstaret eorum Philosophiæ disciplina Christi: Quanta autem vel argumentorum vi disputarit, vel miraculorum operatione illa quæ dixerat approbarit, Dionysius Areopagita indicio est, factus Apostoli discipulus, qui magister fuerat Philosophorum. *Actor. 17.*

Idem. Actor. 18. RELICTIS Athenis venit Corinthum, & Aquilæ Priscillæque hospitio vsus, artem schœnofactoriam cum illis fecisse dicitur: Sabbatis verò in Synagoga disputationes exercuisse. Hinc ipsemet quidem ad Corinthios *1. Cor. 4.* scribens: Laboramus, inquit, operantes manibus nostris. *1. Thess. 3.* Et ad Thessal. Non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrùm grauaremus, non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Nemo igitur Euangelio seruiens, assiduè sibi de Euangelio viuendum putet: Et quod prædicationi superest temporis, otio conterat. Ne & petendis eleemosynis crebriùs insistens, non petere, sed exigere videatur, & corporis quieti indulgens, ad socordiam paulatim deuolutus, à labore quoque spiritualium actionum animo obtorpescat. *Actor. 18.*

PETRVS

PETRVS & Paulus postremò Romæ ad Martyrium usque prædicando perseuerarunt. Reliqui etiam Apostoli dimissa Iudæa, in diuersas prouincias Idolorum cultores ad Religionem Christi conuersuri disperguntur. Andreas Achaiam, Philippus Scythiam, Bartholomæus Lycaoniam, Iacobus Zebedæi Hispaniam, Ioannes Ephesum, Thomas Parthiam, Hyrcaniamque & Indiam, Matthias Macedoniam & Aethiopiam, Iacobus Alphæi Hierosolymam, Iudas Thaddæus Mediam, Mesopotamiam, Pontum, & cum Simone fratre Persidem, in sortem prædicationis accepêre: nulli labori parcentes, nullum vitæ discrimen deuitantes, dum communi omnium saluti consultum volunt. Neque Tyrannorum minis neque supplicijs deterriti sunt, ne Christi nomen vbique circumferrent. Sic in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sic habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Meritò igitur illi sedebunt super Thronos cum Christo iudicantes, qui nunquam conquierunt Christum annuntiantes. *In Actis Apostol.* *Apostoli.* *Psal.28.*

INTER Apostolicos autem viros Ambrosius Episcopus eruditione, ingenio, ac diligentia Dei verbum prædicando ita præstitit, vt facilè persuasum sit, non commentum fuisse, quod de illo quondam iactatum constat, ob os scilicet eius in cunis iacentis volitasse apum examen, stridulo tinnitu eloquij futuri suauitatem portendens. Hic Aurelium Augustinum Manichæa hæresi tabescentem suis prædicationibus purgauit, sanumque reddidit. Qui iam Catholicæ fidei disciplinis eruditus, omnium tandem hæreticorum dogmata certissimis destruit argumentis, nostraque confirmauit, obscura quæque in Scripturis declarauit, & ab ijs quæ dubia erant ambiguitatem sustulit. Religiosis viuendi præcepta dedit, nemo in differendo acutiùs vidit, nemo meliùs explicauit. Quid multa? vnum tunc hominem conuertit Ambrosius, sed in vno homine totum penè terrarum orbem doctrinæ illius radijs illustrandum recepit. Qui enim docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam eru- *Ambros. Episcopus.* *Augustin. Confess. lib.5.c.14.* *Dan.12.*

Digitized by Google

diunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Paulinus, Isidor. & alij, Sur. Tom. 6.*

Antonius Abbas. ABBATEM Antonium aliquando ad hæreticos conuincendos, relicta solitudine, Alexandriam venisse legimus. Intermisit ergo eremi quietem, dum ad bellum egreditur, contra illos pugnaturus, à quibus Catholicæ fidei mucus quatiebatur. Accesserunt quidam Philosophi quasi rustico homini & literaturæ ignaro illusuri. Verùm vbi loquentem audissent, demirati verborum vim sententiarumque grauitatem, veritati ab eo prædicatæ adhæserunt, & cuius corporis habitum paulò ante subsannauerant, scientiam amplexi sunt. Christo credentes. Nesciebant vtique sub terra latere aurum, & interdum sub vili panno habitare sapientiam. *Athanas. in vita Antonij.*

Regulus Episcopus. REGVLVS Episcopus, Ioannis Apostoli discipulus, in Gallia cælestis frumenti granum oppidatim disseminat, & plurimis baptizatis, fructum vberrimum in horreis Ecclesiæ recondendum cogit. Cæterùm cùm apud quendam vicum in magna virorum ac mulierum celebritate suggestum concionaturus ascendisset, ranarum è proximo lacu coaxantium strepitu præpediebatur, ne commodè audiri posset. Igitur vt silerent imperauit, atque ex illo etiamnum lacum illum ranis quidem refertum, sed nullam earum vocalem esse asseuerant. Quid mirum, si homines eius doctrinam secuti sint, cuius iussis irrationale animal obediuit? Ranæ obmutuerunt, & homines confiteri Christum cœperunt.

Patritius Episcopus. PATRITIVS Episcopus in partibus Prouinciæ Scotiæ, Christi fidem euangelizasse primus dicitur. Qui cùm per Hiberniam iter faceret, & se prædicationibus nihil proficere videret, Deum precatus est, vt ostento aliquo, hominum illorum duritiem commolliret, quo ab erroribus iam tandem resipiscerent, & ad Religionem veram conuerterentur. Diuinitùs admonitus, humi circulum designauit, atque inibi terra penitus subsidente, hiatus ingens apparuit, magnumque omnibus incussit terrorem, ne in profundum acti, pœnas iam incredulitatis darent. Hunc hiatum adhuc extare ferunt, & occulto quodam si-

nuoso-

Digitized by Google

quoſque meaeu ad neſcio quæ Purgatorij loca deducere. Id verùm verum ſit, ſcire mihi noſtra refert. Credimus enim Purgatorium animarum alicubi eſſe, etiamſi ſibi non ſint, magisque illud nunc conſiderare expedit, quanta hic Sanctus humanæ ſalutis cupiditate flagrabat, cui non ſatis fuit verbis docuiſſe, niſi etiam miraculorum terrificationibus, quod docuerat, credere cogeret vel inuitos. *Beda, Tom. 3. Sur. Tom. 2.* *Dictum. Sapientes.*

ALDEBERTVS verò Pragæ Epiſcopus, cùm effrenem & indomitam plebem nullis prædicationum ſolicitationibus ad modeſtiùs viuendi rationem redigere potuiſſet, Epiſcopatum reliquit, & ſummi Pontificis permiſſu ad Cœnobium Caſſini montis perueniens, Monachum ſe fecit. Pertimuit eo fungi officio, poſtquam ſibi commiſſos meliores efficere nequiuiſſet, ne quæſiſſe videretur quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, id eſt, ſuum honorem, non aliorum profectum. *Crom. lib. 3. Sur. Tom. 2.* *Aldebert. Epiſcopus.*

COGITENT nunc quàm rectè agant, qui ſibi creditum gregem pabulo prædicationis paſcere negligunt, & ſe paſtores profitentur: ſi is qui quotidianis exercitationibus ſeſe fatigabat, non ſolùm parere nolentes dimiſit, ſed etiam dignitati renuntiandum cenſuit. Quòd ſi is, qui tanti animi ſolicitudine vocisque contentione in monendo vius fuerat, ob incorrigibilem tamen plebis peruerſitatem locum tenere Pontificis dubitarit: quantò magis timere debet lucerna ſub modio poſita, ſal factuum, canis mutus non valens latrare? cui Dominus per Prophetam comminatur, dicens: Speculatorem te dedi domui Iſrael: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via ſua impia & viuat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Ob hoc quidem & Propheta contremuit, dicens: Væ mihi quia tacui. Et Apoſtolus: Væ mihi eſt, inquit, ſi non euangelizauero. *In Epiſcopo poſt prædicationis officium exercere nolentes. Ezech. 3. Ezech. 33. Iſaiæ 6. 1. Cor. 9.*

IVVENALIS natione Apher, arte Medicus, ordine Presbyter, cùm à Pontifice Romano, vt Narnienſi infideli populo Chriſtum euangelizaret, ius poteſtatemque ſibi *Iuuenalis Epiſcopus.*

Digitized by Google

concedi petisset, Episcopus eorum constitutus, illò se tulit, Multisque ibi Catholica credulitate prædicatis confirmatis, quendam de obstinatorum numero, cui inter cæteros error veritate charior erat, sibi infensissimum habuit. Qui comprehensum (postquam vt carnem idoli immolatam gustaret, cogere verbis non potuisset) viribus aggreditur. Cultellum ori admouet, strictoque dente crimere ordines molitur, viam facturus cibo intra fauces respuentis indendo. At multò secùs quàm cogitarat euenit. Repentè enim quadam lymphatæ mentis insania correptus, cuspide in se versa, ipse sibi iugulum ferit, & pedes eius quem inuaserat, exanimis corruit. Sic tutus est Dominus pij Doctoris, disertum guttur, vt hic, qui illud per vim polluere attentauerat, suum confoderet, & sua sibimet manu mortem consciscere. Eo cadente, reliqui omnes, qui in pari infidelitate diu iacuerant, per fidem se erexêre Christi, & vnius increduli pœna, multis emendi causam præbuit. *Gregor. homil. 37. Euangel.*

Seruatius Episcopus.

SERVATIVM Traiectensem Episcopum hac Spiritus sancti gratia dotatum fuisse ferunt, vt prædicantem audientes alienigenæ, diuersæque nationes, vnaquæque sua lingua locutum putarent, nihil non intelligentes, quod ab illo esset prolatum. Ad hæc tot miraculis claruisse dicitur, ita purè sancteque vixisse, vt prædicatione, virtute, moribus ad perfectionem Apostolorum proximè accessisse videatur. Igitur vitæ sanctimonia præstet oportet, qui præstare cupit prædicandi doctrina operationeque signorum. *Gregor. Turonens. lib. 2. cap. 5. & alij, Sur. Tom. 3.*

Iuo Presbyter.

IVONI Presbytero ad prædicandum eunti fluuius non modico incremento ponti supereffusus viam inclusserat, mox in sese collectus ac subsidens, velut veritus tam salubrem operam remorari, transitum præbuit, rursumque pontem operuit aquis. Huic simili miraculo olim Leuitis arcam ferentibus Iordanus ad fontem reuersus aridum cessit iter, sed qui illos secuti sunt, in terram promissionis peruenerunt, qui verò Iuonem, in cælum ascenderunt: alterum Legi, alterum Euangelio datum. *Sur. Tom. 3.*

EADMVN-

Digitized by Google

EADMVNDVS Cantuariensis Archiepiscopus, cùm in Gallia apud Vigorniã vrbem sub diuo prædicaret, & populus imminentem supra se atræ nubis contractionẽ cernens, pluuiam timeret, dilabique sub tecta pararet: ne dubitarent præcepit, & imbri ne verbum Domini impediret iussit. Magna vis aquarum circa eos, qui ad audiendum conuenerant in terram defluxit nullum tamen ex tanto hominum numero attigit. Et pauor pariter ac pudor omnes cepit, nolle illius pręceptis obedire, cui insensibile elemẽtum paruisset. Itaque non sine melioris vitæ proposito, finita prædicatione, abierunt multi, dum commissa deflerent, lachrymis madidi, pluuia nemo. *Osbertus, Abbas Floriacens. & alij, Sur. Tom. 6.* *Eadmundus Episcopus.*

DOMINICVM Ordinis Prædicatorum futurum Institorem præsagijs quibusdam antè monstratum fuit. Mater eo fœcunda catellum se peperisse somniauit, qui faculam mordicus arreptam præferens, mundum incendere videbatur. Eodem iam nato, cuidam non ignobili matronæ visũ est, stellam fronti eius insedisse, cuius fulgore perinde ac solaribus radijs totus terrarum orbis lucescebat. Breui ergò effectum est, vt ab eo plurima euangelizantium turba per omnes ferè prouincias nationesque diffunderetur, passimque discurreret. Sic ille ardentis prædicationis facibus mundum succendit, sic doctrinæ spiritalis luce illustrauit. *Const. Vrb. Ioan. Garzo. & alij, Sur. Tom. 4.* *Dominicus.*

EIVS itaque collegij vir nominatissimus Vincentius tãtum prędicatione valuit, vt in Hispania quinque millia Iudæorum ad Christum dicatur conuertisse. in Mauritania octo millia Saracænorum, in vrbe quoque Granata docuit infideles, donec à rege eiectus ad suos redijt inuitùs. Italiã etiam Galliamque prædicando peragrauit, nec labore victus, nec periculo deterritus, dũ ad æternæ salutis beatitudinem adipiscendam omnes inuitat, illud in Psalmo Prophetæ promissum implens: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. *Pet. Raus. & alij, Sur. Tom. 2.* *Vincentius.* *Psal. 50.*

MINORVM verò Pater Franciscus etiam illud executus videtur: Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Sic enim hominibus prædicauit, vt mundũ *Francisc. Mat. vlt.*

repleret Monasterijs: sic auibus, vt ad audiendū dociles in-
tenteq; silentiū tenerēt, ac se manu ab eo cōtrectari nō for-
midarent. Illos vt piè religioseque viuerent hortatus est,
has tantùm vt creatorem suum laudarent, cuius beneficio
pennas haberent ad volatum, vocem ad cantum, fructus
terræ absque omni vel serendi vel metendi labore ad ali-
mentum vitæque sustentationem. Quo hunc amoris studio
eos, quos ad fruendam beatitudinem genitos nouerat, do-
cuisse dixerim, si etiam irrationabilia, quantum illis con-
ueniret, monere non neglexit. *Bonauent. cap. 12.*

Idem. IDEM apud Castellum Gallinarium prædicans, hirun-
dinibus multiplici garritu obstrepentibus silentium im-
perauit, nullaque deinde, quamdiu ipse verba fecit, ne mi-
nimum quidem sonum aut susurrum edidit. Et quis nam tā
impudens est, vt dubitet, Spiritum sanctum per os eius lo-
cutum; cum etiam bestiæ interdum, præter naturæ suæ v-
sum, quod locutus est, intellexerint, & quod iusserit obe-
diendo peregerint? *Idem cap. 8.*

Antonius Abbas. ANTONIVS Hispanus huius Ordinis vir sanctitate
percelebris, cùm apud forum Iulij moram traheret, præ-
dicare verbum Dei iussus, imperitiam excusabat, nunquā
antea eiusmodi declamationibus vsus. Veruntamen iussi
oni Maiorum optemperans, talem fecit sermonem, qua-
lis exercatissimo tribui potuisset. Exinde prædicationi-
bus operam dare cœpit. Cumque aliquando de Cruce Do-
mini nostri Iesu Christi verba faceret, Patrem Francisci,
qui viuus adhuc alia in Prouincia longè sepositus dego-
bat, propè astare in aëre vidit, nutu confirmantem omnia
quæ ab ipso dicebantur. Ad tam sublime euangelizandi
munus nō nisi per humilioris gradum ascendit, hoc est,
dum se eo indignum reputat, & tamē quod iubebatur obe-
diendo experiri non recusat, sed & tunc confitens ac di-
cens: Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me. *Ioan. 7.*
Ib. cap. 4.

Bernard. Abbas. DE Bernardo Claraeuallensi Abbate traditum est, quòd
mater eum editura antè in quiete vidit se catellum in ve-
ro latrantem habere. Id interpretatum est, eam diuini
verbi præconem egregium parituram. Quam sanè inter-

pre-

Digitized by Google

præcationem minimè falsam fuisse euentus docuit. Quantum enim hic Sanctus in dicendo ingenij industriæque fuerit, quantæ in exhortando virtutis, ipsa scripta eius quæ in manibus habentur, indicio sunt, quæ quoties legimus, totiens dicere occurrit: Argentum electum lingua iusti. *In vita Bernardi, Sur. Tom. 4.* *Prou. 10.*

HIC cùm aliquando inter prædicandum sibiipsi placere cœpisset, ad inanem gloriam occulta suggestione illici sentiens aduertens, aduersus dæmonem protinùs inclamauit: Neque per te, maligne spiritus, prædicationem hãc inchoaui, neque per te finiam. Hoc repetens & arrogantiam cauit, & conseruauit humilitatem. Ex quo satis patet, quãtam illi reprehendendi sint, qui suis prædicationibus inanem tantùm laudationis humanæ fucum captant, seque doctos dici malunt, quàm docere: quandoquidem disciplinis non ita necessarijs occupantur, dum docent, dilatãtes phylacteria sua, & magnificantes fimbrias, ita sanè, vt qui audiunt mirentur magis, quàm discant. *Ibidem.* *Idem.* *Matt. 23.*

ISTOS & Stephani Anachoretæ arguit exemplum. Qui cùm aliquando illiteratus ac rudis haberetur, tantum in Mareotidis eremo manens profecerat, vt neminem ad eũ, discendi aliquid gratia, accessisse ferant, quin idem discedens se satis edoctum diceret. Mira illi Scripturarum intelligentia inerat, Deo ijs præcipuè Mysteriorum suorum abdita reserante, qui non tam se multa scire, quàm alios docere, vt salui fiant, charitatis studio exardescunt. *Hist. Trip. lib. 8. cap. 3.* *Stephanus Anachoreta.*

EQVITIVS apud Valeriam vrbem Abbas, postquam scalpello sibi quandam linguæ rubiginem ab Angelo leuari vidit, ab eodem iussus est ad prædicandum egredi. Diuersa igitur peragrauit loca, passim Euangelium prædicans, ac se sacrisque codicibus iumento impositis iter faciens. Accusatus autem, quòd nulla Apostolicæ Sedis authoritate prædicationis officium exerceret, Romam citatur. Et dum eò proficisci pararet, interim Pontifex per sõnium exterritus, rursum illi ne venire fatigaretur per nũtios iussit, simulque opus, quod cœperat, facere pergeret, quandoquidem id faciendi facultatem non ab hominib', *Equitius Abbas.*

sed

Digitized by Google

sed à Deo accepisset. Spiritalis enim (vt Apostolus inquit) omnia iudicat, ipse à nemine iudicatur. *Greg. Dialog. lib. 1. cap. 4.*

1. Cor. 2.

Fœminæ.

HOC docendi genus Apostoli sententia interdictum fœminis est. Mulieres, inquit, in Ecclesijs taceant. Nõ enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & Lex dixit: Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogẽt. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. Mariæ tamen Magdalenæ prædicatione Massilia Euãgeliũ recepit Christi, & Marthæ sororis eius Rhodani accolæ. Decuit solas Apostolatus fungi officio, vt, quæ cum Christo & viuente & resurgente conuersatæ fuerant, quicquid de illo vel oculis conspexissent, vel ab illo auribus excepissent, fide certiore testarentur. Si quidem & ijs iure suo dicere licebat: Non possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui. *Sur. Tom. 4.*

1. Cor. 14.

Maria Magdalena, & Martha soror.

Author. 4.

Prædicator solicitus.

QVALI verò diligentia quantoque studio in docendo vti debeat Catholicæ professor disciplinæ, Paulus Apostolus ostendit, dum Timotheum hortatur, dicens: Prædica verbum, insta, opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Eundem quoque in loquendo cautum circumspectumq; esse oportere mõstrauit, cùm ait: Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti, in fide & dilectione in Christo Iesu. Et paulò pòst: Noli, inquit, contendere verbis. Ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Solicitè autem cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis, prophanas autẽ & inaniloquia deuita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit. Et iterum ait: Stultas & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites. Ad Titum etiam: Loquere, inquit, quæ decent sanam doctrinam. Sic & Dominus noster Iesus Discipulis suis, vt Euangelium regni Dei prædicarent mãdauit, non inanes Poëtarum fabellas, non rerum, nihil ad institutionem vitæ pertinentium inutiles vestigationes, non captiosa sophismatum argumenta, quibus occupatus animus confunditur magis, quàm eruditur.

Prædicator cautus.

2. Tim. 4.

2. Tim. 1. & 2.

Titum 2.

PRAE-

Digitized by Google

PRAETEREA modum modestiamque in corripiendo seruandum idem præcipit, dicens: Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem, iuuenes vt fratres, anus vt matres, iuuenculas vt sorores, in omni castitate. Sic & Galatas admonet, cùm ait: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, cõsiderans teipsũ, ne & tu tẽteris. Illos tamen qui plus nimio duri videntur, & delinquendi assuetudine iam occaluerunt, acriùs increpandos esse, cùm Ioãnis Baptistæ cum Saluatoris nostri exemplo edocemur. Dũ enim Pharisæos palàm arguerent, alter illos viperarum progeniam appellauit, alter hypocritas generationemq; peruersam & adulteram dixit. Et cùm in flagitijs obstinatiores esse vidisset diaboli, non Abrahæ filios nuncupauit. Ferrum enim ferreis malleis procuditur, cera autem (quoniam tenellæ naturæ sit) manibus formatur. Hinc Paulus Corinthios per Epistolam interrogans: Quid, inquit, vultis in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Denotare vtique volens, quòd si adhuc in errore perseuerarent, quo subuersos fuisse rescierat, virga iã, non mansuetudine, opus esse in castigando.

1. Tim. 5. Qualiter corripiẽdi peccatores. Galat. 6. Matth. 3. Ibid. 12. & 16. 1 Cor. 4.

DOCTOREM enim procul ab omni assentatione esse decet, quòd idem significauit, cùm de se diceret: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Alibi quoque ait: Ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, Deus testis est, neque quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Qua in re non est prætermittenda Salomonis sententia dicentis: Qui dicunt impio, iustus es; maledicent ei populi, & detestabuntur eos Tribus: Qui arguunt eum, laudabuntur, & super eos veniet benedictio. Et iterum: Homo, inquit, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius: Adulator enim non coërcet malos, dum palpat, sed licentiores efficit. Hoc vitio facilè carebit, qui omnibus rebus antetulerit veritatem, & cum Psalmista dicere poterit: Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar. Sic etiam

Galat. 1. 1. Thess. 2. Prou. 24. Ibid. 29. Psal. 118.

Elias

Elias Propheta Achab regi irato ac dicenti: Tu ne es ille, qui conturbas Israel? audacter respondit: Non ego turbaui Israel, sed tu & domus patris tui, qui reliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim. Idem quoque Ochoziam regem, qui ipsum comprehendere quæsierat, vltro adijt, & eo morbo quo affectus iacebat, eò quòd de recuperanda valetudine Deum Accaron consultum miserat, periturum prædixit. Azarias etiam Sacerdos Oziæ regi super altare Thymiamatis incensum adolenti reclamauit restititque intrepidè, & quasi sacrilegio pollutum eijcere de Templo Domini non dubitauit. Tam ergo hi sanctissimi viri ab omni simulatione dissimulationeque alieni fuerunt, quàm reges illi ab æquo honestoque. Quorum quidem potentiam, dum quicquam accusandi esse viderentur, haud formidabant. Perindè ac si & ipsi cum Apostolis audissent: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autẽ non possunt occidere.

4. Reg. 1.

Azarias.

Matt. 10.

Quantum prosint boni prædicatores.

QVANTVM porrò expediat mortalibus, cùm supersunt illis boni doctique Prædicatores, quantumvè obsit cùm desunt, Niniue seruata, Sodoma & Gomorrha euersæ docent. Illa Iona prophetante pœnitentiam egit, hæ absque Doctore in omne scelus præcipites ferè, Deoque vlciscente ad internetionem redactæ sunt, implentes illud Salomonis oraculum: Cum Propheta defecerit, dissipabitur populus. Et vt ad nostra veniam, à Petro prædicante cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Paulo autem absente, & inter Corinthios, quos ad Christũ cõuerterat, schisma oritur, & Galatæ à Pseudoapostolis tentantur. Huc accedit, quòd qui prædicatores acceperint, Christum accepisse, & qui eiecerint, eiecisse probantur. Et quid hac re peius, quid illa melius?

Prou. 29.

Actor. 10.

Non omnibus prædicãdi officiũ conuenit.

Prou. 24.

SED & illud obiter animaduertendum, non omnibus prædicandi officium conuenire. Diu disce quod doceas, cùm à Salomone præceptum sit: Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & postea ædifices domũ tuam: Et Iacobus Apostolus non inconsultè moneat, dicẽs: Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam maius iudiciũ sumitis. In multis enim offendimus omnes.

Si quis

Digitized by Google

si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Docti igitur in populo docebunt plurimos, vt in Daniele legimus. Et vt in Euangelio: Scriba doctus in regno cœlorum profert de thesauro suo noua & vetera. Quamobrem ad Apostolos quoque dicitur: Sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto: Ne quis diuinæ ac cœlestis prædicationis onus assumere sibi ausit, donec vires roburque conceperit, ad sustinendum illud, Spiritus sancti ope atque dono & sacrarum cognitione Scripturarum. Tum demum præparato domi conuiuio, in publicum prodeat, & ad exitum viarum confidenter procedat, multos inuitet, laxet retia in capturam, seminet semen suum, & veræ Catholicæque scientiæ sale omnia condiat. Sed tamen calceamenta habeat in pedibus, ne terram attingat, vt tota eius conuersatio in cœlis sit. Quod alijs præcipit, prius ipse præstet: quia qui fecerit & docuerit sic, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Qui verò aliter præditus ac virtute, & ab eo quod ore præcipiunt factis atque animo diffident, ijs dicitur: Væ vobis Legispertis, qui oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. Tales quidem etiam indigni, qui legem Dei prædicent, habentur, dicente Propheta: Peccatori dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis Testamentum meum per os tuum? quasi diceret: Nolo te quisquam audiat, quamuis bene prædicante, ne forte sequatur male viuentem. Sin verò aliqui ex eo tamen quòd peritia ingenioque non nihil polleat; prædicare aliquando arroganter præsumpserint, viam veritatis docentes: tunc ijs qui audiunt, salubriter profectò consulitur, vt magis disciplinæ eorum, quàm vitæ rationem habeant, dicente Domino: Quæ dicunt facite, secundum autem opera illorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt. Nemo autem efficatius ad bene beateque viuendum instruit, quam cuius facta dictaque consentiunt, cuius non minus vita quam os prædicat. Et hic quidem est qui magnus vocabitur in regno cœlorum. Hic, inquam, est qui mercedē accipit, & congregat fructum in vitam æternā, vt qui seminat simul gaudeat & qui metit. Quod si beatus est qui iuste

Iacob. 3.
Dan. 11.
Matt. 13.
Matth. 5.
Luc. 11.
Psal. 49.
Matt. 23.
Ioan. 4.

pie-

pieque vixerit, quantò beatior qui simul & docuerit, vt nō sibi soli, verùm etiam alijs saluti sit,

De Sacerdotibus honorandis.

CAP. V.

QVAE ad Euangelicæ institutionis Doctorem spectarent, hactenus diximus: nunc quantum honoris Sacerdotali dignitati deferri debeat, explicemus.

Melchis. PRIMVS in Scripturis diuinis Melchisedec; Sacerdos memoratur, qui panem & vinum obtulerit Deo, & cui Abraam Patriarcha decimas dederit, quique etiam Rex Salem extiterit. Sed dum Rex tantùm erat, non illi licuit Sacrificium ministrare, non decimas exigere: Sacerdos enim factus est, vt potestate præcederet reges, & sanctitate Deo proximior fieret. *Genes.* 24.

Gen. 14.

Aaron. AD hæc si quis vestes & ornamenta Aaron Pontificis & filiorum eius Sacerdotum in Exodo consideret, inueniet in eis creaturarum omnium typum, & hoc quidem quantū ad allegoriam pertinet. Quantum verò ad tropologici sensum, virtutum cunctarum imaginem. Et si anagogen contemplari voluerit, figuram Christi. In fronte nomen Dei ineffabile sculptum in auro rutilat, quia caput Christi Deus est, & caput Ecclesiæ Christus. Oleo sanctificationis consecrantur, vt eundem significent, de quo & prædictum est: Vnxit te, Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et si tanta Pontifici ac Sacerdotibus Dei tribuuntur, vt mundum totum virtutesque omnes contineāt & simul mundi virtutumque Dominum nobis exhibeāt quis non eos ante cunctos mortales, qui in terra sunt, ponendos arbitretur? quis vel sola officij auctoritate non omnibus magis reuerendos existimet? Soli Pontifici sancta sanctorū ingredi licet, solis Sacerdotibus in altari Deo ministrare, solis panes propositionū sumere, & propopulo supplicare. Cedat omnis terrena potestas, nihil in Sacerdotis potestate conspicimus, quod non cœlo dignū sit. *Exod.* 28.

Exod. 28. Psal. 44.

HINC

Digitized by Google

HINC sanè est, quòd emissarij Saulis regis iussi interimere Sacerdotes Nobe, eo quòd Dauid (quem ipse rex persequebatur) suscepissent, non sint ausi manum eis inferre. Aderat rex, in facinus vrgebat, cunctantibus iratus minabatur. At illi immoti fixiq; stetêre: adeò ipsimet occidi, si sors ita ferret, quàm occidere Dei ministros malebant. Serui denique, morte contempta, prætulerunt furêtis Domini iussioni reuerentiam Sacerdotum. Doeg verò Idumæus, cui nulla religio, nullus Dei metus erat, nec Sacerdotum quidem eius cruore manus suas fœdare timuit, nec distulit pios coram impio rege iugulare, vt illi morê gereret. Doeg interpretatur mœstus, ne nescias, morte æterna damnandum esse, quisquis tam excellentis Ordinis viris iniuriam irrogare non perhorret. Ac ne tam immane flagitium vel Sauli vel ipsi Doeg impunè cessisse existimes, ambo simul, cum in Gelboe Philisthinos fugerent, iusto Dei iudicio proprijs mucronibus incubuerunt semet interficientes, qui Sacerdotes interfecerant. 1. *Reg.* 22. & 31. *Sacerdot. Nobe.* *1. Reg. 31.*

SED si tantæ æstimationis fuit sacerdotium Legis: quâto maiori esse debet sacerdotium Euangelij, quod non iam pecudum neque vitulorum, sed Christi sanguine cõsecratum est? *Sacerdotium Legis.*

ANACLETI Pontificis epistolam extare ferunt, qua præcipitur, summum ac præcipuum honorem Presbyteris a fidelibus deferendum. Non solùm igitur Presbyterum offendit, qui dignè non honorat, sed etiam Pontificis edictum negligit atque contemnit: & cùm gemini criminis reus existat, alteras irreuerentiæ, alteras inobedientiæ pœnas dabit, si modò pœnitentiam non egerit, & correctus tantò deindè Ministros Dei coluerit submissiùs, quantò erga eosdem insolentiùs se gesserat peruersus. *Con. 2. Matiscon. Can. 15.* *Anacleti Pontificis.*

A Constantino quoque Imperatore Legem editam tradunt, qua decernat, plus honoris deberi homini in sacerdotali dignitate constituto, quàm vlli alij vel domino vel regi; certum enim esse, in illis honorari Christum, qui vicem Christi in terra gererent: non in illis, qui *Constant. Imperat.*

Digitized by Google

imperarent terræ. Solis autem Apostolis, quorum locum sacerdotes tenent, à Domino dictum esse. Qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eũ qui me misit. *Gratian. Distinct. 9.*

Matt. 10.

Martinus Episcop.

IVRE igitur Martinus Turonensis Episcopus à Valentiniano imperatore inuitatus, cùm multis Principibus viris vnà recumbentibus primus poculum accepisset, in quo circumferendo (sicuti tunc mos erat) honoris ratio ducebatur: eo gustato, Presbytero suo post se hauriendum porrexit, neminem ex omni illo conuiuarum numero digniorem decernens, cui secundum honoris locum daret, nec ipsum quidem Valentinianum Augustũ. *Seuer. Sulpit. Sur. Tom. 6.*

Idem.

IDEM Valentinianus cùm aliquando adeunti se Martino non assurrexisset, atque etiam rem quandam petenti subiratus repulsam daret: statim flãma à solo sursum versus emicante, assurrexit inuitus, & miraculo perterritus perita concessit, multoque deinde honore afficere Episcopos pariter & Presbyteros cœpit: Liquidò iam perspiciés, terrenam dignitatem diuinæ cedere debere, & sacerdotio præditos æquum esse etiam ab Imperatoribus honorari. *Ibidem.*

Ambros. Episcop.

PROPTEREA quidem & Theodosius Augustus quoniam iratus in Thessalonicenses, suprà quàm quod iustum æquumque esset, animaduerti fecerat, Mediolani ab Ambrosio Episcopo Ecclesiæ aditu prohibit', palãq; reprehẽsus, patienti animo pertulit, & cõmissum cõfitens pœnitẽtiam egit. Vide quanta est Sacerdotis autoritas, qui tanto Principi publicè insultare non dubitauit, & cui tantus Princeps, populo inspectante, cedere non erubuit. *Hist. Trip. lib. 9. cap. 36.*

Idem.

IDEM cùm Paschali quodam die Ecclesiam ingressus intra chorum consedisset, audiuit, non eum locum purpuratorum esse, sed sacerdotum, iubentique Ambrosio vt inde suscitatus recederet, obediuit. Post hæc Constantinopoli ad Ecclesiam veniens, vt in choro sessum accederet, à Patriarcha inuitatus, nequaquam acquieuit, magis Ambrosij sententiam sequens atque approbans, qui ne Imperato-

Digitized by Google

ratores quidem sacerdotum consessione satis dignos iudicauit. *Ibidem.*

ANTONIVS AEgyptius Abbas, virtutibus & miraculis vbique clarus, ipsos Presbyteros ac sacerdotes in summa veneratione dicitur habuisse, solitusque eisdem caput submittere, benedictionem sibi captare, & pro magno beneficio ducere, si accepisset. Profectò tam sanctus vir haud quaquam tanti sacerdotalem benedictionem fecisset, nisi per eam sanctiorem se fore cognouisset. Benedici à sacerdote voluit, vt benedici mereretur à Deo, non in illa sola vitæ suæ integritate confidens, verum etiam aliunde spiritalia sibi subsidia comparans. Nam & palmes ille in Euangelio, quamuis fructuosus atque fœcundus, adhuc tamen purgatur, vt fructus plus afferat, & prouentu indies lætiore copiosius exuberet. *Athanas. in vita Anton.* *Antonius Abbas.*

FRATRVM quoque Minorum institutor ac Pater Franciscus, licet omni sanctitatis genere præstiterit, non minimum in hoc laudatur, quòd maximo semper honore Sacerdotes prosecutus sit. Dicere solitum tradunt, si cui Sanctorum è cęlo in terram delapso, & cum illo simul Sacerdoti fortè occurrisset; prius se Sacerdotis manibus osculũ daturum, deinde reuerentiam facturum Sancto. Plus quidem se debere illi significans, à quo ministrante sacratissimum Christi corpus acciperet; quàm illi, quem iam cum Christo regnare nosset. Quanta autem res esset Sacerdotium, in eo ostendit, quòd se indignum illo iudicans, nunquam promoueri passus sit, soloq; Diaconatus officio cõtentus, quoad vixit, fuit. Cogitent nunc Sacerdotes, qualis eos deceat perfectio, si Franciscus suam non sufficere credidit. *Bonauent. cap. 4.* *Francisc.*

IOANNES primus, qui Hormisdæ in summo Pontificatu successit, Constantinopolim versùs pergens, cùm Corinthum diuertisset, equum ei, à quo commodatum acceperat, restituit. Hoc equo, quòd inter manus mansuetior esset, vti solebat vxor eius qui cõmodauerat. Post hæc verò cùm illa inscendere vellet; ferocire equus ac veluti effrenis & indomitus circumagere sese, nec omninò pati, vt cuius dorso Pontifex iam sedisset, mulier sederet. Cuius *Ioannes PP.*

rei non mediocris admiratio tum ipsam, tum virum cepit, seque illo equo deinceps indignos iudicantes, eum Pontifici, cui priùs commodato cõcesserant, muneri obtulerũt. Docuit iumentum, quod homo ignorabat, non solùm Ecclesiæ Antistitis personam esse honorandam, sed etiam locum in quo constiterit, atque adeò sedem ipsam, in qua se aliquando collocarit. *Gr. Dial. lib. 3. cap. 2.*

Marcell. Episcop.

MARCELLINVS Anconę vrbis Episcopus, cùm podagrę morbo fractus ac debilitatus, incedere pedes non posset, gestari se iussit, & contra incendium, quò vrbs ipsa cõflagrabat, deponi. Mira res, ad illum vsque flamma perueniens retrocedere cœpit, paulatimque vanescens sæuire desijt, & sopita defecit. Quòd si ignis, id est, animale elementum, Sacerdotij virtutem sensit atque refugit, quis tã impudens est, vt eandem reuereri eidemque se inclinare subijcereque contemnat? *Greg. Dial. lib. 1. cap. 6.*

Fœmina. Maria Aegyptia. Zozimas Abbas.

PROFERAMVS in medium alterius quoque sexus huic præceptioni congruens exemplum. Mariam AEgyptiacam Zozimas Abbas in deserto orantem corpore supra terrã attolli vidit, supra aquas Iordanis ambulantem non mergi, & stupefactus congenuare ante illam reuerentiæ gratia voluit. At mulier, Sacerdotalem ab ipso dignitatem animaduertens, non permisit: sed econtrà honorem, quo se indignam censuit, ei detulit. Maius quiddam existimans Sacerdotem esse, quàm miracula facere, imò omnibus miraculis mirabilius iudicans, ex pane & vino Corpus & Sanguinem Christi conficere, quod solis Sacerdotibus est datum. *In vitis PP.*

Sacerdotij laus.

AD hæc ligandi soluẽdique potestas eis tributitur, prædicationis officium, gubernandæque Ecclesię regimen cõmittitur, & vt credentes expiationis lauacro, cæterisque diuini instituti Sacramentis, ad cœlestem beatitudinem adipiscendam idoneos reddant, mandatur. Ipsi sunt sal terræ, ipsi lux mundi, ipsi ciuitas supra montem ædificata, ipsi lucerna supra candelabrum posita, & lucens omnib' qui in domo Dei sunt. Ipsi ab Apostolo dicũtur genus electũ, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Denique stellarum Angelorumque vocabula in Apocaly-

Matth. 5.

1. Pet. 2.

ps

Digitized by Google

promerentur. Et in Psalmo audiunt: Sacerdotes eius indu- *Apocal. 1.*
am saluari, & sancti eius exultatione exultabunt. Hæc *Psal. 131.*
ra igitur quæ sanctus Propheta Dauid suspiciens & ad-
irans, clamat: Mihi autem nimis honorificati sunt amici *Psal. 138.*
i Deus, nimis confortatus est Principatus eorum. Hæc
nos certè mouere debent, vt illos præcipua & singulari
quadam veneratione afficientes, quicquid honoris, quic-
quid officij in eos contulerimus, in Deum contulisse arbi-
remur, Deo præstitisse.

CAETERVM & Sacerdotes ipsi videant, vt quanto au- *Quàm*
toritate atque honore reliquos mortales anteceſſerint, tã- *perfectos*
tum & virtutibus præstẽt. Cui multum donatum est, mul- *esse de-*
tum ab eo exigetur. Quòd si ijs, qui semel in anno sacro- *beat Sa-*
sanctam Communionem de manu Sacerdotis accipiunt, *cerdos.*
vt se priùs probent, præcipitur, & sic de Pane illo edant,
& de Calice bibant: quanto magis debet probari viuere ijs
synceriùs is, qui quotidiè ad Altare Dei accedit, & tã mi- *1. Cor. 11.*
rabile stupendumque Sacramentum verbis conficit, ma-
nibus contrectat, ore sumit, & sumendum quãdoque alijs
porrigit? Castum igitur mente & corpore, præ omnibus
virtutibus, humilitate multa submissum, patientia firmum, pu-
ritate mundum, sanctitate perfectum, omni denique vir-
tutum odore præter cæteros fragrantem esse oportet sa-
cerdotem, vt ei animo consentiat, cui corpore sic adhære-
re præsumit. Si enim castitatem illius consideres, virgo *Christus.*
est & Virginis filius. Si humilitatem, formam serui accepit, cum esset Deus. Si patientiam, opprobria, cõtumelias, verbera, necem sustinuit, vt nos saluaret. Si puritatẽ, peccatum non fecit, & non est inuentus dolus in ore eius. Si sanctitatem, sanctus sanctorum est, gratia & veritate plenus. Si perfectionem, nec augeri in illo nec minui potest. Hic quippe ille est, vnigenitus Dei filius, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, « & », principium & finis, Christus Iesus, cuius nomen super omne nomen, cui omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, in quem Angeli prospicere desiderant. Quem cũ Patre & Spiritu sancto simplicem inseparabilemque substantiam tremunt Archangeli, reuerentur Dominationes,

Digitized by Google

venerantur Potestates, adorant Virtutes, Cherubin & Seraphin confitentur, omnis spiritus laudat. Ineffabile verbum, incircumscripta Deitas, incomprehensibilis Maiestas, sub visibili ista palpabiliq; specie ad te è cœlo dignatur descendere, ô sacerdos. Cogita, perpendo, examina, quem te exhibere debeas, ne talis ac tantus Dominus à te inuitatus, ad te veniens, in te inueniat quod ipsum offendat.

De Pace colenda. CAP. VI.

DIXIMVS de sacerdotali dignitate honorãda, nunc de pace colenda obseruandaque dicemus. Nam neque sacerdotem pontificemve satis honorare videtur, qui quod ab ipso inter Missarum solẽnia sacra quotidiè præcipitur, negligit atque contemnit. Pontifex autẽ ab Altari ad populum conuersus dicere solet: Pax vobis: hac nempe precatione nobis innuens, vt cũm proximis pacem habeamus, si Deo reconciliari cupimus.

Isaac Patriarcha. Genes. 26.

ISAAC Patriarcha (vt in Genesi legimus) Geraræ apud Abimelech Palæstinorum regem consides, cùm multa rerum hominumq; copia auctus fuisset, in inuidiam incidit. Ejectus ergo abijt, & semper vbi tranquillius viuere posset quærens, in Bersabee sibi posuit sedem. At cùm idẽ Abimelech, potentiam eius formidans quem offenderat, vltrò amicitiam petitum venisset, ipse oblitus iniuriæ, quod petebatur facilè cessit, initoque inter se fœdere, ac pace iureiurando firmata, hospitium conuiuiumq; illi & omnibus qui cum illo erant indulsit. Vlciscendi offensore suum poterat viribus iam superior, sed sicut expellenti nõ repugnauit, ita amicitiam petenti annuit. Et quo sibi magis obnoxium faceret, ad epulas inuitauit lautè opiparéq; instructas: in tantum pacis concordiæq; amator fuit. *Genes. 26.*

Dauid. 1. Reg 24 & 26.

DAVID quoque Saulem regem, se vbique hostiliter prosequentem, fuga declinabat, & cùm posset lædere, noluit. Chlamidis eius oram latẽter abscidit, hastam & scyphum secus caput dormientis positum abstulit, vt ea res fidem faceret, ideo se parcere vitæ persecutoris, vt esset cũ

quo

Digitized by Google

quo tandem placato in gratiam rediret. Itaque beneficio Dauid victa est Saulis inuidia, pacē inter se iniēre. Dauid tamen Saulis inconstantiæ non ignarus, ne præsentia sua illum turbaret, in Palæstinam ad Achim Gethæorum regē se transtulit, habitauitque in Siceleg vrbe, donec Saulo hostium armis cæso, rediens illi succesſit in regno, cuius odium placare, quam vlciſci, maluerat. Sic ergo Dei benignitas ac pauor pacis patientiæque exaltauit cultorem. 1. *Reg.* 24. & 26.

VERVM quoniam ipse Dauid, in negotijs militaribus assiduè versatus, hostium cruore manus fœdauerat, prohibitus est ædificare Templum Domino: Salomō autem iussus, vt qui semper pacificus & belli abstinens fuit. Nunquid igitur peccati arguitur Dauid, qui Deo fauente prostrauerit inimicos? Minimè quidem, sed tamen ideo ædificatio Templi illi interdicitur, vt omnibus constet, quanti apud Deum momenti sit perpetua in homine pacis obseruatio, imperturbataque tranquillitas. 1. *Paral.* 22. *Idem.* 1. *Par.* 22.

EZECHIAS rex Iuda, cùm responsum accepisset, thesauros quos Babylonijs gloriæ cupiditate ostentauerat, ijsdem futuros prædam, delicti consciis: Bonus est, inquit, sermo Domini: sit tantùm pax & veritas in diebus meis. Non negauit iustum esse Dei aduersum se iudicium, sed mala differri precatus est, non ob hoc, ne thesauros, sed ne thesauris chariorem pacem amitteret. Et quoniam pro pace, non prodiuitijs orauit, quoad vixit hostem non vidit, Deo in posteros calamitatem illam quā interminatus fuerat transferente, vt monstraret, præponendam esse opibus pacem. 4. *Reg.* 20. *Ezechias rex.* 4. *Re.* 20. *Isaiæ* 39.

CERTE ipse æterni Patris coæternus Filius non prius de homine nasci voluit, quàm totus terrarum orbis positis bellis pacem ageret. Cur ita, nisi vt pacem & concordiam sibi gratissima esse significaret? Tunc & Angeli lætantes cecinerunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ipse insuper Discipulis suis, cū eos ad insinuandam Gentibus veritatem mitteret, præcepit, vt quamcunque domū ingrederentur, statim in primo aditu pacem offerrent, pacem domui illi, pacem habitan- *Christus.* *Lucæ* 2.

Digitized by Google

tibus in eâ. Et ad Crucem iturus, hanc hæreditario illis dimittere voluit, dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meâ do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Mundana enim pax vtilitatem respicit, diuina charitatem. Hæc etiam à Deo poscere nos instruit, dum pro omnibus in se credituris Patri supplicat, vt sicut ipse cum Patre vnum sunt, ita & hi in ipsis vnum sint. Non possunt vnum esse in Christo, qui non vnanimiter adhærent vni Christo, vt vnius capitis membra esse mereantur. Non est pax impijs, ait Dominus: Et in Euangelio legimus, non alio erga Discipulos salutationis genere eum fuisse vsum, quam vt diceret: Pax vobis. Tunc quoque, cùm post resurrectionem insufflaret eis: Pax vobis, inquit: Accipite Spiritum sanctum. Nimirum vt docerer, illum, qui Spiritus sancti charismata vellet promereri, priùs cum proximis suis cõcordem æquanimemque esse oportêre. Vnde Apostolus: Idem sapite, inquit, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Et Dominus ipse ait: Si duo ex vobis cõlenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. O inæstimabilis beatæ concordiæ merces. Quid enim maius dari potuit hominibus inter se consentientibus, quàm vt quicquid petunt impetrêt, & Christus illis semper præsens, semper medius sit?

Luc. 9.
Ioan. 14.
Isaiæ 48.
2. Cor. 13.
Matt. 18.

TALIS pax in Apostolis, in Discipulis, in Martyribus, in Confessoribus Christi fuit. Non potuit eam discindere Tyrannorum sæuitia, non voluptatum illecebra conuertere, non perpetuum diaboli odium supplantare. Omnes discordiarum machinationes sola pax in arce veræ fidei collocata superauit. Haud illi pacem nunc haberent in cœlo, si eam habere desijssent in terra: idem velle, & idem nolle, supernæ beatitudinis dignos fecit. Concordia enim hæc, atque consensio veritatis, non erroris fuit.

QVI eiusmodi pacis tranquillitate delectari solét, non in se tantùm, sed in alijs etiam mentem irritatione aliqua alienatam, allicere ac mollire modis omnibus conantur. Vbald' Eugubinæ vrbis Episcop' cũ ciues suos, in seditionem

vbaldus episcop.

Digitized by Google

nem versos, verbis placare non potuisset, & iam ad arma esset concursum: inermis inter tela strictosque mucrones irrumpens, humi prono corpore sese prostrauit, nec exsurrexit, donec illi saucium iacêre rati, mutua odia in vnius miserationem conuertissent. Iacens diremit pugnam, quam stans nequiuerat inhibere. Audacem autem & periculi impauidum fecerat ipse pacis amor. Idem Fredericum Imperatorem Eugubinis infensum iratumque, & ob id graue æris vectigal acceptis obsidibus imperantem, suppliciter adiens placauit, ita vt ille & pecuniam remitteret, & obsides restitueret, & ipsum vbi multo honore affecisset, discedentem deduci iuberet. Sicque pastor bonus in tanta ouium suarum trepidatione nunquam conquieuit, donec securas redderet, factus eis vix speratæ pacis impetrator simul & nuntius. *Stephan. Cremon. Sur. Tom. 3*

Idem.

IVO quoque Presbyter, cùm multis miraculis tum imprimis pietatis operibus clarus, dolens quendam cum matre non leui odio dissidere, postquam reconciliare nulla prorsus ratione quiuit, Missale pro eis Sacrificium obtulit Deo. Exinde nemine iam solicitante, solo diuino instinctu ita animis resipuêre, vt & hic filium se agnosceret, & illa matrem. Documento est, vt quos exhortando ad concordiam reuocare non possumus, reuocemus pro eis deprecando, quandoquidem non hominum, sed Dei donum est pax. *Sur. Tom. 3.*

Ivo Presbyter.

PAFNVTIO Abbati in solitudine vitam agenti reuelatum est, quendam Heracleæ illius regionis vrbe sibi vitæmeritis esse parem, & quærens, inuenit, eum quidem & vxorem & filios habere, sed post secundam susceptam prolem, castitatem cum ipsa seruare, iustitiæ studere, pietatem colere, & hoc præcipuè moris habere, vt si quos inter se odio distractos cognouisset, continuò in gratiam reducere niteretur. Non fuisset (vt opinor) ciuis iste tam religioso solitario comparandus, nisi hoc sibi virtutis genus adsciuisset, quo ille procul ab hominibus manens vti non poterat. Assidua quippe cura in reconciliandis aliorum animis indignationibusque leniendis vrbanum hominem

Pafnut. Abbas.

Digitized by Google

dignum fecit, qui sanctis eremi cultoribus esset æquandus. *Pallad. Hist. 64.*

Agathon abbas. NON immeritò igitur Agathon Abbas gloriatus est, se nunquam cepisse somnum, nisi priùs & suam aduersum alios, & aliorum aduersum se indignationem placando sopiret: implens illud breue quidem sed multę perfectionis præceptum: Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Eundem dicere solitum accepimus. Iracundos Deo atque hominibus odio esse. Sicut enim humilitas pacem conseruat, ita iracundia concitat lites, concordiam dissipat. *In vitis PP.*

Psal. 33.

Ioannes abbas. HINC & Ioannes Monasterij in Scythi positi Abbas cum ad Pesium Anachoritam visendum venisset, & abeo quæreret, quantum in solitudine per annos XL. quibus in ea permanserat, profecisset, isque referret, quòd sol omnia collustrans nunquam se conspexerit manducantem: nec me iratum respondit, haud minoris meriti existimans non irasci, quàm corpus quotidianis tenuare ieiunijs, inediaque atterere. *In vitis PP.*

Pastor Abbas. Matth 5. PASTOR de Scythi Abbas, interrogatus super illud Euangelij: Qui irascitur fratri suo sine causa, solam iustæ iræ causam definiuit, separationem à Deo: cæteris quamlibet magnis iniurijs acceptis qui irascitur, eum sine causa iratci. Igitur cum offensis lacessimur, meminisse debemus, nos non habere indignationis causam, sed patientiæ. Ita fiet, vt pacem etiam cum inimicis habeamus. *Luc. 6.* Non est enim cur illis irascamur, quos diligere, & pro quibus orare iubemur. Diligite, inquit Dominus, inimicos vestros, & benefacite ijs qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos.

Beno Abbas. CVIVS quidem præcepti Benonem deserti Thebaidi Abbatem non immemorem fuisse constat, cùm nunquam visus sit iratus. Qui nemini irascitur, nó ne semper in pace versatur? Profectò tametsi persecutiones sustinet, fatigantur persecutores odij stimulis agitati: ille omnia æquanimiter ferens, in spe præmij cælestis conquiescit, *Rom. 12.* dicente Domino: Mihi vindictam, & ego retribuam. *Pallad. Hist. 49.*

SECV

SECVLARIS quoque potentiæ in pace conseruanda studium æternæ beatitudinis præmio est repensum. Edgaro enim Britannici regni diadema suscipiente, Dunstanus Cantuarienſis Archiepiscopus sibi diuinitus prædictum audiuit, pacem Britanniæ futuram, quamdiu ille viueret. Igitur annos XVI. quibus regnauit, omnia in summa quiete tranquillitateque fuêre. Perpetuò quippe amicitiæ fœdere vicinos reges sibi deuinxerat, piratas mari, prædones terra submouerat, in feras etiam prædæ auidas seuerus, à Guidualo Gualdensium rege tributum exegit, annis singulis lupos XXX. venatione captos. Id seruatum, donec illud bestiarum genus assiduis cædibus defecit. Nihil esse in regni finibus passus est, quod à pacis quiete foret alienum. Tantus ergo pacifici status amor ipsum vsque ad quietem euexit sempiternam, & ad cœlestis regni gloriam sublatum inter Sanctos collocauit. Hunc imitentur terrarum Principes, & illorum qui turbas cient ferocitatem coerceant, bonos sibi concilient, malos persequantur, bello nihil aliud quàm pacem quæsant, si Deo pacis placere, & ab eo pro talibus factis, post terreni regni successum, supernæ quoque fœlicitatis recipere mercedem exoptant. *Osbertus & alij, in vita Dunstani, Sur. Tom. 3.* *Edgarus rex.*

EST præterea pacis genus, quæ conspiratio sine coniuratio dicitur, mala hæc & detestanda, odiumque potius eligendum, quàm consentiendum ijs, à quibus in societatem sortemque flagitij vocamur. Talis pax filios Iacob in Ioseph fratris necem concordes fecerat, nisi quòd Ruben, Deo inspirante, in cisternam deijciendum censuit, & Iudas Ismaelitis vendendum. Vixit ille Dei beneficio, qui fratrum malignitate perierat. At quantò melius erat talem inter se dirimere concordiam, quàm tanto sceleri consentire? Hæc est illa pax de qua saluator ait: Non veni pacem mittere in terram, sed gladium: quo scilicet talis pax scindi, distrahi, separarique deberet. *Genes. 37.* *Pax mala.* *Matt. 10.*

DE Herode quoq; & Pilato in Euangelio legimus quòd ad inuicem inimici erant, & facti sunt amici, vt Iesum perderent. *Herodes & Pilatus.*

Digitized by Google

derent. Sic facinorosos homines par perpetrandi mali voluntas coniunxit, quos alienauerat odium. Minùs nocentes fuissent, si in pristinis simultatibus perseueraſſent. Non debet esse reconciliationis causa consensio mali, sed boni. *Luca* 23.

Pax simulata.

EST & illa pax oppido quàm fugienda, qua obtegitur dolus, sub qua latent insidiæ, fraudesque de improuiso eruptura cubant. Nemo plus nocet, quàm qui simulat se profuturum: personam amici malignus induit, vt incautos ducat in foueam, Lactat blanditijs, adulatione palpat, promissis allicit, omni palàm permulcet officio, & occultè gladium acuit, quo iugulet. De talibus per Ieremiam

Ierem.5. dicitur: Impij insidiantes quasi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendum viros. Sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plena dolo. His Dauid Spiritu san-

Psal.29. cto plenus imprecatur, dicens: Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Da illis secundùm opera eorum, & secundùm nequitiam adinuentionum ipsorum. Idem ab ijs circumueniri formidans, o-

Psal.42. rat Dominum, & ait: Ab homine iniquo & doloso erue

Psal.118. me. Et iterum: Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem. Sed profectò sicut malum est ab huiusmodi hominibus irretiri capique, ita pessimum eos velle imitari. Nam qui decipitur, imprudens est: qui decipit, iniustus: alter miserationem, alter meretur poenam.

Ioab perfidia in Abner. 2.Reg.3.

IGITVR quò vtrumque faciliùs deuitetur, pauca adhuc id genus exempla subnectam. Licet enim nobis propositum sit de virtutibus tractare, expedit tamen interdum & vitij mentionem interseruisse. Abner filium Ner, qui (vt in Regum libro legimus) principibus Israel persuaserat, vt electo Isbosceth Saulis filio, regem sibi acciperent Dauid in Hebron regnantem: cùm ob hoc ipsum negotium illuc veniſſet, seque ipsi Dauid fœdere iunxisset, & re peracta iam discederet, Ioab, Dauidici ductor exercitus, ad colloquium reuocatum interemit. Quid hac perfidia nequius? vt regis seruus regis amicum amicitiæ simulatione supplantet atque occidat? & duplicis criminis

reum

Digitized by Google

reum se constituat, capitalis fraudis in Abner, summæ ingratitudinis in Dauid. 2. *Reg.* 3.

IDEM Amasæ collegæ suo cùm obuiam occurrisset: Salue mi frater, inquiens, faciem ad osculum applicuit, ficam ad latus, vnoque ictu miserum nihil timentem confecit, ob hoc solùm, ne militaris gloriæ secum particeps esset. Illi inuidit laudem, sibi perpetuam perfidiæ comparauit notam, minùs in hostem quàm in socium ferox. Meritò postea & ipse à Salomone rege occidi iussus, malignæ impietatis pœnas dedit. 2. *Reg.* 20. *Idem in Amas.* 2. *Reg.* 20

GODOLIAS per Nabuchodonosor regem (sicut in Ieremia habetur) reliquijs terræ Iudææ Præfectus. Ismaelem Nathaniæ filium, à Bahali Ammonitarum rege ad se in Masphath missum, cum multis qui cum illo venerant, vt socium & amicum domi perquam lautè acceperat, pro charissimo habuerat, ab ijs, quibus suspectus erat, lædi prohibuerat. Ille tamen contra tot beneficia (sicuti iam animo propositum habebat) incautum cum omnibus ferè qui in Masphath erant Iudæis ac Babylonijs simul trucidauit, vrbeque potitus est. Quod bellum quoque hac pace plus habuit crudelitatis: si pax dici debeat, qua nihil aliud nisi nocendi quæsita est occasio. *Ierem.* 41. 4. *Reg.* 25 *Ismael in Godoliã. Ierem.* 41

NONDVM fama tam nefandi facinoris percrebuerat, & idem Ismael inde digressus octoginta viros de Sichem, Silo, & Samaria Ierosolymam versus ad offerenda in Templo dona petentes, vt ad Godoliam diuerterent, blandè amiceque hortatus est. Nota erat Godoliæ hospitalitas, quamobrem facilè quo volebat persuadet, in vrbemque perductos interemit? Sicque nequissimus hic impostor ore pacem præferebat, corde meditabatur carnificinam. Nihil nocere potuisset, si quicquam se interim nociturum ostendisset. Non difficulter cauetur periculum, si pateat: neque inimicus, si minatur. *Ibidem.*

ANTIOCHVS quoque Eupator (vt in Machabæorum libro traditum est) cùm Sion arcem loci natura munitam vi expugnare non potuisset, dolo aggressus est. Obsessis pacem iurat, obsidionem soluit. Sed intra mœnia receptus, omnia funditùs euerti iubet, non minùs hostiliter agens, 1. *Mach.* 6. *Antiochi dolus in Iudæos.*

Digitized by Google

agens, quam si iratus repentè cum armis irrupisset. Quos igitur obsidio domare non poterat, simulata pax vicit. 1. *Machab.* 6.

Alcimi in sacerdæs. 1. Mac. 7.

ALCIMVS Sacerdos cum pessimis ex Israel ad Demetrium Asiæ regem defecerat. Et coactu exercitu cum Bachide regis Præfecto venerat contra Iudam. Tunc Assidæis; qui de stirpe Israel erant, amicum se ostendens, iurauit nihil se mali illis illaturum. Sic deceptos atque euocatos cùm comprehendisset, LX ex ipsis die vna neci dedit. Nescio infœliciùs an inconsultiùs confisos dixerim. Non enim erat cur crederent sacerdoti etiam iuranti, quem aduersariorum partes secutum non ignorabant. Quomodo enim periurare homini timeret, qui apostatare à Deo non pertimuit? 1. *Machab.* 7.

Triphon in Ionathan & in regem suum. 1. Mac. 13.

TRIPHON Antiochi adolescentis Syriæ regis Præpositus, dominandi cupidine incensus, Ionathæ Israel duci socioque & amico regis, quem sibi impedimento fore spectabat, quamprimum imponere deliberat. Ad ipsum venit in Bethsan, dona offert, Ptolemaidam ei se traditurum spondet, vtque eò secum pergere maturet, persuadet, cùm non aliam ob causam se illum adisse diceret. Ingressus vnà cum eo in vrbem, claudi portas, ipsum comprehendi, reliquos qui cum illo venerant, ad vnum cædi fecit. Acceptis deinde centum talentis & duobus Ionathæ filijs, quæ vt ipsum dimitteret poposcerat, nequaquam dimisit, sed simul cum filijs interimi iussit. Antiochum deinde dominum suum, dum confabulando cum illo iunctis lateribus incederet, transfigit, ac regnum occupat. Habeatur sanè cum talibus pax, si vlli vnquam plus obfuit Triphon, quàm ijs qui sese illi credidêre. 1. *Machab.* 13.

Ptolomæus in Simonem liberosque eius. 1. Mac. 16

PTOLOMAEVS Abobi filius Præfectus Iericho, Simonem Machabæum filiosque eius Mathathiam & Iudam hospitio suscepit, honore affecit, multoque luxu apparatum conuiuium dedit. Cæterùm cùm pati potique essent, crapula grauatos, ac semisomnes cum armatis subsessoribus repentè inuasit, oppressit, occidit; mensas eorum cruore fœdans, quos tam benignè conuitauerat. Haud alia pax villici esse solet cum porcis, quos ideo saginat vt ma-

ctet.

Digitized by Google

ret. Nostra interest, talium hominum & cauere dolos, & mores execrari, ac prorsus neque decipi neque decipere velle. At si alterum necesse fuerit, pati mala, quàm inferre, satius iudicemus. Sustinendo autem, non vindicando iniuriam, pax paratur. 1. *Machab.* 16.

VT ergo vera syncerâque pace vti fruique possimus, magno atque constanti animo contemnamus insolentium hominum contumelias, probra, maledicta, memores à Salomone sapientissimo præceptum esse: Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Rixas & odiosas verborum concertationes abijciamus, quia alius quoque Sapiens ait: Abstine te à lite, & minues peccata. Vbi autem zelus & contentio (vt Iacobus Apostolus inquit) ibi inconstantia, & omne opus prauum. Paulus etiam ad Titum scribens, ait: Stultas & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant litem. Seruum autem domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Rursum Salomon: Honor est homini, inquit, qui separat se à contentione, omnes autem stulti miscentur contumelijs. Et iterum: Ne contendas cum pessimis, ne æmuleris impios. Et alibi scriptum est: Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna. Profectò qui pungentes altercationum aculeos non cauerit, præceps agatur necesse est in perpetuam inquietudinem mentis pariter & corporis. Et hoc quoque Salomonis sententia astruemus: Vir sapiens, inquit, si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue irrideat, non inueniet requiem. Modis omnibus igitur enitamur, vt à velitationibus ac iurgijs alieni pacem tranquillitatemque possideamus, vel Apostolo hortante, qui ait: Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Mala est luxuria, mala auaritia, mala ventris ingluuies, malum otium, sed tamen vnumquodque crimen sua blanditur voluptate, sola discordia nihil in se habet quo delectet. Gignit inuidiam, concitat iram, prorumpit ad conuitia, non temperat manibus. Hinc cædes, hinc exilium, domorum orbitas, vrbium excidia, regnorum desolatio. Vnde rectè quidam: Concordia, in-

Prou. 26.
Eccli. 28.
Iacob. 3.
Titum 3.
Prou. 20.
Prou. 24.
Eccli. 8.
1. *Cor.* 1.
Sallust.

quit,

Digitized by Google

quit, paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.
Matth. 12. Sed & veritas (quæ falli omninò non potest) ait: Omne regnum contra se diuisum, desolabitur. Et omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit. At verò in pace omnia læta, iucunda, suauia sunt. Si quid aduersi incidit, pax eleuat mœrorem: si prosperi quid contingit, pace gaudium augetur. Hanc itaque eleganter definiuit Augustinus, dicens: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis: Nec poterit, inquit, ad hæreditatem Domini peruenire, qui testamentum pacis noluerit obseruare. Nec potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Concordes autem erimus, si dabimus operam, ne ab ijs, quæ à Domino nobis præcepta sunt, discedamus, dicente Dauid: Pax multa diligentibus Legem tuam, Domine, & non est illis scandalum. Et per alium Prophetam populo Israel dicitur: Si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram.
Psal. 118.
Baruch 3.

De Consortio habendo fugiendoque.

CAP. VII.

QVONIAM verò in via Dei ambulare volentibus nobis, id est, piè & innocenter viuere, multum interest nosse, quorum consuetudine consortioque vti debeamus: hoc nunc docere aggrediemur, commemorantes tum eorum, qui malè sibi hac in parte consuluerunt, ruinam; tum eorum, qui bene, vtilitatem atque profectum.

Adam & Eua. Genes. 3. IAM primi hominum quoniam callidissimi serpentis colloquio vsi sunt, virulentis mortiferisque eius suasionibus solicitati, à mandato Dei desciuerunt, & amissa Paradisi amœnitate, ad huius vitæ miserias redacti sunt. Hinc discitur, nequaquam miscendos esse sermones cum ijs, qui soli sibi videntur sapientes, & dedignati cum multis quæ vera sunt sentire, captiosis argumentorum sophismatibus peruertere fidelium simplicitatem moliuntur. *Genes.* 3.

FOEMINARVM quoque vti familiaritate quis turò pote-

Digitized by Google

poterit: si earum aspectus atque conuersatio Samsonem fortissimum compulit ad necem. Dauid sanctissimum ad adulterij homicidijque crimen. Salomonem sapientissimum ad simulacrorum cultum? Ideo ipse in Prouerbijs vociferatur & clamat: Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Nemo veriùs iudicat periculum, quàm qui expertus est damnum. *Iud.*16. 2.*Reg.* 11.3. *Reg.*21. *Samson.* *Dauid.* *Salomon.* *Prou.*5.

TOBIAS cùm filium suum in Mediam mittere vellet: Perge nunc, inquit, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum. Quem ille inuentum, percunctatus est vnde esset, & an viam, quæ in Mediam ducit, sciret. Huius exemplo eos nobis comites admittere debemus, quorum nota est fides, & compos veri scientia, nequando errore aliorum seducti, ab itinere deuiemus virtutum. *Tob.* 3. *Tobias.* *Tobiæ* 3.

IOSAPHAT rex Iuda, licet rectè vixisse prædicetur coram Domino, quia tamen amicitia illi intercesserat cum Ochozia rege Israel omnium pessimo, per Prophetam arguitur, & classis, quam cum ipso communem habebat, priusquam in Tharsis, quo missa fuerat, peruenisset, naufragio perijt. Rursum alias naues communicatis impensis ædificare ab Ochozia tentatus, renuit: iam damnosatis edoctus, ne innocentem quidem securum esse, cum perditis hominibus commercium habentem. 3. *Reg.*22. *Iosaphat.* *Ochozias.* 3.*Reg.*22.

MAGOS ab Oriente ad Christum in Bethlehem natum Stella perduxit, sed tamen cum interim ad Herodem Ierosolymam diuertissent, latuit illico, subtraxitque sese obtutibus eorum. Cùm verò inde discessissent, rursum comparuit, & vsque ad locum quò ibant fideliter præcessit. Quid est hoc? nisi quia caligat in nobis rectæ rationis lumen, quamdiu illis iungimur, quos nebulæ premunt vitiorum. Tunc nitescit & exoritur, cùm his relictis ad quærendum Deum conuertimur. Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. *Magi.* *Matth.*3. 1.*Ioan.*1.

PETRVS ipse Apostolus, Christi amore inter omnes ardentissimus, tunc quidem refrixit, cùm atrium Caiphæ ingressus, impiorum hominum se implicuit colloquijs, compulsusque est negare se illum nosse, quem paulo antè *Petrus* *Apostol.* *Matt.* 26.

Digitized by Google

Dei viuentis filium confessus fuerat. Corrumpunt itaque (vt Paulus ait) bonos mores confabulationes pessimæ. Et qui tangit picem, inquinabitur ab ea. *Matth.* 26.

1. Cor. 15. Eccli. 14.

Christus. Matth. 8.

IDCIRCO Dominus noster petenti Discipulo, vt abiens parentaret patri, non permisit, ne infidelium cognatorum, quos affore funeri necesse erat, consortio macularetur. Sine, inquit, mortui sepeliant mortuos suos, tu me sequere. Quia scilicet ego vita sum, mecum viue, & dimitte mortuos, ne fortè & ipse simul moriaris.

Luca 9.

AB ijs etiam qui hæresi aliqua deprauati sunt, vt declinemus, ipsa Sanctorum exempla nos monent. Ioannes Apostolus balnea cum Discipulis ingrediens, vt eos, qui illò conueniunt, Euangelium doceret, vidit inter lauantes Cherinthũ hæreticum, atque inde relato statim gradu ad suos conuersus: Fugiamus hinc, ait, ne balnea nos opprimant ruina, in quibus Cherinthus lauat veritatis inimicus. Adeò non fidem solùm, sed etiam vitam periclitari cum hæreticis conuersantium existimauit. *Euseb. lib.* 4. *cap.* 14. *Iren. lib.* 3. *cap.* 3.

Ioannes Apostol.

POLICARPVS quoque eius discipulus Marcioni hæretico fortè occurrens, cùm ab eo an se agnosceret interrogaretur, respondisse dicitur: Agnosco, agnosco diaboli primogenitum. Itaque docet, haud molliter cum huiuscemodi hominibus loquendum esse, si quando loqui necesse fuerit. Cur enim dissimulemus, eosdem nos habere inimicos, quos Dei esse nouerimus; tanto maiore odio dignos, quanto dolosiùs Catholicæ insidiantur veritati? Amplius aliquid dicam: etiam cum fidelibus, mundana tractantibus, religioso viro periculosa est conuersatio. *Ibidem.*

Polycarp. discipul.

ANTONIVM Abbatem Alexandrinum dicere solitum ferunt: Non expedire Christi seruis, eorum qui seculo seruiunt domos frequentare, aut consuetudine vti. Sicuti enim pisces de aqua eductos continuò languescere & emori solere, ita Monachum extra cœnobij septa vagantem, si quicquam confabulationi vacuerit alienorum, ad cordis tepiditatem redigi, & circa spiritalia exercenda efficitardiorem. *Athanas. in vita Antonij.*

Anton. Abbas.

HINC

HINC sanè est, quòd plerique cum feris bestijs in solitudine viuere sibi satius duxerunt, ne in cœtu hominum mentem, quam in sola Dei contemplatione fixam & locatam habere vellent, diuersis cogitationibus diffundere atque distrahere cogerentur. Ob hoc sanè Arsenius, cur tantopere accessum hominum deuitaret cùm interrogaretur, non posse se cum Deo simul & hominibus esse aiebat. *In vitis PP.* *Arsenius.*

CAPITON itidem rogatus respondit, vereri se, ne ex hoc imbecillior ad sustinendos inimici impetus redderetur, quocum adhuc sibi superesse certamen sciret. Alterum ergo contemplandi amor, alterum peccandi timor ab humano submouerat consortio: nunc vterque consortio fruitur Angelorum. *In vitis PP.* *Capiton.*

PAVLVS primus inter Christianos Eremi cultor annos septem & nonaginta, Honophrius septuaginta, hominibus inuisi incognitique fuêre. Ac postremò ne incogniti essent, tunc visi sunt, cùm de solitudine terrena ad celebritatem cœlestem transferendi erant, Domino nobis prospiciente, vt eorum exemplo ad virtutes capessendas, viamque perfectionis confidenter aggrediendam, magis accenderemur. *Metaphrast. & in vitis PP.* *Paulus primus Eremita. Honofrius Eremita.*

QVIS autem perfectionem vitæ professus in ædibus Magnatum securè versari poterit, si seraphicus Franciscus eam ob causam diuino permissu dæmonum verbera passus sit? Apud Leonem sanctæ Crucis Cardinalem dies aliquot moratur, pœnam sustinuit, & culpam agnouit, illicoque discessit, atque ad Monasterium rediens, rem quæ sibi contigerat, vt cæteri cauerent, indicauit. Ouis quippe quæ de ouili egreditur, lupi morsibus patet. *Bonau. cap. 6.* *Francisc.*

SED profectò sicuti secularium & potentium consortium ijs, qui seculo renuntiarunt, fugiendum est; ita omnibus Sanctorum quærenda familiaritas, quos vel vidisse incitamentum virtutis est. Hilarion visendi Antonij cupiditate ardens eremum adijt, ac statim vt illum vidit, habitum mutauit, Religionis propositum suscepit, duobus ferè mensibus apud eum mansit, cõtemplans ordinem vitæ eius, morumque grauitatem, quàm creber in oratione, *Anton. Hilar.*

Digitized by Google

quàm humilis suscipiendis fratribus, seuerus in corripiendis, alacer in exhortandis: & vt continentiam cibique eius asperitatem nulla vnquam infirmitas frangeret. His imbutus exemplis in solitudinem secessit, tantaque præstitit sanctitate, vt vbique latebras quæritans, nusquam latêre potuerit, miraculis eum semper prodentibus, vsque adeò quidem adisse aliquando Antonium, & cum Antonio fuisse inuit. Hoc ita vsu venire & Propheta testatur, dicens: Cum sancto sanctus eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. *Hieronym. in vita Hilar. cap. 1.*

Psal. 17.

Bernardus & soror eius. Fœminæ.

SIC sanè & Bernardi Abbatis soror, (vt etiam & hoc loco de fœminis aliquid dicamus) dum fratrem visitat, mundum contempsit. Ornata multo cum fastu ad monasterium venerat, aditu interdicta est. Causa cur repelleretur cognita, lugens pro foribus stetit. Et peccaui, inquit, sed pro peccatoribus Christus mortuus est: Si delinquentem despicis, ne despicias corrigi volentem. Admissa audiuit quantæ vanitatis esset ille ornatus, quo caro mox in terram cessura, & in putredinem resoluenda, comitur decoraturque. Tunc domum rediens, impetrata à viro cui tradita erat coniugij solutione, Religioni sese addixit. Ac tanto deinde Deo seruire cœpit humiliùs, quanto ambitiosiùs antè seruierat mundo. Magnum profectò fuit, virentis adhuc ætatis & liberalis formæ fœminæ tam citò contempsisse vestem sericam, inaures, monilia, armillas, mytras, vittas, reticula, crepitulum, discerniculum, speculum, strophea, anulos, gemmas, margaritas, vniones, aureaque segmenta, & cum vnguentis, labaciariscos, multaque alia muliebris insaniæ fomenta. Sed longè maius fuit, iuuenem reliquisse maritum, nuptialisque thori illecebras, & omnem carnis lasciuiam sepoluisse. Cuncta hæc fecit illa, postquam locuta est cum fratre. Vis etenim inesse solet confabulationi Sanctorum, quæ interdum (quamuis dura) peccatorum corda frangit, macerat, emollit, ac prorsus à vanitatibus resipiscere cogit. *In vita Bern. lib. 1. cap. 7.*

Scripturarum sententia.

CONFIRMEMVS nunc diuinarum Scripturarum autoritate hoc quod exemplis monstrauimus.

CAVEN-

Digitized by Google

CAVENDVM est ab ijs qui linguis suis dolosè agunt, & venenum aspidum sub labijs eorum. Tales enim auersans Propheta ac repellens clamat: Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. *Maligni. Psal. 118.*

NEC cum fœminis conuersandum est, cùm scriptum sit: In medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Et alibi dicitur: Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circunspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Et rursum: Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum. *Fœmine. Eccli. 42. Eccli. 9.*

SED neque illorum consuetudine vtendum est, qui malignis sugillationibus lacerant famam aliorum. Antistes enim sapientiæ Salomon in Prouerbijs ait: Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te. *Detractores. Prou. 4.*

ILLI quoque nobis valdè declinandi sunt, quorum ad iram procliue ingenium, quique leuissimis de causis excandescere ac ringi solent. Idem quippe Salomon: Noli, inquit, amicus esse homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. *Iracundi. Prou. 22.*

NEQVE cum superbis esse communicandum, quia dicitur: Qui communicauerit superbo, induet superbiam. *Superbi. Eccli. 13.*

NEQVE cum rationis impote ac deliro: Ait enim Scriptura: Cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato ne abieris. *Stulti. Eccli. 22.*

NEQVE cum ijs qui semper iocis cachinnisque indulgent, scurrilique leuitate iugiter delectantur. Quando quidem Ieremias Propheta gloriatur, dicens: Non sedi cum concilio ludentium. Et Salomon ipse dicit: Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quia frustra deciperis. Et iterum: Cor, inquit sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia. *Iocosi. Ierem. 15. Eccle. 2. Ibidem.*

AB infidelium præterea consortio nos amoliri oportet, qui ad Ecclesiam conuerti neglexerint, Apostolo dicente: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci *Infideles.*

Digitized by Google

ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis consensus Templo Dei cum
Matt.10. idolis? Et Dominus in Euangelio: In viam Gentium, inquit, ne abieritis.

Hæretici. EADEM quidem ratione neque ijs, qui hæresi aliqua deprauati sunt, familiariter vtendum erit. Nam hoc quoque Paulus Apostolus admonet, & hortatur, diceng:
2. Thess.3 Subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem quam acceperunt à nobis.
Titum 3. Et ad Titum ait: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita. Ioannes quoque Apostolus: Si quis venit ad vos, inquit, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis: qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.

In malitia obstinati. POSTREMO ab omnium illorum conuersatione secedendum est, qui vitijs assueti pertinaciter obdurant, corrigique & emendari omnino nolunt. Præceptum quippe
Matth.18. Domini est: Qui neque Ecclesiam audire voluerit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et ij quidem, sunt qui nihil præ se, neque Christiani præter nomen, neque hominis præter figuram gerunt. Cum quibus vna accumbere
1. Cor.5. Paulus vetat, dicens: Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumite. De ijs & in Prouerbijs dicitur: Ne emulèris viros
Prou. 24. malos, nec desideres esse cum eis, quia rapinas meditatur
Matt.9. mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. Hi sunt membra illa quæ scandalizant, & idcirco abscindi proijciqúe iubentur, vt potiùs sine illis vitam ingrediamur æternam, quàm simul cum illis mittamur in gehennam
Psalm.6. ignis inextinguibilis. Discedite igitur à nobis omnes qui
1.Cor.5. operamini iniquitatem. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Nihil tam perniciosum est, quàm societas hominum perditorum. His itaque cautè sapienterque repudiatis, ad illos conuerti, illis inhærere, ab illorum latere nunquam (si fieri potest) discedere nos decet, quorum
Eccli. 37. vox, gestus, incessus, habitus, norma virtutum est. Cum vi-

so sa-

Digitized by Google

ro sancto assiduus esto, quemcunque cognoueris obseruantem timorem Dei. Quia scilicet nihil æquè proficit ad bene beateque viuendum, ac optimi cuiusque accessibus identidem copulari.

De Vestitu cultuque corporis. CAP. VIII.

REIECTIS iam tandem reclamatisque malorum hominum consortijs, postquam collegio nos intulimus bonorum, vti dignè cum illis versari possimus; videamus quo indumentorum genere, qualive corporis cultu vsi simus, vt eodem & ipsi vtamur, ne quando cum rubore audiamus: Amice, quomodò huc intrasti non habens vestem nuptialem? Sed profectò qui spiritalibus virtutum indumentis animam suam tegere & ornare student, non opus habent corporis indumentis, nisi quantum naturæ necessitas requirit. Adam & Eua in Paradiso nudi erant. Tunc illis parandæ vestis cura irrepsit, cùm propter mandati transgressionem inde eiecti, terram colere, hoc est, terrenis occupari negotijs cœperunt. Sed ne tunc quidem vsque adeò conditionis humanæ obliti supra, vt carnem iam morti obnoxiam luxuriosè vestiendam putarēt; consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, tunicis denique pelliceis contenti vixerunt. *Genes. 3.* *Matt. 22.* *Adam & Eua.*

IOANNES Baptista, quo non surrexit maior inter natos mulierum, de pilis camelorum vestem contexam, & pelliceam zonam circa lumbos habuisse dicitur. Et de illo adturbam Dominus: Quid existis, ait, in desertum videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Aspera vtique vestis & cilicina, continentioris vitæ indicium est, mollis & delicata, lasciuioris. Et vt habitacula quoque de moribus hominum nonnihil attestari cognoscas, desertum prælatum est aulis regum. In his namque voluptatis mundanæ mancipia versari solent, in illo Christi serui. *Matth. 11.* *Ioannes Baptista.* *Matth. 11.*

APOSTOLIS in Euangelio iussum legimus, ne solliciti essent, in perquirendis quibus operirentur, sed confiderent in eo qui lilia, id est, momentaneam creaturam tam eximio vestit candore, multo magis vestiturū ipsos, quos ad ima-

Digitized by Google

ad imaginem suam rationis capaces æternæque vitæ destinatos condiderit: Quærite, inquit, primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. *Matth. 6.*

VERVNTAMEN quia modicum quid terrenæ opis adiumentique sufficere debet ei, cui multa reposita sunt in regno cælorum, ijsdem iussum est, ne duas tunicas habeant; non vt simplici tunica contenti sint, si frigoris intemperies non patitur, sed ne metu futurorum aliam induant, aliam reseruent. Superflui itaque amictus solicitudo reprimitur, non necessarij cura.

IN calceatu quoque sandalijs tantùm vsos constat, quæ in Actorum libro alio nomine caligæ appellantur. Quod sanè calceamenti genus non operit pedem, sed sicut expositores dicunt, suffulcit. Igitur ne calcearium saltem paulo cupidiùs nobis expetendum duceremus, exemplo ostenderunt, satis esse, si ea pars pedis tecta sit, quæ terram terit, nuda relicta, quæ cælum spectat. Rectè enim & religiosè incedentem cælo patêre non terræ decet, Deo non hominibus. *Actor. 12.*

HINC ipsi Apostolorũ Principi Petro nihil amplius tegumenti fuisse creditur, præter tunicam & pallium, nihil aliud calceamenti præter caligas. Illud in Clementis libro relatum dicunt, hoc in Apostolicis Actis legimus, dicente ad eum Angelo: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Rideant hanc tenuitatẽ, qui ignorant, Ecclesiam ab ipso fundatam, olim in paupertate gloriantem, postquam cumulari diuitijs cœperit, virtutibus decreuisse. Nemo diuitum nunc ægrotos verbo sanat: tunc autem seminudi Pontifices etiam mortuos reuiuiscere fecerunt. *Clem. in recogn.* *Petrus Apostol.* *Actor. 12.*

BARTHOLOMEVM quoque Apostolum collobio albo, pallioloque purpureo & sandalijs vsum, memoriæ proditum est, sed hoc miraculi adijcitur, quòd quinque & viginti annos vestimenta eius, nec sordes vllas, nec vetustatem contraxerint, nec sandalia subtrita sint. Veruntamen hunc etiam communis nuditas piscatoribus parèm fecerat, nisi purpureus color regiæ stirpis insigne fuisset: sed hic ideo reseruatus est, vt indicio foret, quanta ille reliquerit, vt Christum sequeretur. *Abdias.* *Bartholom.*

IACO.

Digitized by Google

IACOBVS Iustus, frater Domini ob formæ similitudinem appellatus, & vt Egesippus ait, ab vtero matris suæ sanctus, non laneum sed lineũ habuit amiculum: ad hæc, quod ad corporis cultum pertinet, nunquam attonsus est, nec oleo vnctus, nec balneo vsus. Sic indutus, sic obsitus, etiam apud Iudæos in tanta veneratione fuit, vt soli permissum sit Sancta Sanctorum intrare, & Deo laudis sacrificium pro populo offerre. *Egesip. lib. 5. Euseb. Histor. Eccl. lib. 2. cap. 23.* *Iacobus Apostol.*

IOANNEM etiam Apostolum sola syndone amictum Ierosolymis aliquando incessisse, ex Euangelio constat, quoniam dum à Iudæis apprehenderetur, ea relicta nudus effugisse dicitur. Nulli ergo nudum Christum sequamur, ne ab aduersarijs comprehẽdamur. *Beda in 14. Marc.* *Ioannes Apostol.*

AVRELIVS Augustinus Episcopus, veste non magis compta magisve ambitiosa, quàm illi quibus præerat, vti voluit. Si quis excultiorem sibi dono offerret, acceptam venum iubebat dari, vt pecuniam inde exactam cum alijs communicaret, quandoquidem vestis ipsa communis esse non posset. Itaque Clericis suis dignitate præstitit; habitu atque vestitu par fuit. *Sermone de vita Cleric.* *Augustin. Episcopus*

BERNARDVM Abbatem veste quidem satis vili, sed minimè squalenti vsum memoriæ proditum est. Ac etiam dicere solitum, tunicam sordibus obsoletam, testem desidiæ atque socordiæ esse: Et eius immunditiem interdum ad hypocrisim spectare, qua inanis gloria, dum videatur contemni, quæritur. Cũ ergo etiã cilicio sub veste latenti carnem attereret, vbi id rescitum est, & ipsum deposuit. Nec vnquam deinde asperius indumentum, quàm cæteri fratres ferre voluit, ne fortè illis præstare sanctitate videretur, quorum se ipse minimum reputaret. *In vita Bernard.* *Bernard. Abbas.*

STEPHANO Abbati Grandimontensis Ordinis autori, qui in Moreto Aquitaniæ monte vitam solitariam duxit, tametsi rudis modicusque amictus fuerit, hoc tamen admirationem auget, quòd sub eodem & æstiuos calores, & brumæ frigus pertulerit, nunquam quicquam panni sibi vel addens vel demens. Vtramque profectò diuersorũ *Stephan. Abbas.*

temporum molestiam leuare posset solertia, nisi vtramque tolerare mallet in Deum charitas.

APOLLONIVS apud Thebaidam in finibus Hermopolis, collobio stuppeo, quod lebithem vocabant, operiebatur, neque tamen vllum capitium habuit, sed lineo linteolo collum caputque obuoluebat. Et hoc magis mirandum, quòd cùm quadraginta annos in deserto manẽs peregerit, eius tegmina neque vsu consumpta neque vetustate labefacta ferantur: vt inde facilè appareat quanti apud Deum sit humilis habitus, & absque vlla simulatione contemptus. *In vitis PP.*

PAVLVS primus Eremita, cum nihil haberet, nisi quod inculta solitudo suppeditare poterat, tunica de palmæ foliis contexta nuditatem texit. Et qua ille veste in necessitate vsus est, hanc ipsam Antonius, cùm defunctum sepelisset, habuit in delitijs, non nisi festis solennibus eam induens, quam etiam diuus Hieronymus plurimi faciẽs: Si mihi, inquit, Dominus optionem daret, multò magis eligerẽ tunicam Pauli cum meritis eius, quàm regum purpurã, cum regnis suis *Hier. de vita Pauli.*

PALMEIS quidem tegminibus & illi quatuor, in vastissima AEgypti eremo Pafnutio inuenti, Ioannes, Andreas, Thaddæus, & Philippus, amicti erant. Hunc tamen tam syluestrem vestitum haud multò tempore pòst cum veste immortalitatis commutarunt. Tantò nunc feliciùs cœlesti lumine illustrantur, quantò antea peruста solis ardoribus cute contemptiùs squallebant. *In vitis PP.*

SERAPIONEM Abbatem primitus quidem sola tunica simpliciq́ue palliolo contentum, deinde his etiam carere pietas compulit, quippe seipsum despolians pauperes cõtexit. Nec erubuit nudus incedere, dum nuditatem miseratur alienam. *In vitis PP.*

TIMOTHEO quoque in AEgypti solitudine degenti eadem taxat corporis pars non fuisse nuda perhibetur, quam barba comaq́ue nunquam tonsæ contexerant. Et hunc Pafnutius inter bestias incedentem cùm vidisset, syluestre magis quàm humanum animal ratus, expauit: mox cùm loquentem attendisset, agnouit Dei seruum, simulq́ue didicit,

Digitized by Google

dicit, satis indutum esse, qui cum Christo nudus esset. *In vitis PP.*

ONOPHRIVS itidem nudus in vlteriori deserto ab eodem Pafnutio repertus, verenda tantummodò folijs arborum operuerat. Consumptis enim vestibus quæ secũ attulerat, alia deinde, quàm quæ natura dabat, non quæ fuit. Cumque vita functus esset, sanctam animalam eius visibili specie ab angelis in cœlum ferri visam tradunt. Et quisnam nostrum paululum vsu detritos ferre dedignabitur pannos, cùm nudi etiam ab Angelis honorentur. *In vitis PP.* *Onophr. Eremita.*

HILARIONEM Abbatem accepimus, nihil aliud quo corpus suum operiret habuisse, præter saccum ac pelliceũ ependitem rusticumque sagum. Capillum semel in anno Paschæ die totondisse, nunquam lauisse, quod superuacaneum esse diceret, munditias in cilicio quærere, neque tunicam alteram sumpsisse, nisi cum prior penitus descissa esset. *Hier. in vita eius, cap. 3.* *Hilarion. Abbas.*

DIVO quoque Hieronymo saccea tunica erat. Hanc Eusebius discipulus eo defuncto accepit, honorique habuit, tactu eius valetudinarios curans, & ad vitam mortuos reuocans. Cuius, quæso, regum auro gemmisque refulgens, aut cocco purpuraque rubens vestimentum, tantę vnquam virtutis fuit, quantæ Sancti huius saccus iste cilicinus? *Aug. Epist. 106. cap. 2.* *Hieron.*

NEQVE te, Pater Francisce, hoc loco præteribo, cuius tegendo corpori tunica vna, & ea sanè crassi admodum fili impolitæque texturæ, satis fuit, quam pro cingulo præcinxerat funis nodo astrictus, vbi committebatur, non fibula: caput & ceruix cuculla velabantur, pedes prorsus nudi erant, nisi fortè ligneis socculis veluti sandalijs, ne terram contingerent, suffulti. Quem morem nunc à professoribus Institutionis tuæ seruari videmus. Multis tunc habitus iste ludibrio erat, nunc per orbem celebratur. Sed quàm tu sapienter cuidam nuditatem hanc tuam hyemis tempore calumnianti, ac petenti, vt guttulam sibi sudoris venderes; eam te Christo non hominibus vẽdere respondisti? O felix ille sic irrisæ nuditatis sudor, quẽ tu soli *Francisc.*

Chri-

Christo dedicans, mercatus es regna cœlorum. *Bonauent. in vita eius.*

Pannonia Elizabeth vidua.

PAVCVLA nunc feminarum exempla proferam, quibus ipsa vestium vtilitas pro ornatu fuit. Elisabeth Pannonum regis filia, & Christi ancilla, quàm poterat abiectiore amictu se velabat. Scissuras alterius interdum coloris panno assuto, quo vilior appareret, resarciebat. Itaque vna de grege mendicantium videbatur, contemnique gaudebat, vt humilitatem conseruaret. Maluit ergo sic pannosa sicque despecta in Xenodochio pauperculis morbo affectis ministrare, quàm in regis patris aula, cũ amisso marito ab eo in Pannoniam accerseretur, sericis auroque renitere, atque omnibus veneration esse. Christo enim placere volebat, non mundo. *Conrad. Concionat. Elizabeth.*

Tora virgo.

TORAM Deo dicatam Virginem in Monasterio Thebaidis memorant, nunquam noua tunica, aut nouo melote, aut nouis calceis vsam, semper alijs sororibus recentia cessisse, & ab ijsdem sibi sumpsisse vetustiora tritioraque, vt quantò cæteras forma præstabat, (erat enim omnium pulcherrima) tantò inconcinniore magisque inepto habitu se deuenustaret. Neque enim ignorabat, animi non corporis decore Sponsam Christi excellere debere, vt cœlesti thalamo digna sit. *In vitis PP.*

Maria Aegyptiaca.

MARIA AEgyptiaca turpis aliquando voluptatis quæstui dedita, omni ornamentorũ genere sese decorabat, nec à pigmentis fucoque abstinens, vt placeret viris. At postquam conuersa Christo seruire cœpit, tantæ illi vestitus nullus curæ fuit, vt eo consumpto, quem secum ad eremũ tulerat, nuda in solitudine viueret. Et quia sine tecto degebat, æstus pluuiasque corpore nulla in parte velato excipiens, nigritiem quandam cutis situmque contraxerat, sed iam non paucis miraculis clarebat. Vide ergo, quantũ interfuit inter ornatum illum, & nuditatem istã. Ille impudicitiæ fomes fuerat, iste meritum præbuit mirandæ sãctitatis. *In vitis PP.*

1. Tim. 2.

QVID est autem, quòd Paulus Apostolus ad Timotheũ scribens, velle se dicat, vt mulieres orent in habitu ornato? Nunquid in sericis aut purpura eas orare præcipit? Minimè

nimè quidem. Quippe qui habitum istum continuò temperauit, subiungens: cum verecundia & sobrietate ornantes se: vt scilicet verecundia luxum declinet, & modum seruet sobrietas. Non in tortis crinibus, inquit, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Et si mulier citra modestiam ornare se & componere prohibetur, quæ coniugio excusare posset ornatum, ne incomptior displiceat viro: quanto minus ornari debet Virgo, quæ sese totã dedicauit soli illi, de quo dictum est: Erit iustitia cingulũ lumborum eius, & fides cinctorium eius. Et in Psalmo: Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute. Qualia ergo Sponsi ornamenta, talia sint & Sponsæ: iustitia, fides, fortitudo, cæteræque virtutes: non aurum, non gemmæ, non sericum, non purpura. Nam & Petrus Apostolus: Sit, inquit, non extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumentum vestimentorum, quæ cultus, sed qui abscõditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Alium ergo quàm spiritalem cultum atque ornatum quærentibus, quid Dominus per Prophetam minetur, operæpretium est audire: Dixit Dominus Deus, inquit: Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & perisceli-das, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & anulos, & gemmas in fronte pendentes, & muratoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & syndones, & vittas, & theristra; & erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium. Per alium quoque Propheram dicitur: Cùm vestieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris, cõtempserunt te amatores tui, animam tuam quærent. Et

Isaiæ 11.
Isal. 92
1. Pet. 3.
Isaiæ 3.
Ierem. 4

vt bre-

Digitized by Google

vt breuiter discamus, quantum obsit elegans pretiosumque vestimentum, aut quantum prosit humile & despectũ:
Luca 16. Diues ille, qui purpura & bysso induebatur, sepultus est in inferno: Mendicus autem Lazarus, qui nihil penè quo indueretur habebat, ab Angelis sublatus, & in Abrahæ sinu collocatus. Tantaque repentè facta est rerum status que commutatio, vt & temporalibus delicijs æterna succederent supplicia, & temporali miseriæ æterna beatitudo.

De operibus manu exercendis.
CAP. IX.

HACTENVS de vestitu cultuque corporis nostri: nunc ne idẽ corpus inertiæ se dedat, otioque corrumpatur, de exercitijs eius ac labore dicendum videtur. Sequenda est quidem illa Hieronymi sententia, maximeque obseruanda: Fac aliquid operis semper, vt te semper diabolus inueniat occupatum.

Apostoli. Actor. 18. Paulus Apostol. NON fuit satis Apostolis, tantùm spiritalia curare negotia, prædicare, orare, legere: si quid supererat temporis, manuum labori impendebant. Lucas Euangelista in Actis Apostolorum testatur, Paulum Apostolum, cùm Corinthi apud Aquilam & Priscillam hospitaretur, Sabbatis quidẽ in Synagoga disputare solitum, reliquis verò diebus artẽ schenofactoriam exercuisse. *Actor. 18.*

1. Cor. 4. 2. Thess. 3 ET ipsemet in Epistola ad Corinthios ab Epheso scribens, ait: Laboramus operantes manibus nostris. In Epistola quoque ab Athenis ad Thessalonicenses missa: Non inquieti, inquit, fuimus inter vos, neque gratis panem mãducauimus ab aliquo: sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus, non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitãdum nos. Nam cùm essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Rursumque in Actis, ad maiores natu Ecclesiæ quæ Ephesi erat, loquens, ait: Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erat, & ijs qui mecum sunt, ministra-

Act. 20.

Digitized by Google

nistrauerunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quàm accipere. His verbis monstrauit, etiam Episcopos huiusmodi labori vacare quandoque debere, vt habeant vnde alijs largiantur, ne dum vnde ipsi viuant. Pauperculis olim Episcopis hoc iure præceptum fuisse, dicet aliquis: nunc autem opulentis, vt quid necesse est laborare? At ijs etiam, sed alia tamen laborandi causa erit, ne scilicet in multa (vt fit) rerum copia lasciuire illos, & voluptatibus diffluere, otium cogat. In desiderijs enim est (vt Salomon ait) omnis otiosus. *Episcopi. Notan.*

AB Haymone quoque Cantuariensi Archidiacono de Paulo traditum est, quòd à gallicinio vsque ad horã quintam operi manuum, & inde vsque ad horam vespertinam faciendis ad populum sermonibus vacare solitus sit: residuum verò temporis impertierit cibo, somno, precationibus: ita nullam horam illi præteriisse immunem, expertemque laboris, nisi quam edendi dormiendiq; necessitas interpellarit. Sed in his omnibus ita eum se gessisse credimus, vt mentem nunquam non Deo intentam habuerit. Illud quoq; alijs præceperat, prior ipse impleuerit: Sine intermissione orate. Sic ergo nobis opus aliquod faciendũ erit, vtdũ man' artificio occupatur, anim' ipse interim oret, & in cœlestiũ meditatione ingiter versetur. *Haymo in 2. Cor. 11* *Idem.*

PETRVM, & Thomam, & Iacobum, & Ioannem, post susceptum etiam Apostolatus officium, piscatione se exercuisse, quinimo iubente Domino laxasse rete, in Euangelio leginius. Quis tale opus reprehendere audeat, si Dominus iubendo approbauit? Iam de eleemosynis eorum, quos docebant, viuere licebat, iam dignus erat operarius mercede sua: & tamen crebrius ad tendenda retia, quàm ad accipienda munera manum porrigebant, vt nõ auaritiæ sed honesti laboris exemplo essent. *Ioan. 21.* *Ioan. 21. Apostoli. Petrus. Thomas. Iacobus. Ioannes.*

LVCAM etiam Euangelistam arte picturæ animum spiritalibus negotijs fatigatum remittere consuesse accepimus. Romæ duæ imagines visuntur, altera Christi in Sãcta sanctorum, altera beatæ Mariæ virginis in Ecclesia quæ San- *Lucas Euangelist.*

Digitized by Google

Sanctæ Mariæ maioris dicitur: eas ab ipso pictas ferunt, similitudinem exprimentes eorum quorum nomini dicatæ sunt. Cõstantinopoli etiam extare eiusdem Virginis effigiem pictam cõstat, quam ab eodem delineatam ac fabrefactam fama celebrat. Hoc exercitij genere si quis vti voluerit, illud tantummodo pingendum fingẽdumve sibi meminerit, quod ad virtutem capessendam prouocet spectatores, non quod ad vitia inani oblectatione possit illicere. Hoc enim opus diaboli est, illud Christiani. *Niceph. lib. 1. cap. 34. & lib. 2. cap. 34. & alij.*

Antonius Abbas.

ANTONIVS Abbas hominum ad se confluentium frequentia inquietatus, relicto Monasterio vlteriorẽ eremũ petijt, ac ne fratres victum ipsi deferendo vexarentur (tridui enim itinere ab eis distabat) terram coluit, sementemque fecit, & oluscula plantauit, vt etiam ijs, qui inuisendi gratia eò accessissent, ad conuescendum satis esset. Si quid insuper otij suppeteret, sportulas de palmarum folijs texebat, vt suo potiùs labore, quàm alieno impendio, sibi necessaria in solitudine compararet. *Athanasius in vita Anthonij.*

Ioannes Abbas.

EOS autem qui nihil agendo, nihil sibi defuturum sperant, præsumptione falli, Ioannis Abbatis monstrabimus exemplo. Huic in Scythiotica eremo ætatem agenti incidit in animo, vt diuinæ cõtemplationi absque aliqua corporis operatione cibive cura, iam quasi Angelus Dei vacaret. Itaque cellam deserens, per vastam solitudinem euagari cœpit, sed die tandem septimo fame vrgente, cùm iam vesper esset, redijt, & cùm cellæ fores occlusas offendisset, contubernalem suum, quem ibi reliquerat, vt sibi aperiret inuocauit, se Ioannem esse contestans. At ille: Nequaquam, inquit, nam Ioannes in Angelum mutatus est, nec cibo illi opus est, nec cum hominibus commorari necessarium. Tali exprobatione taxatum dimisit, passus eum nocte illa sub diuo ante ianuam iacêre. Manè verò cõcesso aditu, cùm longa inedia lassum refeciisset, fraterna charitate monuit, debere se hominem meminisse, materialibus adhuc escis nutriendum, vt sufficere possit actioni spirituali: proinde laborem Monachis communem ne detrectaret.

Digitized by Google

ctaret. Eo enim non solùm corpori opportuna facilè parari, sed etiam animum ipsum recreari solere, vt semper quasi nouus ad agendas Deo gratias, laudesque persoluēdas, redire cum alacritate festinet. Correctus igitur Ioannes, diuina deinceps negotia fabrilis operis vicissitudine impensiùs est executus, & quantum sua præsumptione lapsus fuerat, tantùm consilio alieno vsus profecit. *In vitis PP. Iacob. de Vorag.*

IOANNES alius Abbas, qui in Thebaidis eremo vitam duxit, singulis dominicis diebus pane ab Angelo delato se sustentasse perhibetur: cæteris verò diebus fiscellas texēdo victum sibi parauisse. Quòd si & alijs diebus, quemadmodum Dominico, feriandum esset: quotidiè Angelus cibum illi attulisset. Quo tempore non attulit, id minimo otio conterendum esse iudicauit. *In vitis PP.* *Ioannes Abbas.*

SERAPIONIS Abbatis monachos ita institutos fuisse accepimus, vt manuū mercede sibi in diē alimenta cōquirerent. Eosdem, cùm in agris tempestiua messis esset, operam locare, & quicquid stipis inde exegissent, totum indigentibus (hisque maximè qui vinculis publicis arctati erant) erogare atque distribuere cōsueuisse. Sic illi ne minimam quidem partem desidiæ dabant. Prncipuæque largiendo, cum quicquam sibi superesset, pietatē excolebant, sed nec minus humilitatem, cum seruiles operas non dedignarentur. Vno igitur labore, trium virtutum fructum colligebant, solertiæ, pietatis, humilitatis. *Pallad Hist. 76.* *Serapion Monach.*

MANVVM etiam labore victitasse fertur Hilarius Abbas in monte Emiliæ commemoratus, atque ibidem suis impensis Ecclesiam constructisse. Cùm ergo corpus exercendo animæ integritatem conseruarit, & tandem cœlestem beatitudinem consecutus sit, apparet verissimum esse illud in Ecclesiastico scriptum: Vita sibi sufficientis operarij conculcabitur, & in ea inuenies thesaurū. *Hist. Trip. lib. 6. cap. 12.* *Hilarius Abbas.* *Eccli. 40.*

VANDO Abbas in finibus Galliæ Monasterij Fontanellæ, quod ipse ædificauerat, cum Guidone nepote Deo seruiens, postquam egere cœpisset, à Batylda regina diuinitus monita plaustrum cibarijs onustū accepit. Sed deinceps *Vando Abbas.*

Digitized by Google

inceps de operibus manuum victui suo necessaria suppeditauit. Quòd si is, qui dum penuria premeretur, Dei erga se benignitatem expertus fuerat, manualem laborem non detrectauit, ne tentare videretur benefactorem suum in eo exigendo, quod ipse sibi præstare posset: vis tu necessitati tuæ non succurrere laborando, cùm possis? quasi dignus qui ab Angelis, non ab hominibus pascaris? At ob hoc ipsum te indignum statuis, quòd præsumptione vtaris, teque marcescere odio sinas.

Venerius Abbas.

QVOD quidem cauens Venerius Abbas, dum solitarius in Palmaria insula, qui à continenti Lunensis oppidi octo millia passuum abest, vitam durè admodum aspereque ageret, diu herbis pomisque syluestribus sustentatus, tandē ad agriculturam se accinxit, tanto Domini fauore, vt vnū sarculum hordeique modicum habēs, die vno humū prosciderit, semen sparserit, messem secuerit. Quo miraculo & hominis necessitati consultum est, & palàm factum, quā istud exercitij genus Deo esset gratum. Nisi enim illi perplacuisset, nunquam tam præcoqua fruge, tam repentino prouentu laborantis curam compensasset. Hinc illud est in Ecclesiastico dictum: Non oderis laboriosa opera, & rusticationem ab Altissimo creatam.

Eccli. 7.

Stephan⁹ otiosus.

STEPHANVS Anachoreta in Mareotide regione, sanctitate vitæ & miraculis clarus, quamuis herniæ morbo (quem Græci Hydrocelam appellant) laboraret, non tamē intermittebat, quin certa diei hora de palmarum foliis funiculos intorqueret, maiorem morbum existimans otiositatem. *Hist. Trip lib. 8 cap. 1.*

Daniel. Abbas.

DANIELI AEgyptio Abbati & Presbytero in Scythiotico Monasterio degenti sicuti facere aliquid operis post spirituales labores, & huiusmodi ea quæ confecerat, ad vicum aliquem deferendo venditare rubori non fuit. Pretium omne pauperibus dilargiebatur, eleemosynas de proprijs laboribus impendens, comperta ratione, qua & minimè otiosus & maximè pius esset: vtque dignus appareret, cuius exemplo cæteri viuerent, miraculis nobilitatus est. *In vitis PP.*

ion. bbas.

NVNQVAM autem magis patet vanis cogitationibus mens

Digitized by Google

mens nostra, quàm cùm otio corpus ipsum indulget. Et hoc quidem Antonij exẽplo probare possimus. Qui quõdam solitudinis tædio affectus, cùm dubius animi æstuaret, clamare cœpit: Saluari cupio, Domine, & ecce cogitationes meæ mihi aduersantur. Mox vbi de cella prodijt, conspexit hominem monachali habitu incincturn, nunc calathos texentem, nunc ad orandum procumbentem. Et dum rẽ tacitus miraretur, ab eodem tandem audiuit: Sic & tu age, Antoni, sic enim agendo saluaberis. Cumque id loquentem statim non comparuisse animaduerteret, Angelũ Dei fuisse intellexit. Ac deinde operum orationumq; vices monitu eius diligenter seruans, ad tantam perfectionẽ conscendit, vt nemo illis temporibus, vel Abbatum, vel Monachorum, Anachoretarumque maiori admirationi fuerit. *Athanas. in vit. Anton.*

ARSENIVM Abbatem, dum opus faceret, lachrymas effundere solitum, Scriptores tradunt. Quę res indicio est, longè aliud illum cogitasse, quàm quod manibus fabricaret. Manus quidem labori intentæ erant, sed mens diuinis meditationibus assueta ad Deum tollebatur, & eius desiderio accensa à fletu temperare non poterat. O cælestem virum, qui etiam inter laborandum futuræ beatitudinis dulcedinem degustabat! *Metaphrast.* *Arsenius.*

PHYLORONIVS Presbyter, dum in quodam Galliciæ monte multa se abstinentia fatigaret, non minùs manuum operatione exercebatur. Inde illi suppetere potuerunt, longinquæ peregrinationis impensæ. Romam Ierosolymamque itineranti. Et quoniam nunquam neque ieiunij angustijs, neque manuum, neque pedum inquietudine defatigatus est, sempiternæ quietis indicibili bono perfrui meruit, Martyrum coronam adeptus, non quòd Martyriũ passus esset, sed quòd pares martyrio pro Christo susceperit labores. *Phyloron. Presbyter.*

DE Archebio Cassianus refert, quòd dum adhuc in cœnobio cum fratribus versaretur, laborem, quo ibi omnes suis horis exercebantur, sibi duplicando pro matre creditori satisfecerit, cùm ipsa ob inopiam soluendo non esset. At neq; patrẽ neque matrem agnouerat, dum religionem *Archeb. Monachi.*

Digitized by Google

profiteretur: tunc verò matrem se habere intellexit, cum illam egestate liteque coarctari vidit, vt ei scilicet, qui parentes honorare iussit obediret, cuius amore & ipsam reliquerat & patrem. Archebius igitur præceptum Domini seruauit, matri oppressæ subueniēdo: otium locum nō dedit, laborem super dolorem cumulando: Religionis cultū non intermisit, in Monasterio permanendo: & charitatis opus auxit, miserendo calamitati alienæ. *Cass. de gastri. cap.* 38.

Idem. DEINDE solitariorum institutum secutus, cùm in insula Nili vitam duceret, Cassiano eò aduenienti, atque ibidem inter Anachoretas residere cupienti, cellam cum suppellectili dono obtulit, se inde transmigrare velle dicens: Post paucos autem dies reuersus, alteram multo labore sibi construxit. Sed mox & illam simul cum instrumento pari simulatione alijs eo appulsis concessit, & iam tertiam (vt ipse Cassianus tradit) sibi ponere moliebatur, hanc etiam daturus si habitatorem inuenisset. Tali itaque liberalitate ad seruitium Dei aduenas inuitabat, tali commento ne recusarent circumueniebat, tali denique labore pernicioſam otij mollitiem excutere atque abigere lætus alacerque solebat. Non sensit laboris tædium, dum opus exercet pietatis. *Ibid. cap.* 37.

Pacomij Abbatis Monachi. CVM Pacomio Abbate in quodam Thebaidis monasterio mille quingenti Monachi erant, omnes manibus sibi victum comparantes, ita vt etiam extra monasterium pauperibus alimoniæ subsidia mitterent. Plurima inter eos artificum opera, & præcipuè quidem exercendi corporis gratia, cudebantur, vt edomita assiduis fatigationibus caro disceret seruire spiritui. Manus enim fortium (vt Salomon inquit) dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet. *In vitis PP.* *Pro. 12.*

Paulus abbas. SIQVIDEM & Paulus Abbas, in AEgypti eremo (cui Porphyrio nomen est) considens, cum sibi ad victum hortulus, quem ipse fecerat, & palmarum ferax regio satis essent: quotidie tamen aliquot horis palmæ texturæ operā impendebat. Ea verò, quæ texuerat, annis singulis concremabat. Septima enim & eo amplius mansione ab hominū habita-

Digitized by Google

habitaculis remoto, neque dare illa cuiquam neque vendere promptum erat. Quotidianus igitur labor non nisi fugiendi otij causa insumebatur: Quòd si desidiæ torpori-que se dedisset, nec in deserto solus permanere, nec ad perfectionem sanctitudinis peruenire potuisset. Multam enim malitiam docuit otiositas. *Cassianus lib. 10. cap. 24.* *Eccli. 33.*

DIVVS Hieronymus ad Virgines scribens: Hoc vnum, inquit, apud omnes obseruationis præcipuum est, & celebre per AEgyptum, vt neminem nisi obedientem & humilem ad omnes labores perficiendos & opera suscipiant. Quatenus domita caro, ex grauedine, cogitationibus vanis & voluptatibus nõ vacet ex otio. Teneatis firmissimè, quòd omnis concupiscentiæ & immunditiæ atque peccati mater est otiositas. *Hieron. ad Eustochium.* *Hieron. de monachis AEgyp.*

IDCIRCO Simeoni Monacho ex Italiæ partibus, in illam Nili insulam (cuius paulo antè mentionem fecimus) sese conferenti, cùm nullam artem calleret, præter Latinæ literæ (cuius illic vsus nullus erat) scriptionem, à quodam Seniorum prouisum est ne otiosus esset. Finxit enim pijssimus simulator, habere se fratrem in Italica cohorte militantem, latinis literis instructum, & Simeonem petijt, vt sibi Apostolicum Pauli codicem latinè conscriberet, fratri mittendum, quo ille legendo animi virtutibus proficere posset. Sub tali prætextu & ipsum ad scribendi exercitium excitauit, & quasi mercedis loco cuncta eius victui necessaria obtulit, veritus ne vel propter regi inopiã, vel otij copiam, nouus homo illis in locis diutius perdurare nequiret. Quantæ ergo vtilitatis est, post spiritales actiones aliqua manuum operatio, si per eam in proposito bene beateque viuendi perseueretur? quantæ necessitatis, si fine illa coli habitarique solitudo non possit? *Cassianus lib. 5. cap. 39.* *Simeon Monach.*

APVD Syluanum Abbatem in Scythiotico cœnobio quidam hospitatus, cùm fratres eius multum manibus laborantes vidisset, eam solicitudinem quasi rem superfluã cauillatus: Maria, inquit, optimam partem elegit, sedens secus pedes Domini, & audiens verbum illius. Post hæc cum hora cœnæ ex industria ipsum non vocassent: vbi *Syluanus Abbas.* *Luc. 10.*

Digitized by Google

cœnatum est, miranti ac quærenti cur ita se prætermisissent? Abbas respondit, ratos fuisse, ipsi qui se totum spiritalem profiteretur cibo potuque minimè opus esse. Tunc demum? illo errorem confitente, subiunxit: Scias igitur, Mariam Marthæ ministerio indigere, auxilioque iuuari. *In vit. PP.*

Doroth. Abbas. Ob hoc quidem & Dorotheus in desertis AEgypti Abbas, minimo somno indulgens, noctis quoque partem operi manuum dabat. Tunc nempe sportulas contexêre solitus, interdiu autem lapides conuehere, & cellas ædificare, quas ibi habitare volentibus (vt modò de Archebio diximus) vitro offerebat. Sportulis autem diuenditis, pretiũ omne indigentibus donabat. Itaque semper laborando, semperque laborata alijs largiendo; & otium declinauit, & pietatem coluit. *Hist. Trip. lib. 3. cap. 1.*

Fæminæ. Maria mater Domini. ALTERIVS nunc lexus in hoc exercitationis genere solertiam expediamus. Ferunt ipsam beatam Virginem, (quæ & virgines castitate, & matres partu superauit) dum adhuc in Templo seruiret, à summo mane vsque ad horam tertiam precationes extendisse, à tertia ad nonam lanificio sese occupasse. Inde demum sumpto modico cibo vsq; ad occubitum Solis lectitasse Scripturas, & in earum meditatione pernoctasse. Hac itaque vitæ institutione ad tantam morum sanctitudinem deuenit, vt sola præ omnibus eligi meruerit, quæ & Saluatorem mundi pareret, & post partum Virgo permaneret. Quòd si hæc, quæ sine peccato concepta, omnis prorsus peccati semper expers fuerit, id temporis quod orationi lectioniq́ue supererat, manuum labore sibi transigendum duxit: quomodo te ignauia, otij mollitudine quandoque desidentem securam arbitraris? ô virgo, quam in peccatis genuit mater, quam quotidiè interiùs cogitationes, exterius proni ad vitia sensus impugnant? Crede mihi, non effugit decipulas diaboli, quisquis laborem fugit. *Metaphrast. & alij.*

Euphrax Virgo. HVIVSCE quidem sententiæ non ignara illa Monasterij Thebaidis antistita, quæ Euphraxiæ Deo sacratæ Virgini & adhuc puellæ, præter domesticos, id est, communes cum alijs labores, hoc iniunxit, vt quotidiè magnum lapidum

aceruum de loco ad locum transferret, & translatos rursũ restitueret. Quamuis enim ieiunijs vigilijsque haud parũ illam fatigari cerneret, timebat tamen, ne si quicquã paulo remissius egisset, aliqua residens iuuentli in corpore turpis cogitationis scinti llula incendium excitaret peccati. Eam autem sopiri, vel etiam extingui posse hoc exercitationis additamento sperabat. Neque ipsam spes fefellit, quandò quidem satis constat, Euphraxiam Virginẽ inter sorores virtute atque integritate præstitisse. *In vitis PP.*

HAEC sanè exercendi corporis cura etiam coniugatas honestauit. Lantgrauij Turingæ Principis vxor Elisabeth, & eadem Pannonum regis filia (cuius non semel mentionem fecimus) cùm multis ante viduitem opibus polleret: nequandò per otium luxu diffluueret, ancillarum officia vsurpabat lanã, linũq; carpendo, nendo, texẽdo, suendo, cęteraque id genus opera conficiendo, se plurimum fatigabat. Sic pudicitiam conseruauit, sic humilitatem custodiuit, sic ipsa Euangelicæ perfectionis insignia, quibus post obitum mariti abundè eluxit, comparauit. Etenim ad illã veræ beatitudinis quietem peruenire non potest, nisi per vitæ præsentis frequentes assiduosque labores. *Conradus Conc. Elisabeth.* *Elisabeth regis filia*

AC ne plura huiusce modi exempla enarrando modum excedat oratio, libet in fine capitis huius apponere verba D. Hieronymi ad Demetriadẽ Virginẽ accuratè admodũ eleganterque scribentis: Statue, inquit, quot horis sanctam Scripturam ediscere debeas, quanto tempore legere, non ad laborem, sed ad delectationem & instructionem animæ. Cumque hæc finieris spatia, & frequenter te ad figenda genua solicitudo animæ suscitauerit: habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alueolis fusi vertantur, aliarumque neta, aut in globum collige, aut texenda compone: quæ texta sunt respice, quæ errata reprehende, quæ facienda constitue. Si tantis operum varietatibus fueris occupata, nunquam dies tibi longi erunt, sed quamuis artius tendantur solibus, breues videbuntur, in quibus aliquid *Hieronymus ad Demetr.*

Digitized by Google

quid operis prætermissum non est. Hæc obseruans, & teipsam saluabis & alias, erisque magistra sanctæ conuersationis, multarumque castitatum lucrum tuum facies: Scriptura dicente: In desiderijs est omnis anima otiosi. Nec idcirco tibi ab opere cessandum est, quia Deo propitio nulla re indiges: sed ideo cum omnibus laborandum est, vt per occasionem operis nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet seruitutem. *Hieronymus ad Demet. circa finem.*

De corporis Castigatione per flagella.

CAP. X.

AT quoniam contra lasciuientis carnis petulantiam nec ipsa interdum operum occupatio satis sufficit: alijs insuper castigationibus eam coërcendam esse Sanctorum exempla, quæ modò proponemus, docent.

Paulus Apostol. PAVLVS Apostolus castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, ne fortè cum alijs prædicauerit, ipse reprobus inueniatur. Ad hæc Angelus Satanæ colaphizat eum, ne reuelationum magnitudine extollatur. Et si illi, qui vas electionis erat, in quo Spiritus sanctus habitabat, non fuit satis, peregrinando prædicandoque fatigari, & vbique sæuientibus persecutionis procellis iactari atque concuti, sed ad domandos corporis sensus, aculeosque cupidinum retundendos, verborum quoque ictibus quati affligiq; oportuit: quis tutum se putabit, & non proprij corporis imperio se subditum iri timebit, si in eo castigando non æquè solicitus fuerit? 2. *Cor.* 12.

Cor. 12.

Thomas Archiepisc. THOMAS Cantuariensis Archiepiscopus tunicam & femoralia poplitum tenus cilicina sub vestimentis gestauit. Quippe indignum se qui Ecclesiæ præesset arbitratus est, nisi & membris suis præesse posset. Membra igitur tegminis asperitate contrita sibi subijcere studuit, nequando ipse illi subiectus appetitum illorum sequi cogeretur, non suum. *Sur. Tom. 6.*

Maiorus episcop. MAIORVS quoque in Insula Britanniæ Sarina Episcopus

Digitized by Google

scopus, qui Episcopali dignitati solitudinis præposuit humilitatem, spretis honoribus, eremum penetrans, præter incredibilem cibi potusque abstinentiam, semper cilicio est vsus. Et quia virgo fuerat, virginitati inimicam indumentorum mollitiem declinauit. Qui enim mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. *Matth.11.*

EADEM cilicij gestatio Eadmundum Cantuariensem Archiepiscopum commendat, & hoc plus adijcitur, quòd Quadragesimæ diebus pro cilicio loricam plumbo contextam induere solitus sit. Itaque non duritia solùm cilicini tegminis, verùm etiam plumbei grauitate carnis concupiscentiam frenans, & ipse virginitatem perpetuò incorruptam seruauit. *Abbo Floriac. & alij, Sur. Tom. 6.* *Eadmund. Archiep.*

MEDERICI verò Eduensis Abbatis cilicium alijs etiam aduersus immundas tentationis remedio fuit. Monachus quidam libidinosæ cogitationis iam stimulos ferre non valens, cùm illud induisset, nequam spiritu confestim recedente, in castitatis puritate perseuerauit. *Mederic. Abbas.*

QVINTO Ludouico Galliarum regi multo plus contulit interius cilicium, quàm purpura exterior. Hæc terreni regni insigne erat, illud cælestis aditum præbuit. Ad cilicij quippe squalorem respiciens Deus, non ad purpuræ luxuriam, Christianissimo regi & temporale regnum tutatus est, & æternum indulsit. *Bonifac. 8. Sur. Tom. 4.* *Ludouicus rex.*

MACHARIVS Alexandrinus Abbas, cùm corporis affectibus paulò improbiùs vrgeri se videret, saccum sabulo repletum, vix homini portabile onus, per eremum incedens humeris baiulauit. Theosebio fortè obuiam factus, & quid ageret interrogatus: quòd vexatorem suum vexaret, respondit. Nisi ergo corpus nostrum fatigatione aliqua agitauerimus, periclitabitur animæ fortitudo. Quandoquidem naturali quodam instinctu duo ista sibi inuicem aduersantur, & alterius vis alterius debilitate constat. *Pallad Lauf. Hist. 20.* *Machar. Abbas.*

DIVVS Hieronymus, in eo libello quem ad Virgines Deo sacratas conscripsit, vidisse se in eremo affirmat vnum ex Monachis, qui à seniore iussus prægrandem lapidem iam octo annos bis in die per tria ferè milliaria ge- *Hieronymus de quodam Monacho*

Digitized by Google

stauerat in scapulis, ita alacri animo, vt intermedio tempore semper noua sibi iniungi opera vltro Patrem rogaret. Haud irritus hic videbitur labor, si considerabimus quanti fructus sit, cùm obedire Patribus, tum otiositatem fugere. *Hieronym. ad Virgin.*

Hieron. SI quis autem ipsius Hieronymi in legendo scribendoque laborem consideret, dicet: quomodo sic occupato animo vlla turpis cogitatio potuit irrepere? Tum si ad Eustochium ad Virginē scribenti atque cōfitenti credideris; (Memini me, inquit, clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, nec priùs à pectoribus cessasse verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas) planè intelliget, etiam inter labores cogitationum tentationi esse locum, easque cùm labor nequit repellere flagellis ac verberibus excutiendas, & semper auxilium diuinæ miserationis implorandum. Neque enim ex nobis sufficimus

2. Cor. 3. (vt Apostolus inquit) sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. *Hieronym. ad Eustoch.*

Bonifac. Archiep. ILLVD quoque macerandi corporis genus, quod à Bonifacio Mysiæ inferioris Archiepiscopo seruatum legimus, non est silentio prætermittendum. Ferunt enim cùm ad illas gentes Christum Euangelizaturus proficisceretur, equitantibus ijs, qui cum illo erant, ipsum medio brumæ tempore sine equo nudis pedibus incessisse. Et cùm ad montium asperiora itinera peruenissent, equum conscendisse, sed tamen calceamenta minimè induisse, ita vt sæuiente hyeme, & niue quæ pedibus inciderat gelascente, plantas de stapede amouere nequiuerit, donec aqua feruente superinfusa glacies solueretur. Hanc in illo algoris patientiam imitentur, qui bullientem in medullis libidinis æstum cupiunt extinguere. Frigescente enim corpore, facilè & ipsa frigebit Venus.

Hospitius Monach. IDCIRCO fortasse & Hospitius apud Nuceriam solitarius (vt Paulus, qui Longobardorum Historiam scripsit, refert) ferro solido lumbos nudos præcinxerat, vt scilicet eam corporis partem magis attereret. vnde magis voluptatis motum exurgere solere sciret.

Iob 40. Virtus enim eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbi-

Digitized by Google

vmbilico ventris eius, *Paul. Diacon. in Hist. Longobard.*

PHYLORONIVS item Presbyter intra saxeam spelun- *Phyloron. Presbyter.*
cam inclusus & ferreis nexibus manibusque pedibus re-
uinctus, vixisse perhibetur, vt carcerem simul vinculaque
perferret. Hic extremo vitæ die confessus est, nullum à se
temporis momentum, quo non de Deo aliquid cogitaret,
prætermissum. Dum igitur corpus voluntaria castigatio-
ne premeretur, spiritus ipse, terrenis affectibus liber, sem-
per cælestia meditabatur. *Pallad. Laus. Hist.* 113.

MARTINVS in Marsico Campaniæ monte solitarius *Martinus seu Mar-*
manens, vt euagandi facultatem sibi surriperet, catena *tinus.*
saxo affixa pedem vinxerat. Et cùm diu angustiam hanc
libenter pertulisset, Benedicto Abbate id demum resci-
ente, iubenteque ne committeret, vt catena ferrea potiùs
quam catena Christi ibi illum fixum teneret: statim qui-
dem nodos dissoluit, sed nunquam inde longiùs discessit,
quam discedere vinctus poterat. Durum profectò & diffi-
cile fuit, hominem veluti rabidum canem ferreis vinculis
constrictum permanere, sed multò difficilius, compede
soluto longiùs abeundi voluntatem semper tenere liga-
tam, vtramque autem difficultatem superauit amor Chri-
sti. *Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 16.*

IOANNEM Monachum sub caua montis rupe, annos *Ioannes Mona-*
treis rectum perstitisse tradunt, talique corporis gestu, & *chus.*
cibum & somnum cepisse. Et diuina tandem immobili-
que statione tibias imas intumuisse? vlceraque fecisse.
Quid hac patientia intolerabilius, si quicquam intolera-
bile est? quo beatitudinis æternæ præmia compensantur.
Ac ne dubites, Ioannem nunc in cælesti gloria esse cum
Angelis. Angeli ministerio pedum eius languor in terra
curatus est. *In vitis PP.*

PACOMIVS Abbas per dumeta & obducta senti- *Pacomius Abbas.*
bus loca nudis vestigijs deambulabat, vt voluptatis acu-
leos spinarum aculeis quasi clauum clauo expungeret.
Cruentatis quidem pedibus ad cellam suam redibat, sed
superata tentatione magis de victoria quàm de vulneri-
bus dolens. De talibus Propheta Dauid cecinit, dicens: *Psal. 125.*
Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: Venientes au-
tem

Digitized by Google

tem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. *In vitis PP.*

Simeonis Monachi.

SIMEONEM Monachum accepimus, dum apud puteum aquam hauriret, fune de situla soluto, nudum corpus multo volumine circunduxisse, vestesque superiniecta vincula illa nullo conscio operuisse. Sed cùm tandem penetrantibus nodis exesa & iam suppurata caro fœtore secretum prodidisset: Abbatis iussu funem detractum, ipsum de Monasterio pulsum fuisse, quoniam id facinus magis animi stultitiæ quàm deuotioni imputabatur. Pulsum autem abijsse in solitudinem. Et cùm ab eodem Abbate nocturnis terrificationibus per visum agitato reuocandus quæreretur, in cisterna sicca inuentum, atque ad Monasterium reductum, ostendit Deus, quanti talem in illo vitæ austeritatem faceret, sine cunctatione disponendo, vt ab his ipsis honoraretur qui expulerunt. *Euag. Hist. Eccle. lib. 4. cap. 33.*

Francisc.

PATER etiam Minorum Franciscus, quàm in se durus extiterit, cùm sæpe aliàs tum illo potissimo tempore monstrauit, quando connubij cogitationibus eum impugnari contigit. Sibimet enim iratus, proiectis repentè indumentis, & fune quo præcinctus fuerat arrepto, durè admodum sese diuerberauit. Cæterùm vbi verbera parum profecissent, (vsque adeò vehemens tentatio erat) extra Monasterium prorumpens, in altam niuem (sicut nudus erat) se deiecit, diuque volutauit. Ac deinde ex illa compactas hominum effigies identidem toto corpore astringens, ipse se alloquebatur, increpandoque dicebat: En tibi, Francisce, vxor, en tibi liberi: aut vesti illos ne sic algeat, aut dimitte omnia, & vni Domino serui. Sic ille tandem carnis petulantiam domuit flagellis, & libidinis incendium gelidas niues nudo amplexans pectore extinxit. *Bonauent. cap. 5.*

Fœminæ. Elizabeth Vidua.

IN hoc virtutis genere muliebris quoque sexus laude sua non est fraudandus. Elizabeth Turingiæ Ducis coniux. Regia progenies, cùm incolumi sospiteque adhuc marito Christum induisset, in secretiori cubiculo cum ancillis conclusa, vti se flagellorum ictibus onerarent iubebat.

Ita sub-

Digitized by Google

Ita submitti sese, & humilitate deijci didicit, experiendo, an patienter ferret verbera ancillarum suarum tam clari generis fœmina. *Conrad. Concion.*

Illa quoque Elizabeth Deo dicata Virgo, quam in Comagiensi latentem Monasterio, fama virtutum mundo prodidit, & ipsa statutis horis quotidie flagello se cædebat, vt carne mortificata Christo viueret: non immemor, quòd ipse etiam pro nobis perpeti flagella voluit, flagellisque atrociora. *Esbertus Monach.* *Elizabeth Virgo.*

MARIA Decegnies Virgo, inuita à parentibus viro tradita, cùm præter quotidiana ieiunia crebrasque precationes etiam flagris acriter se distringeret, monuit maritum, vt communi vtriusque voto castitatem seruarent. Naufragium fecerat, Virginitas matrimonij commissa fluctibus, sed dum tabulæ innititur ieiunij, orationis, castigationis, illæsa intractaque ad portum enatauit salutis. *Iacob. Vitriac. Sur. Tom. 3.* *Maria Decegn.*

RADEGVNDIS Clotharij Gallorum regis vxor sub pretiosis & delicatis vestibus vile & asperum cilicium tulit. Sicque omnem penitus venereæ voluptatis motum de suo excussit corpore, vt tamdiu à viro precibus contenderit, donec impetrarit vinculi coniugalis dissolutionem castitatis obligatione, quod fortasse non petisset, nisi priùs carnem cilicio domuisset. Carne igitur spiritui subiecta, præponere cœpit Christum marito: Monasterium Regno. *Sur. Tom. 4.* *Radegun. Reg.*

QVID de Cæcilia virgine dicam? quæ Valeriano desponsata, ne ipso quidem nuptiarum die ciliciolum suum dimisit. Exteriùs noua nupta auro textis fulgebat vestibus, interiùs Christi ancilla cilicio squalebat. Cumque Fescennini concinerentur, & musici generis perstreperent instrumenta: illa tacita Virginitatem ipsi, cui se priùs desponderat, Deo commendabat. Deus igitur per Angelum suum eam ita tutatus est, vt integram inuiolatamque seruarit, Martyrio coronarit, & pro cilicio lucè induerit immortalitatis. *Ado in Mart.* *Cæcilia Virgo.*

SARA in Scythi Virginum Præposita, cùm ad fluminis ripam posito Monasterio annos LX. habitasset, haud sustinuit, *Sara abbatiss.*

Digitized by Google

nuit, vt aliquando aspicere per fenestram vellet lenitet præterlabentes aquas, prative adiacentis amœnitatem, ne ex eo aspectu aliquid caperet voluptatis. Nescio an cilicio vsa sit, vel flagellis, sed affirmare ausim, tantam hanc oculorum continentiam difficilius obseruari posse, quàm cilicium flagellaque tolerari. Huius exemplo constanter depugnandum est, cum sensuum nostrorum affectibus, qui ab illicitis, nedum à vanis, auerri nullo modo possunt, nisi subdatur & laboribus corpus, & animus Deo. *Petr. de Natalib.*

Modus seruandus.

CAETERVM corpus ipsum ita affligendo moderari debemus, vt rationi pareat, non vt occidat. Sicut & paulò durior seruus, non vt dispereat, puniri debet, sed vt mitior submissiorque fiat, & domini sui imperium magis prompto exequi maturet famulatu. Certè nauis ipsa, si supra modum oneretur, subsidet, & fundum maris citiùs continget, quàm littus: & si infra modum, ad omnem flatum instabili alueo alternaque laterum iactatione dum vacillat, periclitabitur. Etsi lasciuienti iumento plus oneris quàm ferre præualet imponatur, in itinere corruet: sin minùs, contra stimulum calcitrabit. Tentandæ sunt igitur examinandæque vires, & æquandum cum viribus pondus, quod ferrentem neque grauitate opprimat, neque leuitate licentiùs insolescere sinat.

LIBER QVARTVS.

De Corporis castigatione per Ieiunium.

CAPVT I.

QVARTVM nunc operis huius volumen, Domino adiuuante, inchoabimus: sed ne præcedentem materiam nimis cito reliquisse videamur, adhuc de ipsa corporis castigatione (quod restat) loqui pergemus. Et primum quidem illam, quæ ieiunijs constat, explicare aggrediemur: Vt qui volent hac quoque in parte Sanctorum vitam speculari, cibi potusque

que abstinentia ritè seruata, ad illud tandem spiritale à Deo electum ieiunium, quod est vitiorum derelictio assumptioque virtutum, facilius peruenire possint. Vt scilicet, esurientes & sitientes iustitiam, cum his ipsis, quos sibi proposuerint imitandos, æternæ beatitudinis pabulo saturentur.

QVANTAE enim virtutis quantæque apud Deum æstimationis ieiunium semper fuerit, & vetus Scriptura indicat & noua. Moyses in monte XL. dies & totidem noctes nihil gustans, facie ad faciem cum Deo loquitur, & Legem digito eius in tabulis lapideis conscriptam accipit, quibus ob populi culpam confractis, rursum ieiunans, Domini indignationem placauit, & Legem recuperauit. *Exod.* 24. *Moyses. Exod. 24.*

HINC in Leuitico præcipitur filijs Israel, vt septimi mensis diem decimam celebrem habentes, ieiunio affligant animas suas vsque ad vesperum, pro satisfactione vtique peccati quod vitulum adorando commiserant, vnde dies expiationum dicitur: & in memoriam, quia Moysi ieiunio ac precibus exoratus Dominus, veniam illis indulserat, vnde idem etiam dies, dies Propitiationis nuncupatur. Ieiunio igitur & Dei vindicta reprimitur, & commissa purgantur. *Dies Expiationis vel Propitiationis. Leuit. 23.*

ELIAS Propheta post subcineritij panis esum, & aquæ potum, cùm dies XL. ieiunus ambulasset, peruenit vsque ad montem Dei Oreb, atque ibi igneo curru sublatus, transuectus est in Paradisum. Si illic satiari cupimus, hîc ieiunemus. 3. *Reg.* 19. *Elias Propheta. 3. Reg. 19. 4. Reg. 2.*

SAMVELIS deprecationes ac simul populi ieiunium respiciens Deus, Philistinorum in Masphath exercitum in ipsos iam irruentem, repenti fragore tonitruque perterruit, & in fugam conuertit. Si sic stat pro ieiunantibus & orantibus Dominus, quis à tentationibus superatur, nisi qui neutrum diligenter exequitur? 1. *Reg.* 7. *Samuel Propheta. 1. Reg. 7.*

SAVLIS item regis edictum obseruans populus Israel, quo die nihil comedit, ingentes Philistinorum copias, quas paulo antè metu perculsus fugerat, fugientes persecutus est à Machmis vsq; in Hailon, multisque interfectis præda *Saul rex. 1. Reg. 14.*

Digitized by Google

præda potitus est. Inermis erat, & ieiunio se muniens armatos vicit. Quippe neminem ex Israelitis arma tunc habuisse asserit Scriptura, præter Saulem & Ionatham. Non ergo armis sed ieiunij virtute præualuerunt. Et cùm vix decem millium numerum implerent, aduersariorum autem exercitus essent triginta curruum, sex equitum, reliquum vulgus sicut arena: fauente Domino multitudo cessit paucitati, armatura nuditati, saturitas ieiunio. 1. *Reg.* 14.

Iosaphat rex. 2. *Par.* 20

IOSAPHAT etiam Iudæ regem legimus ieiunium cunctis quibus præerat indixisse, cùm Moab & Ammon & Idumæi innumera penè multitudo, contra illum venientes, mutuis inter se vulneribus concidêre, & qui cibo vacui erant, non tentato pugnæ periculo, repleti sunt spolijs inimicorum. 2. *Paral.* 20.

Achab rex. 3. *Reg.* 21. 4. *Reg.* 1.

ACHAB rex scelere quondam quàm regno insignior, impietatis suæ pœnam sacco & ieiunio humiliatus distulit in posteros. Illo defuncto, Ochozias filius cecidit per cancellos cœnaculi, & mortuus est. Ioram filius à Iehu sagitta percussus perijt. Iezabelem vxorem vi de fenestra præcipitatam, equorum vngulæ contriuerunt, contritam dilacerauerunt frustatim canes, reliqui LXX. filij in Samaria occisi sunt. Et qui in Iezrael de domo eius erant, omnes Iehu regnante interempti, & omne prorsus genus Achab internecione sublatum. Tantam suorum ruinam, tam miserabile spectaculum vidisset ipse, (sicuti per Prophetam interminatus fuerat Dominus) nisi ieiunasset: ieiunauit, & vsque ad tertium regni successorem ea familiæ delata est clades.

4. *Reg.* 9. 4. *Reg.* 10

Dauid Propheta. 2. *Reg.* 12. *Psal.* 30.

PECCAVERAT Dauid, & peccatum confitens à Nathan Propheta audierat: Transtulit à te Deus peccatum tuum, & post hæc tamen infirmata sunt, inquit, in ieiunio genua mea. Sed cuius genua infirma ieiunio erant, eius in Deo spes firma fuit, vnde ait: In te, Domine, speraui: non confundar in æternum. 2. *Reg.* 12.

Daniel Propheta.

DANIELI ieiunanti diuina reuelantur mysteria, & dies à sole iustitiæ illuminandus præfinito hebdomadarum numero panditur. In lacum leonum missus, per dies sex ni-

Digitized by Google

sex nihil comedit, & inter ferociſſimas beſtias manſit illæſus. Cumque eſuriret, Abacuc Propheta, per Angelum Domini de Iudæa translatus in Babylonem, appoſuit illi pulmentum quod meſſoribus coxerat, & refocillatus eſt. Ieiunijs igitur Daniel ſacramenta diſcit, leonum ferociã domat, prædium diuinitus miſſum accipit. Denique de fouea in quam proiectus fuerat liberatur. Et qui Deum Iſraël prædicanti non crediderant, ſaluato credidêre, mirantes & confitentes, verum timendumque eſſe Deum Danielis. *Dan. 6. & 14.* *Daniel.* *Dan. 14*

AT verò Propheta ille de Ieruſalem veniens in Bethel, cùm alterius fraude mendacioque deceptus fregiſſet ieiunium, à leone (quod animalis genus ieiunanti Danieli pepercerat) ſuffocatus perijt. Qui tamen dum ieiunium ſeruabat, manum Ieroboam regis, ipſum ferire volentis, arefcere fecerat, & arefactam, cùm illum pœnituiſſet, rurſũ ſanitati reſtituerat. Tanta itaque ieiunantis virtus fuit, quanta ſoluentis ieiunium imbecillitas. Nam quem irati regis potentia lædere non potuit, vnius beſtiæ vis interemit. *3. Reg. 13.* *Propheta*

NVNC noſtra percurramus. Quadraginta dies ieiunauit Saluator noſter, & à diabolo tentatus, oſtendit quomodo inſidias eius euitare & virtutem poſſimus vincere, dũ ieiunando vincit. Quamobrem in hoc pugnæ genere non eſt nobis viribus corporis opus ad vincendum; ſed magis imbecillitas, ne in illo diabolus fomitem inueniat, quem concupiſcentiæ igne ſuccendat. Hic eſt enim faber ſufflãs in igne prunas, & proferens vas in opus ſuum. *Matth. 4.* *Chriſtus.* *Mat. 4.* *Iſaiæ 54.*

ATQVE idem Dominus noſter, cum in monte transformatus totus Diuinitatis ſuæ luce reſplenduiſſet, Moyſen & Eliam iuxta ſe apparere fecit, quia & ipſi aliquãdo quadragenarij ieiunij obſeruatores extiterãt, vt ex hoc nobis inſinuaret, eos qui libenter ieiunauerint, ſuo glorioſo cõſortio eſſe dignos. *Luc. 9.* *Idem.* *Luc. 9.*

QVID eſt autem quòd cùm Diſcipulis orandi rationẽ tradidiſſet, continuò ieiunandi documenta ingeſſit: niſi quia illa demum fortis & efficax eſt deprecatio, quam cibi comitatur abſtinentia? Hoc enim duplici telo validiora *Idem.*

Digitized by Google

inimici machinamenta demoliri ac dirui posse monstra-
Matth.17. uit, cùm de nequissimo spiritu effugando diceret: Hoc genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium.

Idem. NE autem abstinentiæ bono abutamur ad iactantiam,
Matth. 6. & virtutem in vitium commutemus, ait: Cùm ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes. Et vt potiùs sub aliquo iucunditatis velo lateat alios corporis nostri maceratio: Tu, inquit, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui est in absconso, & Pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi. Palæstinorum ista mollities erat, cùm festum agerẽt, caput vnguentis delibutum, & lotam præferre faciem. Non ista facienda, dum ieiunatur, præcipit Dominus: sed metaphora vtitur, per quam lætari & gaudere iubet, vt hypocritarum simulatæ sanctitatis tristitiam arguat. Vis igitur omnia prorsus, quæ hîc mandantur, implere? Hoc quod ieiunas, quod abstines, totum Deo, nihil ostentationi offeras.

Apostoli. POST Dominum Iesum primi inter Christianos Apostoli ieiunio vsi sunt. Iple enim (vt in Euangelio legimus)
Marci 2. cùm in Matthæi domo accubuisset, quibusdam interrogantibus, quare Discipuli eius, sicut Ioannis & Pharisæorum, non ieiunarent, respondit: Nunquid possunt filij nuptiarum, quamdiu Sponsus cum illis est, ieiunare? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis Sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Peracta igitur spiritalis connubij celebritate, Passionis ac Resurrectionis tempus aduenit, & sublatus est ab ijs Sponsus. Exinde illius desiderio vehementer solicitati, ieiunare & esuritione se afficere cœpêre, nec vnquam ab his abstinentiæ angustijs recesserunt, donec in cælesti thalamo rursum eidem, quem tam ardenter desiderauerant, feliciter iuncti sunt: Vbi nunc ieiuniorum famem, quam hîc haud multum sustinuerunt, æterni perpetuique conuiuij refectione compensant.

Nicolaus Episcopus. APOSTOLICVM autem virum Nicolaum Mireæ vrbis Episcopum ferunt infantulum adhuc in cunabilis vagientem, & fasciarum inuolucris colligatum, cùm nutricis

Digitized by Google

tricis vberibus admoueretur, quarta & sexta quaque feria non nisi semel sugere lac voluisse. Mira profectò res, nondum adbuas pappasque peruenerat, hoc est, potus cibique vsum, & iam ieiunia obseruabat. Sed si adulti sanctitudinem consideratiimus, non erit mirum quòd talis ac tanti hominis etiam infancia mirabilis fuerit. *Ioan. Diac. Sur. Tom. 6.*

Sisinius Episcopus.

IDEM miraculum vel portentum potius de Sisinio Thauuensi Episcopo refertur. Scilicet ipsum quoque, cùm editus lacte genitricis suæ aleretur, quarta & sexta feria tantummodò semel tenelluli oris labella vberibus admouere consueuisse. Cùm autem & hunc multa animi sanctitate præstitisse manifestum sit, cur non speremus, eum sanctum ac beatum euasurum, quisquis vel integræ iam ætatis vitam ab hac ieiuniorum obseruatione auspicabitur? *Sur. Tom. 3.*

Maiorus Episcopus.

EOSDEM quartæ & sextæ feriæ dies Maiorus Sargiensis Episcopus ita ieiunio suo consecrauit, vt in illis prorsus nihil degustaret. Alijs verò diebus pane hordeaceo victitabat. Vis nosse quantùm illi sic ieiunasse profuerit? Virginitatem perpetuò seruauit.

Eadmundus Archiepiscopus Eccli. 150

EADMVNDVS Cantuariensis Archiepiscopus, ipse quoque Virginitatis coronam adeptus est: lasciuiam carnis domans ieiunijs, feria sexta sicco pane tantùm & aqua frigida semper est vsus. Nunquam illi curæ fuit, vt pasceret corpus, sed vt sustentaret. Propterea quidem cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum. Fuit enim Doctor egregius, disciplinis diuinis apprimè eruditus, multis præterea miraculis clarus. *Osbertus & alij, Sur. Tom. 6.*

Bonifac. Archiepiscopus.

BONIFACIO Martyri Misiæ Archiepiscopo quotidiana ieiunia pro delitijs erant, atque vt ad inediam per biduum quatriduumque protelaret, Dominicis tantùm diebus quintisque ferijs cibum capiens. Cùm tamen docendo Gentiles per Misiam iter faceret, viæ ac frigoris asperitate fatigatus, ita temperauit ieiunium, vt quotidie dimidio panis & aquæ poculo vires reficeret. Et quoniam neq; equo vehi voluit, sed pedes ire, detractis etiã calcea-

Digitized by Google

mentis,(vt alibi diximus) magis mirandum existimo, tanto labori talem ac tam modicam cœnulam sufficere potuisse,quam quòd sine illo tot dierum, quot dictum est,inediam tolerarit. Tali vitæ tenore cucurrit ad Martyrium. Et alij quidem Martyres vnam martyrij coronam receperunt: hic duas, ieiunij martyrium sanguinis martyrio copulando.

Iuo Presbyter. IVONEM Presbyterum, & ipsum solicitum inprimis abstinentiæ cultorem, omnia ab Ecclesia indicta ieiunia sola panis & aquæ refectione obseruare solitum legimus, vt plus aliquid faceret quàm quod præceptum fuerat, & alimenti tenuitas obedientiæ cumulus esset: aliàs etiam abstemium fuisse, & nunquam vel modico vino vsum. *Sur.Tom.3.*

Anton. Abbas. DE Antonio quoque Aegyptio Abbate memoriæ proditum est, quòd semel in die hora vespertina panem cum sale comederit, & aquam frigidam biberit: & cùm perseuerantiùs ieiunaret, nunc bidui, nunc tridui inediam passus sit. Tum quòd eam rem illi inuidens diabolus aliquando sumpta monachi forma apparuit, cibos porrexit, & vt aliquid sumeret, nec se fame confici permitteret, exhortatus sit; quòd tandem deprehensa fraude Antonius Crucis signo se munierit, & ille euanuerit. Ex quibus facilè apparet, quàm magno emolumento nobis ieiunium sit, cùm tantæ molestiæ diabolo sit: & ieiunantes tentari posse, superari non posse. *Athanas.in vita Antonij.*

Samson Archiep. SAMSONIS quoque Dolensis Archiepiscopi ieiunia fuêre, modò biduo, modò triduo transacto, modò post hebdomadam cibum sumere. Toto verò Quadragesimæ tempore bis, aut ad summum ter, parcissimo victu lassum & effœtum viribus corpus recreare. *Baldric. scripsit eius vitam.*

Seuerus Abbas. SEVERVS Abbas natione Syrus, Dominico quoque die manè sacram Communionem, vesperi panem vnicum sumebat: altero cibo animam alens, altero corpus sustentans. Reliquis autem diebus cibo pariter ac potu vacuus perdurabat.

Hoc

Digitized by Google

Hoc idem & à Mederico Abbate apud Heduam Galliæ vrbem obseruatum legimus. *Mederi-cus Abb.*

ELPIDIVS etiam Abbas genere Cappadox, cùm defer-tum quoddam incoleret, & squalentis antri angusto car-cere se occlusisset, tantùm bis in hebdomada, id est, Domi-nicis & quartæ Feriæ diebus, vesci solitus dicitur. *Pallad. Lauf. Hist.* 106. *Elpidius Abbas.*

MVTIVM item Abbatem in solitudine singulis Domi-nicis singulo pane diuinitus sibi allato nutritum accepi-mus, alijs verò diebus absque cibo ieiunum permansisse. *Invitis PP.* *Mutius Abbas.*

ILLOS quatuor, quos Pafnutius Abbas in remotissi-ma Aegypti Eremo commorantes reperit, Ioannem, An-dræam, Thaddæum & Philippum, hebdomadarum contin-uata ieiunia Dominicis diebus soluere solitos ferunt: Angelo tunc iuxta eorum numerum panes deferente, & in aduentu Pafnutij quintum panem additum fuisse dicunt. Nec sanè mirum videri debet, quòd quidam sanctissimi homines in solitudine de cælo receperint alimenta, cùm etiam prœuaricator populus Manna in deserto nutritus sit. *Invitis PP.* *Quatuor Eremitæ.*

ILLVD ego maiore admiratione dignum reor, quod de Stephano Presbytero Constantinopolitano traditum est, quòd scilicet nondum editus ieiunia colere cœperit. Nam (vt aiunt) mater eo grauida, non vinum, non car-nem, non lacticinia gustare poterat: & si gustasset, præ nausea euomebat. Post hæc ipse iam natus, cùm vberibus applicaretur, fugere matrem, nisi ieiunantem nolebat. Ta-li ostento mox significatum est, quantæ ille abstinentiæ obseruator mox futurus esset. Vbi enim cum ætate creuit virtus, in Templo beati Petri Apostoli clausuram subiens, herbas cum sale coctas absque alio condimento semper vesperi comedebat. Deinde Presbyter factus, pristino vi-ctui salem ademit, & ne hoc quidem tam fatuo cibo quo-tidie vti voluit, sed aut semel, aut bis tantùm in hebdoma-da eum sumere, aut ad Dominicum vsque diem inediam proferre. Postremò cùm in solitudinem secessisset, herbis crudis pascebatur, à cocto abstinebat, & monachum pro-*Stephan. Presby-ter.*

Digitized by Google

fessus, cùm à seniore iuberetur modico vino vti propter stomachum, vnicam vini guttulam in vrceum aquæ plenum instillare cœpit, vt & obediret, & aquam tamen nihilo penè quàm antè sapidiorem biberet. Pauculas etiam ficus festiuis duntaxat diebus in cibo habuit, neque hoc quidem sua sponte, sed obedientiæ iure. Hic igitur iam ab initio in parentis viscеribus à Deo electus, prædestinatus & sanctificatus, quàm magna res esset ieiunium ostendit, cùm ipsam matrem ad id compellendo, tum semet vsque in finem eo incredibiliter macerando, id est, à duodevigesimo vsque ad septuagesimum tertium ætatis suæ annum, tunc demum pascuis cælestibus satiatus est, tantò quidem vberiùs, quantò hîc vixerat abstinentiùs. *Niceph. lib. 22. rerum Rom.*

iberalis. cob. 1. SANCTO Liberali, cuius ossa Taruisij posita honorantur, vitæ merito de cælo concessum fuit, (omne enim donum perfectum desursum est) vti Dominico quoque *die* percepta spiritali alimonia Corporis & Sanguinis Christi sine vllo alio cibo reliquum tempus perduraret. Itaque quod ad animæ salutem sumptum erat, illius virtute etiam caro sustentabatur.

o innes bbas. IOANNES quoque Abbas in Thebaidis Eremo, quem sub rupe quadam manentem toto triennio nunquam sedisse diximus, ipsam sacrosanctam Communionem Dominicis diebus à Sacerdote sibi delatam sumens, nihil aliud gustabat: hoc illi & Sacramentum & victus fuit. *Pallad. Laus. Hist. 61.*

pelles tonach. APELLES item Aegyptius faber ferrarius, vt Christo seruiret, eremum penetrans, quemadmodum ferrum malleis, ita semet cudere cœpit ieiunijs, atque à Deo omni morum sanctitudine limatus & expolitus euasit: vt etiam ipse nihil vnquam degustaret, præterquam Dominicis diebus panem illum qui de cælo descendit, quem qui dignè manducauerit, non esuriet in æternum. *In vitis PP.*

pesius tonach. EPESIVM Anachoretam annos quadraginta, quos in Scythiotica eremo peregit, Sol non vidit manducantem. Nunquam enim ante vesperum quicquam gustauit. *In vitis PP.*

DIVVS

Digitized by Google

DIVVS Hieronymus testatur etiam, Hilarionem Abbatem nunquam ante Solis occasum, nec festis diebus, nec in grauissima valetudine soluisse ieiunium, cùm tamen duro admodum parcissimoque victu vsum dicat, herbarum syluestrium, hordeaceique panis, & non coctæ, sed aqua frigida maceratæ lentis, ita vt ei aliquando caligarent oculi, corpus scabredine rigeret, & tunc oleum pro remedio in cibatu addidisse. Denique à sexagesimotertio, vsque ad octogesimum ætatis suæ annum, cùm pane quoque abstineret, sorbitiunculis ex farina & olere comminuto sustentatum fuisse, donec reddito spiritu conuiuij cælestis perpetua & ineffabili dulcedine, quam semper appetierat, satiari cœpit. *Hieronym. in vita eius, cap. 3.* *Hilar. Abbas.*

DE se quoque ipse Hieronymus, ad Eustochium Virginem scribens, loquitur ac dicit: Repugnantem spiritui carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non tacuit quod olim in eremo secretiùs egerat, vt illam quam docebat suopte exemplo magis moueret: & tamen confitetur, cogitationum in corde lasciuientium illecebris vix interdum se resistere potuisse. Pallebant, inquit, ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Et ipsi nos tutos putabimus, si diem vnum aut alterum in hebdomada ieiunauerimus? Nescio, an etiam ieiunium dici debeat, quod consequentis diei obruit repletio, cuius famem succedens exsuperat saturitas. *Ad Eustoch. circa finem.* *Hieron. Presbyter.*

SYLVANVS Abbas, in deserto Scythi ieiunij die vnà cum Zacharia discipulo iter faciens, ad quoddam Monasterium diuertit, & humaniter acceptus manducauit. Cùm autem discessissent, discipulum in via reprehendit, quòd eo potu ieiunium ante tempus soluisset. Et cùm ille tunc se ambos iam soluisse ieiunium diceret, cùm in Monasterio comedissent: Minimè, inquit, nam illud non ieiunij solutio, sed charitatis communicatio fuit. Itaque existimauit, absque ieiunij detrimento posse aliquid prægustari in sodalitio exterorum, id est, cùm aut ipse alios *Syluanus Abbas.*

Digitized by Google

hospitio susciperet, aut ab alijs susciperetur. Quem morem apud Aegypti Monachos celebrem fuisse, autor est Cassianus: Ita tamen, vt illam prægustationem districtiore postea ieiunio compensarent, vsque adeò neque charitatem dimittere, neque abstinentiæ quicquam derogare volebat. *In vitis PP.*

Cassian. l. c. 6.

Odilo Abbas.

ODILIO Cluniacensis Abbas Quadragesimale ieiunium solicitiùs obseruans, cùm panem cinere aspersum comedisset, aquam potui popolcit: qua accepta, & statim in vinum mutata, ministrum increpuit, quòd vinum pro aqua sibi attulisset. Illoque admirante, & rursum de fonte haustam afferente, idem secutum est miraculum. Vbi tandem agnouit Dei voluntatem, timuit recusare quod ab ipso offerebatur, & asperiorem cibum molliore poculo temperauit. *Petr. Damian. Sur. Tom. 1.*

Gregorius PP.

GREGORIVS Pontifex ingenio ac sanctitate æquè clarus, dum adhuc monasticam vitam ageret, aduersa implicitus valetudine, ieiunium Quadragesimale seruare non poterat. Adueniente verò Sabbati sancti die, flens Eleutherium Abbatem rogauit, vti precibus à Domino tantillum sibi virium impetraret, quod satis esset ad eam saltem tam celebrem diem ieiunio excolendam. Quo orante tantum concepit vigoris, vt etiam in alterum diem inediam facilè producere posset, si voluisset. Sic quidem ipsemet in tertio Dialogi sui libro testatum reliquit. Quo exemplo apertè admonemur, vt si qua res ad seruandum ieiunium nobis impedimento fuerit, non negligamus, imò vt ab ea expediamur, votis precationibusque Dominum solicitemus. Petenti dabitur, & pulsanti aperietur. *In vit. Gregor. lib. 1. cap. 8.*

Fœminæ. Anna Elcanæ. 1. Reg. 1. Ibidem 2.

NVNC fœminis, si quem fortè viros imitari piget, fœminarum proponamus exempla. Anna Elcanæ vxor non capit cibum, sed luget & orat, & sterilitatem ab æmula exprobratam Domino miserante fœcunditate compensat, mœroreque in gaudium verso, concinit, dicens: Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo. Vinum & quod inebriare potest nunquam bibit, & bibentibus vinum hilarior efficitur, dum prolis generositate lætatur. *1. Reg. 1. & 2.*

SARA

Digitized by Google

SARA Raguelis filia septem iam maritis, antequam ab eis tangeretur, viduata, octauum Tobiam triduano ieiunio seruauit incolumem. Cumque coniugum suorum interfectrix diceretur, omni penitus probro, dum ieiunasset & oraſſet, meruit liberari. Ipſe denique Asmodæus dæmon, qui ipſos ſeptem viros interemerat, vnius mulieris victus ieiunio religatur in deſerto, amittitque nocendi facultatem, qui habuerat occidendi. *In libro Tobiæ.* *Sara Tobiæ.*

IEIVNABAT Iudith omnibus diebus vitæ ſuæ, & Aſſyriorum exercitu fit fortior. Ozoias Bethuliæ princeps, & qui cum illo erant, iam ſe ſuaque dedere hoſti decreuerant, quem illa interemit. Itaque quos arma à ſeruitutis iugo defendere non valebant, vnius fœminę ieiunio, & orationibus munitæ virtus liberauit. *In libro Iudith.* *Iudith vidua.*

ANNA Phanuelis filia quotidianis ieiunijs & obſecrationibus ad prophetandi culmen peruenit, puerum Ieſum, quem Simeon ſacerdos in vlnas acceperat, ipſa ſuperueniens adorat, & Redemptorem Iſrael confitetur Spiritu ſancto plena: quia cibo vacua, abſtinendo & orando intellexit, quod Scribæ & Phariſæi legendo non perceperunt. *Lucæ 10.* *Anna Phanuelis filia.*

ASELLAM Virginem Hieronymus laudibus efferens: Ieiunium, inquit, pro ludo habuit, inediam pro refectione, & cùm eam non veſcendi deſiderium, ſed humana conditio ad cibum traheret, pane, & ſale, & aqua frigida concitabat magis eſuriem, quàm reſtinguebat. *Hiero. Epiſt. de laudibus Aſellæ.* *Aſella Virgo.*

IDEM Paulæ vita iam defunctæ virtutes enarrans: Tantæ, inquit, continentiæ fuit, vt propè menſuram excederet, & debilitatem corporis nimijs ieiunijs ac labore contraheret. Exceptis diebus feſtiuis, vix vnquam aliàs oleum in cibo cepit, vt ex hoc vno æſtimetur, quid de vino, & liquamine, & piſcibus, & melle, & ouis, & reliquis quæ guſtu ſuauia ſunt iudicarit, in quibus ſumendis quidam ſe abſtinentiſſimos putant, & ſi ijs ventrem iniurgitauerint, tutam pudicitiam ſuſpicantur. Poſt multa tandem ait: Nulla iuuenum puellarum ſano & vegeto corpore tantæ ſe dederat continentiæ, quantæ ipſa fracto, & ſenili, debilitato- *Paula vidua.*

Digitized by Google

que corpusculo. Postremò dicit, quòd cum febre laboraret, nec medicorum consilio, nec Epiphanij Episcopi suasionibus compelli potuerit, vt vinum biberet. Et ipse Epiphanius ab ea exiens, tantùm se profecisse dixerit, vt è cõtrario sibi iam seni aquam bibere penè persuasum esset. Quod si hæc & languore, & ætate confecta fœmina vinum, in quo est luxuria, vsque adeò gustare timuit: quomodò nõ magis timere debeant, quæ sanæ sunt, & iuuenilis ætatis feruore, etiam cùm multùm ieiunauerint, incalescunt? *Hieron. de Epitaph. Paula.*

Euphraxia Virgo

ET in illo Thebaidis Monasterio, in quo Euphraxia Virgo omnium spiritalium vnguentorum odore fragrauit, quotidiana seruabantur ieiunia, & non carnem, non lacticinia, non vinum, non oleum, non denique dulcium genera fructuum gustare fas erat. Euphraxia verò biduo triduoque & tota interdum hebdomada inediam protrahebat, vacuum cibo ventrem gerens, vt animam repleret virtutibus. *In vit. PP.*

Maria Ægypt.

MARIA AEgyptiaca, quæ meretricium quæstũ in quæstum vertit Paradisi, in solitudinem secedens, tres tantùm panes pro viatico secum tulerat. Et quoniam ibidem Deo seruiens plus minus xl. vixit annos, nec vnquam interim hominem vidit, præter (anno illo quo ad Dominum migratura erat) Zozimam Abbatem, apparet eam hoc toto ferè tempore sine panis esu perduraſſe. Et si quicquam ederit, more feræ syluestrium herbarum pastu fuisse sustẽtatam. Quicquid culpæ olim per ingluuiem contraxerat, tali ieiunio purgauit, & quæ diu præstata fuerat in prostibulo, pòst eremi angustias incola efficitur regni cœlorũ. *In vitis PP.*

Felicula Virgo.

DE Felicula Virgine & Martyre traditum est, carcere inclusam dies septem nihil gustasse, & iterum in templum Deæ Vestæ sub custodia translatam, alios septem dies pari inedia peregisse. Hac igitur abstinentiæ virtute roborata, constanti & imperterrito animo martyrij pertulit supplicium, nihil horrescens tyranni sæuitiam, sed mori cupiens, & esse cum Christo. *In gestis Marcelli, Surius Tomo 3. fol. 177.*

MARIA

Digitized by Google

MARIA Decegnies, cuius ortu Niuella Leodiensis Episcopi viculus nobilitatus est, à festo Exaltationis Crucis vsque ad Pascha ieiunium cum sola panis & aquæ refectione per annos tres obseruauit. Eandem ferunt aliquando quinque & triginta dies absque cibo perseueraſſe, diuinis fruentem colloquijs. Tres item & quinquaginta dies ante obitum suum nihil aliud gustaſſe, præter vitale viaticum Carnis & Sãguinis Christi. Hinc defunctæ animam ab Angelis in cœlum ferri visam, vt quæ à terrenis alimentis identidem abstinuerat, cœlesti pabulo repleretur in æternum. *Iacob. Vitr. Sur. Tom. 3.* *Maria Decegniea*

CAECILIA Virgo & Martyr, biduanis & triduanis ieiunijs meruit Virginitatis suę Angelum habere custodem, & palmam obtinere Martyrij. *Ado in Martyrolog.* *Cæcilia.*

CAETERVM non omnibus data est eadem abstinentiæ mensura, idemque modus. Alius dies multos inediam pati potest, alius ne vnum quidem. Alij ad sedandam famem dimidium panis sat est, alij integer parum est. Tantùm ergo sibi quisque ieinniorum imponat, quantùm ferre præualet, tantùm comedat, quantùm ad regendos corporis sensus sufficiat, non ad extinguendos, quodque ad continuanda ieiunia congruere visum fuerit, non vt duorum aut trium dierum nimia abstinentia, subsequẽtium repletione indigeat, & probro locus sit dicentium: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Turrim igitur ieiunij constructurus, computet sumptus, atque ita moderetur, vt futuro operi ad culmen vsque educẽdo suppetere possint. *Ieiunia moderata*

SED cauendum est, ne dum abstinentiæ immodestiam fugimus, in vitium incidamus gulositatis. Quo subuersi Adam & Eua mandatum Dei contempserunt, & de Paradiso electi sunt. Noe pudenda nudauit, Loth incestum commisit, Esau Primogenituræ ius vendidit, Populus Israeliticus in deserto perijt, Heli sacerdotis filij hostili gladio cæsi sunt, Sodomæ quoque euersio (vt ait Scriptura) superbia & saturitas panis fuit. Ideo Dominus in euangelio: Attendite, inquit, vobis, ne fortè grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos *Cauenda gulositas. Genes. 3. Genes. 9. Genes. 19. Genes. 25. Num. 11. 1. Reg. 4. Ezech. 16. Luce 21. Luce 6.*

Digitized by Google

in vos repentina dies illa. Et, Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Mediocritate igitur opus est, vt nec nimiũ, nec parum, cibis abstineamus. Alterum seipsum incautè perdere est: alterum ventri, non Deo, seruire est.

eiunan- um à vi- js.

OMNI præterea ope & totis viribus enitendum, vt sẽper à vitijs magis, quã à cibo, ieiuni intueniamur. Alioquin nec à cibo ieiunasse proderit, si inter ieiunandum peccato

om. 14. locus erit. Non est (inquit Apostolus) regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Pietatis igitur & iustitiæ cura curam superat ieiunandi.

saiæ 58. Hoc est enim ieiunium quod elegit Dominus, & propter quod per Isaiam ait: Sustollam tẽ super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.

auenda eiunij ctantia. saiæ 58. ucæ 18.

AD hæc ne quid simulatè, ne quid iactanter fiat: Nolite ieiunare, inquit, sicut vsque ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester. Tales quippe Pharisæum imitantur, qui ait: Non sum sicut cæteri homines: Ieiuno bis in sabbatho. Sed dum insipienter gloriatur, Publicano, quẽ despexerat, factus est deterior. Hos & per Zachariam ar-

Zach. 7. guit Dominus, dicens: Cùm ieiunaretis & plangeretis, nũquid ieiunium ieiunastis mihi? Non enim Deo & iustitiæ, sed vanitati ieiunant, qui ieiunando hominum rumusculos & inanes gloriolas aucupantur, & dici, quàm esse sãcti malunt. Qui sæpe quidem, vt se efferant, alijs detrahunt,

om. 18. nec Apostolum audiunt dicentem: Qui non mãducat, mãducantem non iudicet. Tu quis es, inquit, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem. Potens est enim Deus statuere illum.

ualia ebeant sse ieiu- ia.

SINT igitur examinata, sobria, pura, simplicia, humilia ieiunia: non immoderata, non lauta, non animi vitio polluta, non ficta, non suæ laudis cupida, alienæ inuida, & liuoris magis quàm abstinentiæ pallore infecta.

De cibi potus q; vilitate ac parcimonia.

CAP. II.

QVANTA autem ij qui Deo non mundo seruiebant, cibi ac potus vtilitate parcimoniaque vsi sint, & iã ieiunia eorum explicãdo diximus, & nunc priua-

tim

Digitized by Google

tim pleniùs dicemus: Vt victum illorum contemplantes, dapsiles helluonum cœnas, & immoderatas vini potationes corpori æquè atq; animo noxias, facilius conténamus.

Iam primi illi humani generis parentes Adam & Eua, quamdiu in paradiso fuêre, arborum fructibus aliti sunt. Eiecti quoque, non nisi pomis, olere, frugibus vescebantur, & aquæ frigidæ potu. Carnium verò & vini vsus ad Diluuij vsque tempora dilatus est, id est, post duo millia & ducentos quadraginta duos annos quàm mundus conditus. Et si tot seculis harum rerum vsu carere potuit humanum genus: profectò si cui nunc earundem abstinẽtia nimis difficilis videatur, gulæ non rationi fauet. *Genes. 1. &c.* *Adam & Eua.* *Hieron. libr. 1. aduersus Iouin.* *Ambros. Epist. 8.*

Post hæc igitur Noë primus vineam plantauit, vinum bibit, & inebriatus, detectis verendis, iacuit indecorè, ita vt spectantibus ludibrio esset. *Genes. 9.* *Noe. Genes. 9.*

Israeliticvs populus in deserto per annos xl. Mãna alitur & aqua potatur, Carnium auiditas atque esus illis exitio fuit. Vnde in Psalmo dicitur: Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit. Vbi autem sepulti sunt, sepulchra concupiscentiæ appellata, vt posteros locus ipse admoneat, non concupiscere illud, ob quod alij morte multati sunt. *Genes. 16. Num. 11.* *Populus Israel. Psal. 77.*

Viginti panibus hordeaceis centum homines pauit Elisæus, quinq; panibus hordeaceis turbã quinque milliũ Dominus satiauit. Vtrumque miraculum, sicuti cætera omnia, soli Deo tribuendum. Sed quod ad propositum nostrum pertinet, attendamus, hordeacei panis esum nec in veteri nec in nouo Testamento fuisse despectum. Pudeat nos, id panis genus respuere, quo Prophetæ & Apostoli, & cum Apostolis Dominus vsi sunt. 4. *Reg.* 4. *Elisæus Christus. Ioan. 6.*

Ad Aaron reliquosque Sacerdotalis Ordinis viros in Leuitico præcipitur: Vinũ & omne q̃ inebriare potest non bibetis tu & filij tui, ne quando intrabitis in Tabernaculũ testimonij, moriamini: & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutũ & mũdum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ *Aarõ & Sacerdotes. Leuit. 10.*

locu-

Digitized by Google

locutus sum ad eos per manum Moysi. Vide igitur quod ipsa vini potatio, & à rerum cognitione animũ seuocat, & in mortis periculum ducit. *Leuit.* 10.

IDEM in Ezechiele, quinto & quadragesimõ capite, repetitur his verbis: Et vinum non bibet omnis Sacerdos, quando ingressurus est atrium interius. Præcipuè ergo sobrios esse oportet Ecclesiæ Altarisque ministros, quorum vita documentum aliorum est.

Nazarei. ET in libro Numeri Nazaræis & sanctificatis Domino præceptum est, vt à vino & ab omni quod inebriare potest abstineant, nec quicquã quod ab vua expressum est bibant, vuas præterea, neque recentes, neque siccas gustẽt cunctis diebus quibus ex voto Domino consecrati fuerint. Quòd si ista perfectio eos etiam decuit, qui ad tempus se Dei seruitio dedicabant: quantò magis nostris conuenit, qui perpetuam seruitutem vouent? Et illis quidem matrimonij ius erat, nostri verò maximè castitatem profitentur. Quid autem tam castitati contrarium, quam vinum in quo est luxuria? *Num.* 6.

Salomon Rex. Eccle. 2. SALOMON sapientia plenus, sapientiorem se fore putauit, si abstemius viueret. Cogitaui, inquit, in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremque stultitiam, donec viderem quid esset vtile filijs hominum. Impedit ergo sapientiam, & nutrit stultitiam, nec quid in vita vtile sit satis peruidere sinit, quantuluscunque fortasse vini haustus. Nam si etiam modicus non noceret, haud ita penitus ab eo se abstrahere Salomon cogitasset. *Eccle.* 2.

echabit. RECHABITAE etiam patris præceptis obsequentes,
.35. scyphos & calices vino plenos, cum sibi propinarentur, respuerunt: Et non bibemus vinum, inquiunt, quia Ionadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Nõ bibetis vos & filij vestri vsque in sempiternum. Quamobrem merentur à Domino audire: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus. *Ierem.* 35.

Tobias. TOBIAE in comedendo laudatur continentia, quòd in Ninive vrbe captiuus, & iugo seruitutis pressus, nunquam

vt Gen-

Digitized by Google

vt Gentilium escis inquinaretur, animum induxerit: rituque eorum spreta atque despecta, semper legitima Dei sui seruarit. *Tom.1.*

DANIEL, Ananias, Misael, Azarias, & ipsi Babylone captiui, contempta regis mensa, legumina comedunt, & aquam bibunt, & eis qui Regijs epulis enutriti erant, apparent rubicundiores, obesioresque. Atque his ipsis qui legumina carnibus & aquam vino prætulerunt, à Deo datam scientiam legimus & disciplinam in omni libro & sapiẽtia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. Denique omne verbum sapientiæ & intellectus, quod sciscitatus est ab eis rex, inuenit in eis decuplũ super cunctos Ariolos & Magos, qui erant in vniuerso regno eius, Certè neque legumina amara sunt, neque aqua acerba: & si essent, nònne tanta mercede præoptãda ac præsumenda fuissent? *Daniel.1.* *Daniel Propheta*

ALIBI Daniel ipse: Panem, inquit, desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierũt in os meum. Sed hic interim visiones videt, cum Angelo loquitur, futura discit: Intantum Deo placent, qui talibus abstinent. *Daniel 10.* *Dan. 10*

NER nos mouere debet, quòd Saluator noster ad epulas ierit nuptiarum, & conuiuijs interfuerit Publicanorũ, & vorator, & potator vini, & peccatorum amicus à Pharisæis appellatus sit. Non vt se pasceret hoc egit, sed vt alijs prodesset. Medicus ad curandos ægrotos accessit, non ad inuitatores conuiua. Quippe qui, vt modestiam victus doceret, quadraginta diebus nihil gustauit. Esurientes & sitientes beatos dixit, à muliere Samaritana potum aquæ petijt, Discipulis vt manducaret hortantibus: Cibus meus est respondit, vt faciam voluntatem Patris. Quòd autem corpus suum & Sanguinem sub specie panis & vini sumẽdum obtulit, Sacramentum id cibi spiritalis est, quo animus pascitur, non corpus. Nam post Resurrectionem quoque, vt veritatem resuscitati corporis approbaret, cum Discipulis comêdit, non carnem tamen, nec quicquam aliud præter panem, piscem, fauum. *Luc. vlt.* *Christus.*

EIVS præcursor Ioannes Baptista Spiritu sancto repletus, *Ioannes Baptista.*

tus, antequam natus, locustis in deserto & sylvestri melle pascitur, ob quam victus austeritatem à Pharisæis dæmonium habere dicitur: à Domino neque comedens neque bibens appellatur, non quòd nihil omninò sumeret, sed quòd ijs duntaxat sustentaretur, quæ alij vt insipida vilia; despiciebant. *Matt.* 3. & 11.

Apostoli. APOSTOLI ipsi spicas segetum manibus confricant, & hoc tam simplici cibo esuriem quo modo possunt leuant. Cumque numero duodecim essent, nihil aliud quàm quinque panes hordeaceos, duosque pisces habuerunt in deserto, quando Dominus turbam quinque millium satiauit. Iterum nihil omnino præterquam septem panes & pauculos piscículos, quando quatuor millia virorum satiata sunt. Rursum transfretantes obliti sunt panes secum ferre, vsque adeò cibariorum curam non habebant, dum eius, quem relictis omnibus secuti fuerant, dulcedine satiantur, & tamen quòd non ieiunarent, adhuc excusabantur, quia Sponsus cum eis erat. Quanto ergo continentiùs atque tenuiùs eos victitasse censebimus, postquam ablato Sponso, hoc est, crucifixo Domino, nuptiarum gaudiũ versum est in persecutionis luctum, & iam terrena omnia minùs placere cœperunt desiderantibus cælestia.

Iacobus Apostol. IACOBVS frater Domini appellatus, cognomento iustus, vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, reliquæ vitę sanctitate sic excelluit, vt multi suspicati sint, propter necem eius Ierosolymam fuisse subuersam. *Euseb. hist. Eccl. lib. 2. cap. 23.*

Petrus Apostol. PETRO quoque Apostolorum Principi, post Ascensionem Domini, panis cum oliuis, rarò cum olusculis cibus fuit, vt moderati victus exemplum foret ijs, quibus abstinentiæ præcepta dabat: iam piscator hominum factus, qui fuerat piscium.

Paulus Apostol. Rom. 4. 1. Cor. 1. 1. Tim. 5. PAVLVS Apostolus ad Romanos scribens: Bonum est, inquit, non manducare carnem, & non bibere vinum. Et ad Corinthios: Si esca scandalizat fratrem meum, non mãducabo carnem in æternũ. Et ad Timotheum: Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Cui propter aduersam

Digitized by Google

sam valetudinem modico vino vti præcipit, eum, dum sanus esset, aqua vsum ostendit. Sic etiam malè affecto modicitatem non copiam imperat, quod scilicet ad digerendam stomachi cruditatem satis sit, non quo etiam sopita genitalium voluptas excitari possit, ne corporis remediũ vertatur in animæ pernitiem

HINC sanè Fulgentius Ruspensis Episcopus, ne morbo quidem affectus, carnis alimento, vel vini poculo vti voluit, veritus ne infirmitati blandiens, semel intermissum vitæ rigorem sanus postea repetere nollet, superatus gulæ voluptate. *Sur. Tom. 1.* *Fulgent. Episcop.*

HONORATVS Fundensis Monasterij Abbas (vt Gregorius refert) puerulus adhuc, à parentibus inuitatus, cùm à carnibus abstineret, deridiculi gratia interrogatur, an piscari in montibus vellet, qui tam procul à mari & fluminibus constitutus, piscibus nõ carne vesci optaret. Cũque ipse taceret, ecce is qui ad aquam hauriendam perrexerat, piscem de puteo situla sublatum attulit. Quo miraculo effectum est, vt omnes conuiuam, cuius continentiã irriserant, venerari inciperent. *Greg. Dial. lib. 1. cap. 1.* *Honorat. Abbas.*

ANTONIVM in AEgypto, Serapionem in Arsenoite regione, Ethbinum in quadam Hyberniæ sylua, Stephanũ Abbatem in monte Moreto, panetantum & aqua sustentatos fuisse legimus: sed Antonium cùm iam infirmior ætas priscæ austeritati par esse non posset, oluscula & arborum fructus cum pane comedisse. *Pallad. Hist. 15.* *Antonius Serapion. Ethbinus Stephan. Abbas.*

ELIAE Eremitæ in finibus Antinoi, quæ est Metropolis Thebaidis, iam ætate decrepito, exiguus panis & pauciss. mæ oliuæ cibus erat: robustioribus verò annis interdum hebdomadarum inediam tolerauit. *Elias Eremita.*

PASTVMIO AEgyptio Abbati panis tantùm & aqua victus erat, vtrumque appendere solitus, ne edendi auiditas plus hauriret, quam quod sustentando corpori sufficere possit. Ante hac verò dum solitarius viueret, crudæ herbę illi cibum, fontes potum suppeditabant. *In vitis PP.* *Pastum. Abbas.*

HOR etiam Abbas, quàm diu solitudinem incoluit, herbis, radicibus, aqua, sustentatus est, pane abstinuit, donec Monasterio præpositus, communi cum alijs cibo vti cœpit, *Hor Abbas.*

Digitized by Google

pit, vt ipsos lucrifaceret, & quadam vitæ æqualitate contineret. *In vitis PP.*

Apollon. abbas. APOLLONIVS Abbas panem, olus, herbas edere solebat, sed ita sanè, vt ea vel sale condiret, vel aceto macerare, coctum gustauit nihil. *In vitis PP.*

Theon Monach. THEONEM quoque Monachum cruda comesse accepimus, nec in vescendo ignis opera vnquam vsum. *Ibidem.*

Honophr. abbas. HONOPHRIVS item Abbas, cùm sede incerta per solitudinem vagaretur, diu herbis tantùm & fructibus sustentatus dicitur: demum pane & aqua nutritus, Angelo homini ministrante. *Ibidem.*

Palæmon & Pach. PALÆMON Monachus, in Thebaidis deserto habitãs, celebri Paschæ die Pacomium contubernalem suum rogauit, vt solito largiùs obsonaret. Coxit ille olus, oleoque & sale condiuit. Sed posita mensa, Palæmon suspensus parùm per stetit, ingemuit, lachrymas effudit, & Dominus meus, inquit, crucifixus, felle & aceto potatus est, & ego oleum addam? Auertentem se ac lugentem, Pacomius hortabatur vt sumeret, & illam olei lautitiam, non tam sibi, quàm Festi solennitati concederet, tantum profecit, vt nec ipse aliud gustarit quam quod consueuerant, panè scilicet cum sale, aquamque frigidam. Sic refecti, Deo gratias egêre, hoc tantum festo tribuentes, quòd escas tunc sapidiores parauerint, quàm comederint: adeò oleum in cibo sumere, luxuriæ deputabant. *In vita Pacom. cap. 7. in vitis Patrum.*

Amand' Episcop. AMANDVS Turoni ad Beati Martini sepulchrum xv. annos mansit, & hoc toto tempore cibus illi panis hordeaceus, aqua potus fuit. Postea Traiectensis Episcopus factus, miraculis illustratus est, Heracleo in Oriente imperante. *Sur. Tom. 1.*

Germain. Episcop. GERMANVS etiam Altisiodorensis Episcopus tenuissimo victu contentus, vino abstinuit. In solennibus tamen Festis ita aqua diluto vtens, vt vinum non saperet. Ante hac hordeaceo pane & leguminibus vixerat, & his non sale, sed cinere conditus, quotidianum seruans ieiunium. Cùm hac cibi ac potus vilitate luxuriam commutauerat epu-

Digitized by Google

epularum, ex Burgundiæ Præfecto Monachus factus, deinde Episcopus Altisiodori. *Henric. Monach. Sur. To. 4.*

EVAGRIVS Presbyter quadraginta annos pane, oleo, & aqua vsus est, deinde annos xvj. pomis coctoque abstinuit. Postea verò etiam panem sibi interdixit, ac per biennium olere tantùm & lentibus vixit. Hic duorum Macha-riorum discipulus fuit, quorum mores imitando adeptus est meritum. *Pallad. Hist. 86.* *Euagrius Presbyter*

SANCTVS quoque Presbyter Hieronymus ad Eustochium virginem scribens, quanto labore in eremo carnis tentationibus repugnarit, recenset, atque inter multa: De cibis, inquit, & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida vrantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. *Hieron. ad Eustoch.* *Hieron. Presbyter*

IDEM Pauli primi Eremitæ vitam describens, Iesum & Angelos eius testatur, in Eremi parte qui iuxta Syriã Sarracenis iungitur, vidisse se Monachos, quorum vnus per annos triginta clausus, hordeaceo pane & lutulenta aqua vixit, alter in cisterna veteri, quam Gentili sermone Syri Cubam vocant, quinque caricis sustentabatur. *Hieron. de Pauli vita.* *Idem.*

PAVLVS autem (vt idem refert) à sextodecimo ætatis suæ anno vsque ad sexagesimum, palmæ fructibus vixit. Deinde vsq; ad cxiij. quo terris relictis ad cœlum migrauit, dimidiati panis fragmentum quotidie coruo alite deferente acceptauit. In aduentu Antonij integer allatus, Deo donante quantum vtrique satis esset. Qui cùm comedissent, ad fontem accedentes, prono ore manibus concauis aquam hauriendo sitim expulerunt. *Hieronymus de laudibus Pauli.* *Paulus primus Eremita.*

TIMOTHEVS quoque Anachoreta, in deserto AEgypti pœnitentiam agens, palmæ fructibus & aquâ de fonte hausta, sustentatus est. *Timoth. Solitarius.*

DOROTHEO Abbati in AEgypto vnciæ panis sex, & o. lusculorum fasciculus, & aquæ congius refectio erat. *In vitis PP.* *Dorothe. Abbas.*

PAMBO Abbas, cùm animam ageret confessus est, quòd ab eo die, quo solitudinem ingressus fuerat, panem non gusta-

gustarit, neque quicquam cuius ipsum pœniteret prolocutus fuerit, & se tamen ficè vitá discedere, tanquam qui modò cœpisset, non tanquam qui profecisset.

Pion Abbas. PION Abbas in Thebaidis deserto, quo minus in edendo voluptatis caperet, deambulãdo sumebat cibum, aqua in potu vsus, quam ipse effosso puteo amaram in dulcem verterat exorato Domino. *In vitis PP.*

Philoron. Presbyter PHILORONIVS Presbyter, in Galatia annos duodeuiginti in cella clausus, pane & coctlo abstinuit, dein duobus & triginta annis nullum pomi genus gustauit, vt omni ciborum dulcedine sepositá, edendi auiditatem coercere facilius posset. *Pallad. Lauf. Hist.* 113.

Hilarion abbas. HILARIONEM Abbatem D. Hieronymus tradit, à decimo quinto vsque ad vigesimum ætatis annum, quindecim caricas post Solis occasum comedisse. Triennio deinde dimidium lentis aquâ maceratæ sextarium, ac deinde totidem annis panem cum sale & aqua, & totidem aliis virgultorum radices herbasque syluestres crudas. Deinde annis nouem hordeacei panis vncias sex, & coctum modicè olus absque oleo. Postea debilitate corporis cõpulsum, olei parum addidisse vsque ad tertium & sexagesimum vitæ annum. Inde vsque ad LXXX. pane abstinuisse, sed sorbitiunculis vsum de farina & olere comminuto factis, potu ciboque vix vncias sex appendentibus. Cæterũ nunquam ante Solis occasum quicquam gustasse, & neque diebus festiuis, neq; in grauissima febre soluisse ieiuniũ. *Hieronymus in vita Hilarion. cap.* 3.

Hospitius. HOSPITIVS ille, qui Longobardorum in Italiam aduentum longè antè prædixit, pane & pomis vescebatur. Quadragesimæ verò ieiunia herbarum tantùm radicumq; refectione trãsigebat semper abstemius. *P. Diacon. de gest. Longob. libr.* 3. *cap.* 1. *Gregor. Turon. Histor. libr.* 6. *cap.* 6. *& 7.*

Romual. abbas. ROMVALDVS Abbas Ordinis Camaldulensis institutor, dum in Eremo vitam ageret, panem & fabam aqua maceratum comedit. *Surius Tomo* 3. *ex Petro Damiano.*

Maxent. abbas. MAXENTIVS Pictauiensis Abbas pane hordeaceo & aqua

aqua victitauit. Arido in loco cùm Monachi siti laborarẽt, terram virga percutiens fontem scaturire fecit, vt scias elementa ei seruire, qui gulæ & ventri dominatur.

GREGORIVS Lingonensis Episcopus panes hordeaceos triticia crusta obductos efficiebat, in aquæ poculum tantillum vini addere solitus, vt aqua suum saporem seruaret colore mutato. Sic occultabat victus angustioris vsum, ostentationem fugiens, & soli Deo placere affectans; etsi ciuitas in monte posita latêre non potuit, semperque fugientem sequitur gloria, sequentem fugit. *Greg. Turon. de vitis PP Gallia lib. 7. & alij.* *Gregorius Episcop.*

IOANNEM Presbyterum, qui in Gallia apud Castresiũ pagum Martyrio coronatus est, crudis herbis & aqua frigida sustentatum ferunt. Qui sponte corpus suum sic afflixerat, illud & Martyrio exponere sine hæsitatione potuit, dissolui cupiens & esse cum Christo. *Ioannes Presbyter Martyr.*

COLVMBANVS in Gallia Abbas, annis sexaginta herbis pantum ac radicibus sustentatus est. Fontem de petra Deum precatus eduxit, qui hodie quoque effluit vbertim, & terram irrigat. *Beda cap. 8. in vita eius.* *Phil. 1. Columb. Abbas.*

ALCIBIADI Martyri apud Lugdunum panis, sal, aqua, victus erat. Sed tãdem in carcerem trusus, ne scandalo esset ijs qui secum erant, reliqua immanita fortassè creditu ris, cùm adhuc infirmi essent, nihil recusauit eorum, quibus ipsi vtebantur, malens abstinentiæ aliquid remittere, quàm fidei scrupulum proximis generare, monente Apostolo ac dicente: Noli esca illum perdere, pro quo Christus mortuus est. *Alcibiad. Martyr.* *Rom. 14*

BLASIVM Sebastæ Episcopum, cùm, Diocletiano Ecclesiam vastante, ad deserta sine viatico declinasset, aues aluerunt, donec inuentus in Christi confessione vitam finiuit. Non solùm igitur in necessitate seruum suum Deus non deseruit, sed etiam prærogatiua Passionis honestauit: esurienti misit cibos, latenti Martirij coronam. *Ado Metaphrast. Sur. Tom. 1.* *Blasius Episcopus & Mart.*

BENEDICTO Abbati, cùm saxeæ rupis olim spelunca clauso panis defecisset, Presbyter quidam diuinitus monitus, prandiolum suum attulit, & quoniam tunc solem- *Benedict.*

nis Paschæ dies erat, secum cibum liberiùs capere hortatus. Deo gratias egit Benedictus, tum quòd sibi victum in tempore prospexisset, tum quòd Sacerdotem suum sibi in solitudine videndum obtulisset, taliq; lętus hospite, grata inter ea, quæ allata erant, vnà cum illo comedit. *Gregor. Dial. lib. 2. cap. 1.*

Lupus Archiepi. LVPVS Senonum Archiepiscopus, cùm secum cœnantibus vinum defecisset, sperare omnes in Domino iussit, nec metuere sibi quod speraſſent defuturum. Vix dum sermonem sinierat, ei nuntiatum est, cados vini plenos ante ianuam stare, ipso qui attulerat incognito atque incerto, neque inter conuiuantes dubitatum est, quin à Deo missi fuissent *Sur. Tom. 5.*

Egidius Abbas. EGIDIVS Abbas ad Rhodani ostia latebram sibi eligens, triennio nulli cognitus, cerua lac præbente nutritus est. Postea, inuentus atque inde eductus, præesse Monachis cœpit. Igitur quàm din hominum commercio caruit propter Deum, bestiæ obsequio dignus fuit. *Fulbertus Carnotensis.*

Erasmus Episcop. ERASMVS Episcopus Diocletiani persecutionem fugiens, in monte Libano à coruis pascitur, ab Angelis visitatur, ferę etiam siluestres posita ferocitate illi blandiuntur. *Iacob. de Vorag.*

Anton. Martyr. ANTONIVS Martyr Apameæ passus, cùm de via fatigatus sitiret, & arentis loci solum nullis rigaretur aquis, preces ad Deum fudit, virga humum percutit, atque inde fons emanauit, cuius potu refocillatus, iam confidentius ad Martyrium cucurrit.

Basolus Abbas. BASOLVS quoque Rhemensis Abbas, in Galliæ partibus, dum montem solitarius incoleret, nec aquam haberet, Deum precatus, fontem de rupe manare fecit, qui etiam num fluere dicitur. *Sur.*

Franciscus. BEATVS enim Franciscus, dum rustici cuiusdam sitim in solitudine miseratur, procumbens Dominum deprecatus est, moxque humus fonticulum emisit, cuius haustu rusticus, qui iam moribundus sicco ore anhelabat, recreatus, vixit. Ac ne plura eiusmodi enumerem: nudos ad prædicandum Apostolos miserat Dominus, & interrogati, an missis

missis sine sæculo, & pera, & calceamentis aliquid defuisset, respondérunt, nihil. Quid enim deesse potest ijs, quib⁹ adest ille, per quem facta sunt omnia? *Bonauent. cap. 7. Sur. Tom 5.*

SED ne à proposito diuertisse videamur, illud quoque hoc loco puto referendum, quod in Monasterio Tabernensi, vbi Amos Abbas mille quingentis Monachis præfuit, legimus obseruatum. Fratres ad mensam congregati, pendentibus à fronte cucullis, ita oculos tegebant, vt alius alium videre comedentem non posset. Itaque tantùm quisque sumebat, quantùm collibuisset, & singulorum continentia singulos latebat, ne inani gloriæ daretur occasio, sed diuino conspectui munus illud sinceriùs offerretur, quod submouebatur humano. *In vit. Patrum.* *In Monasterio obseruatum.*

PROMAMVS aliqua etiam hoc in genere fœminarum exempla. Agar Ancilla, cum Ismaële filio eiecta, panem tantùm & vtrem aqua plenum secum in solitudinem defert. Consumpta deinde aqua, puer & ipsa siti vexati, fonte Angeli pietate ostenso refocillantur. Abraam diues erat, & inuitus illam emittebat: in Angelo diuina virtus omnia poterat: sed & ille ægrè dimittens, & hic multum miserans, aquam solam ad potum cessisse ei scribuntur, vt hinc facilè conijci possit, iam tum mulieribus nefas fuisse vinum bibere. *Fœmina. Agar ancilla. Genes. 21.*

RVTH Moabitis in agro Booz, cùm spicas deciduas legeret, benignè ab ipso accepta, panem tantùm iubetur comedere, & buccellam intingere in aceto, & cùm sitierit, easdem aquas potare, quas potabant messores. Quod illa quidem pro magno munere habens, gratias egit, comedit, que & bibit. At ipse quam victu tam parco, tamq; simplici delectari vidit, dignam censuit, vt sibi acciperet vxorẽ, & ex ea filios procrearet, non dubitans de pudicitia illius, cuius sobrietatem fuerat expertus. *Ruth. 2.* *Ruth Moabitis. Ruth. 2.*

IVDITH cùm ad illud grande facinus, quod mente agitauerat, perficiendũ properaret, imposuit (vt ait Scriptura) Abrahæ suæ ascopam vini, & vas olei, & polentam, & lapates, & panes, & caseũ, & profecta est: à carnibus ergo absti- *Iudith vidua. Iudith. 10.*

abstinebat, atque (vt ego existimo) etiam à vino, tunc tandem modo illo vsa, cùm & animi audacia opus esset, & vires quas ieiunio cilicioque antè fregerat, excitandæ acriore potu essent, vt fœminæ dextera ad secandam torosam tyranni ceruicem posset sufficere. Quæ enim vinum contra Holophernem tulit, eam contra carnis molestiam ieiunijs & abstinentia certasse nouimus. Quoniam aliter quidem pugiles & gladiatores alendi sunt, aliter serui Christi. *Iudith.* 10.

Anna Heliane. PRAETEREA non minor Iudith viduæ, quam Annæ Helcanæ vxoris sanctitas in Scripturis prædicatur, Anna tamen vinum, & quod inebriare potest, nunquam se bibisse dixit. Etsi coniugalis pudicitia minùs tutam se putauit, si vinum gustasset: quomodo vidualis castitas eodem gustu corrumpi non formidaret, cùm hæc illa interior sit, difficiliusque seruetur? *Reg.* 1.

Martha Virgo. MARTHA Virgo Christi hospita & Christi sponsa, post eius ad cœlos ascensum, carnem nullam comedit, à lacticinijs quoque & vino abhorruit, quotidianum seruans ieiunium, donec rursum suauissima hospitis & Domini sui præsentia satiari sibi liceret, iam nunquam ab ipso recessura. *Iacob. de Vorag.*

Maria Magdal. Luc. 10. MAGDALENAM verò sororem eius in deserto diuinis magis, quàm humanis alimentis, fuisse sustentatam accepimus, dum partem illam optimam possidere nititur quam elegerat, & quæ non auferetur ab ea. *Iacob. de Vorag.*

Asella. ET vt quædam, quæ præcedenti Capite dicta sunt, hîc etiam breuiter repetantur, Asella virgo pane, sale, & aqua contenta fuit. *Paula Euphraxia.* Paula oleum in cibo non cœpit, lacticinia, mel, & alia palato suauia, gustare noluit, vinũ ne infirma quidem. Euphraxia præter hæc, fructus gustu dulces repudiauit. *Maria AEgypt.* Maria AEgyptiaca vel crudis herbis radicibusque, vel cibo nullo vixit. *Maria Egnatien.* Maria de Oigniés pane & aqua vacuũ & ieiunũ ventré reficiebat, inedia semel ad trigesimum, iterũ ad quinquagesimum produxit diem, rapta in spiritu, vt dictum est. Quisquis ad istarum gloriæ sublimitatem peruenire cupit, harũ quantum potest imitetur conti-

Digitized by Google

continentiam. *De his dicus Hieronymus ad Asellam. In vitis PP. Iacob. de Vitriac.*

MVLTA sunt huiusmodi exempla, quæ longum esset enarrare. Te tamen, Otilia Virgo, tacere omnino non possum, quæ leguminibus & hordeaceo pane lassum ieiunijs corpus sustentasti, donec in cælestibus regnis grano illo frumenti satiari meruisti, quod cadens in terram multum fructum attulit. O quàm breuem esuritionem æternæ immensæque dulcedinis subsecuta est saturitas? Dum te cibi vilitate mortificas, facta es immortalis. Pro hordeaceo pane, panem accepisti vitæ, pro leguminibus vberrimum perennis lætitiæ fructum. *Iacob. de Vorag.* *Otilia Virgo.*

HIS iam dictis exemplis, operæpretium est etiam paucas è multis D. Hieronymi sententiolas apponere, vt illa sequi volentes, præceptis quoque tanti viri instructi cautiùs incedant. Ad Lætam de institutione filiæ scribens: Ante annos robustæ ætatis, inquit, periculosa est teneris & grauis, abstinentia. Vsque ad id tempus, si necessitas postulauerit, & balneas adeat, & vino vtatur modico propter stomachum, & carnium edulio sustentetur, ne priùs deficiant pedes, quàm currere incipiant. Et hoc dico iuxta indulgentiam, non iuxta imperium, timens debilitatem, non docens luxuriam. Deinde cùm iam adulta & firmior fuerit, ait: Cibus eius oluscula sit & similia, caroque pisciculi. Sic comedat, vt semper esuriat, vt statim post cibum possit legere, orare & psallere. Ad Nepotianum: Fortissimum ieiunium est, inquit, aqua & panis, sed quia gloriam Dei non habet, & omnes pane & aqua viuimus, quasi publicum & commune ieiunium putatur. Caue ne hominum rumusculos aucuperis, ne offensam Dei populorum laude commutes. Virgines quoque Deo dicatas erudiens: Quando vos, inquit, ad refectionem hora debita adunauerit, in cibis vestris minimè refulgeat coquorum industria: non ciborum nobilitas appetitum moueat, sed fames: non apponantur incitamenta libidinum, sed quæ possint famem extinguere, aut legumina, aut olera codiantur in oleo. Carnes verò solùm sint, ex licentia Abbatissæ, indultæ debilibus & infirmis, alioquin cuius sint saperis, ignoret *Sententiæ Hieron. Epistol. ad Lætam.* *Epist. ad Nepotianum.* *Ad Virgines c. 35.*

cœnobium. Oua & lacticinia post ieiunia debilitatis sororibus, & præcipuis Festiuitatibus permittantur ex gratia. Rarò sciantur, quæ in aquis oriantur & viuant, nisi parui pisciculi: Deinde subdit: Tanta sit in sumendo sobrietas, tanta talisque parcitas, vt venter potiùs conqueratur, quàm gaudeat, non egeat in digerendo stomachus medicinis, ructum potiùs vacuatio, quàm nimia repletio inducat: Idem ad Matutam Virginem: Carnis & vini species, quasi caloris fomenta & libidinis incitamenta, fuge, & tunc fortè vino veteris exiguo, cùm stomachi dolore nimiò corporis compellit infirmitas. Et ne plura id genus congerendo longior sim, ad Demetriadem Virginem scribens, ait: Optimus est in omni re modus, & laudabilis vbique mensura. Corpus non frangendum, sed regendum est. Sic ergo debes ieiunare, ad Rusticum Monachum, inquit, vt non palpites, & respirare vix possis, sed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in Vigilijs solito, quid minùs facias. *Hieronymus ad Rusticum.*

Ad Matutam Virginem

Ad Demetriadem Virginem.

De obedientia seruanda. CAP. III.

QVONIAM verò nihil prodest corpus ieiunijs & abstinentia tenuari, si mens pariter intumescat superbia, hinc iam Dei Seniorumque mandatis obediendi humilitatem docebimus, Sanctorum sequentes vestigia. Neque enim errare poterimus, si semper eorum dirigeremur exemplis, qui Deo placuerunt.

Abra-

ABRAHAM vt Deo obediret, patriam, domum, cognationemque reliquerat, se suosque omnes circuncidi sustinuerat, denique filium vnicum vniceque dilectum suis immolasset manibus, si Deus quod iusserat impleri voluisset. Non dixit: In Isaac mihi promissum est semen: quare nunc puer adhuc occidi mandatur? Non dixit: Quomodò vnici filij sanguine infœlix pater manus polluam? Tacitus iussa exequi maturat, vt discas, non discutiendum mandatum esse eorum, qui præsunt, sed perficiendum. *Genes.* 12. *&c.*

Saul

SAVL iussus disperdere Amalechitas, bello superatos

Digitized by Google

nec-

neci dedit. Agag autem regi eorum pepercit, Deoque inobedientiæ crimen vlciscente, sublatum est ab eo regnum, & traditum alteri. Non enim Lex impletur, nisi tota seruetur. Cui autem ille pepercerat, eum Samuel propheta coràm adductum, frustatim concidit, vt crudelitatem pietatem esse doceret, dum obsequium pręstatur Deo. 1. *Reg.* 15. *Samuel Propheta. 1. Reg. 15.*

PROPTEREA quidem & Achab rex per Prophetam à Domino arguitur, quòd deuictis Syris regem eorum Benadab dimiserit illæsum, cùm morte dignus esset, & dicitur illi: Erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. 3. *Reg.* 20. *Achab rex.*

ILLE quoque, qui eundem Prophetam, vt sibi vulnus infligeret ex Dei voluntate imperantem, ferire noluit, à leone laceratus inobedientiæ pœnas dedit. Alter verò obediendo percutiens, seruatus est. Hinc apparet, quàm grande nefas sit, vt alicui mortalium parcas, Deo omnium conditori ac Domino obsequi nolle. *Ibidem.* *Ibidem.*

IEHV verò rex Israel, cùm omnes qui de domo Achab regis erant, iussu Domini interfecisset, continuò audire meruit: Filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super domum Israel. Itaque obedientiæ eius meritum filijs etiam, posterisque eorum vsui fuit. Quartę enim generationis huius extitit finis in Zacharia filio Ieroboam, Sellum filio Iabes regnum occupante. 4. *Reg.* 10. *Iehu rex.*

AMASIAS rex Iuda, cùm aduersum Syros expeditionem parasset, viro Dei obediendo, ex autoritatis atque dimissis centum millibus militum, quos condùxerat de Israel, cum triginta millibus suorum copias hostium inuadens superauit, cum vtraque multitudine simul vincendus, nisi paruisset. Cæterùm hac elatus victoria, cùm eiusdem Prophetæ monita contempsisset, à rege Israel Ioas victus captusque, cognouit, quantùm sibi priùs profuerit obedisse, cùm tantùm postea non obedisse nocuerit. 2. *Paral.* 25. *Amasias rex.*

RECHABITAE patris Ionadab institutionem secuti, vinum non bibunt, domos non ædificant, non serunt, non plantant, sed in tabernaculis semper vagi peregrinantesque *Rechabitæ. Ierem. 35.*

que habitant. Et si illi tam difficilia patris præcepta impensè coluerunt, quàm iniquus est, qui multò faciliora leuioraque Dei mandata seruare contemnit? Hinc proposita eorum obedientia, Iudeorum inobedientiam per Prophetam increpans Dominus, alteros captiuitatis iugo affligendos minatus, alteros autem semper suo fruituros conspectu repromittit. Et si sic remunerantur, qui obtemperant patri, quantò magis qui parent Deo? *Ierem.* 35.

Isaiæ 56. QVI custodierint Sabbata mea, inquit, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

Apostoli. NVNC Euangelij exempla, proprias voluntates cruci affigentes, aggrediamur. Mirabilis in primis iam à principio Apostolorum obedientia fuit. Nondum Christum miracula facientem conspexerant, nondum cælestis regni retributionem per illum futuram audierant, & statim vt vocauit eos, relictis omnibus, ipsum secuti sunt, atque ita eidem adhæserunt, vt nulla deinde aduersitate, nullis persecutionum tempestatibus auelli separarique potuerint. Qui enim semel gustauerit quàm suauis est Dominus, omnes alias suauitates facilè contemnet.

Matth. 4.

Idem, Luc. 6. SED neque tunc paruum obedientiæ specimen dedêre, cùm in deserto turbæ discumbenti iussi cibos apponere, quinque panes & duos pisces, id est, totum quod habebant, nihil sibi reseruantes, porrexerunt: Siquidem ipsi fame periclitari, quàm necessitatem excusando Domino suo non statim obtemperare, malebant. Et quoniam lubenter paruerant, multò plura collegerunt quàm obtulerunt.

CVM deinde ad insinuandam Gentibus veritatem destinarentur, & supplicia & neces sibi perferendas didicissent, *Psalm. 18.* nunquid, quo minus obedirent, exterriti sunt? In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et cùm verberibus minisque agitarentur, vt tacerent, *Act. 5.* responderunt: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.

IPSI

IPSE quoque Dominus, vt nobis obedientiæ suopte exemplo præberet documentum, parentum obsequio subdi voluit. Et erat (inquit Euangelista) subiectus illis, & hoc quidem cùm iam sapientia, & ætate, & gratia proficeret apud Deum & homines, ne puerorum more blanditijs aut metu subiectum fuisse putes. Non fuit infirmitatis, sed pietatis, & liberi gratuitique obsequij ista subiectio. *Iesus Christus.* *Luc. 2.*

QVALITER autem & cælesti Patri obsequendum esset monstrauit, cùm diceret: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me. Et: Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me Patris. Et: Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Et ad Patrem: Non sicut ego volo, inquit, sed sicut tu. Dimisit voluntates hominis & Dei Deus, & homo Christus, vt discamus diuinam voluntatem semper humanæ præferre, & carnis affectum spiritus affectui subiugare. Denique Apostolus de illo: Humiliauit, inquit, semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. *Idem.* *Ioan. 4.* *Ioan. 5.* *Ioan. 6.* *Matt. 26.* *Philip. 2.*

QVOD autem Episcoporum Abbatumque & aliorum, qui præsunt, iussa mandataque sine cunctatione capessenda sint, etiam cùm nobis minùs rationis habere videbuntur, Petri Apostoli exemplo patet: Non lauabis mihi pedes in æternum, inquit, indecens & indignum ratus, vt Dominus fungatur officio serui, & seruorum quasi dominorum suorum lauet pedes. Sed quòd indecens esse non poterat, quicquid illi iuberet, mox intellexit, cùm audiuit se non habiturum partem cum ipso, nisi lauari permitteret. Ideo protinus obediens exclamat: Domine, non tantùm pedes, sed & manus & caput. Nos igitur quicquid Præpositi nostri nobis iniunxerint, priùs exequi quàm causas inquirere curemus. Præposterum enim videtur, vt cuius officium est obedire, is de Seniorum sententia iudicet. *Petrus Apostolus.* *Ioan. 13.*

PAVLVS Monachus cognomento Simplex, Antonij discipulus, cùm primitus mysteriorum ignarus quæsisset, esset ne Prophetis prior Christus? ineptam interrogationem silentio diluere iussus, triennio tacuit. Post hæc cùm multa illi absurda & superuacua experiundo tantùm obedien- *Paulus Simplex.*

Google

dientiæ causa imperarentur, veluti necessaria perficere nunquam distulit, sicuti aquam haurire, & hausta rursus effundere, vestes dissuere, & easdem dissutas iterum consuere, & alia huiusmodi, quæ ille non quòd friuola futiliaque essent, sed quòd iussa perpendens, libenter exequebatur, diligenterque implebat. *In vitis PP. & Pallad. Laus. hist.* 28.

Interseramus adhuc aliquod inobedientiæ exemplum, vt quantùm hæc nocuerit, tantùm obedientia ipsa profutura noscatur.

Quidam inobediens.

FRATER quidam ægrotans in Monasterio Scythi, cum adire ciuitatem pararet curationis gratia, & Moyses Abbas à proposito illum deterreret, simulque prædiceret, si discessisset, fornicatione polluendum: Iniussu eius abijt, & mulierem quæ languenti ministrabat, cùm conualuisset, vitiauit. Quantò illi melius erat morbo perisse, quàm peccato? Mori timuit, & multò grauiorem mortem incurrit, dum obedire negligit. *In vitis PP.*

Ioannes Abbas.

IDCIRCO quidem Ioannes Abbas in Scythi, quem Sol iratum non vidit, ex hac vita ad meliorem migraturus, præcipuum Discipulis suis documentum relinquere volens, nunquam quicquam se ex sententia sua egisse dixit, sed Seniorum: nunquam aliquid docuisse, quod prior ipse non fecisset. Hoc erat propriæ renunciare voluntati, & in docendo nihil præsumere. In hoc ille summam penè virtutum putauit, quidum decederet, fratres suos plura monere necessarium non esse censuit. *In vitis PP.*

Ioannes alter.

IOANNEM alterum, apud Lycum Thebaidis oppidum commorantem, obedientiæ virtus eò prouexit, vt futurorum præscium faceret. Huic obsequij experiundi causa Abbas præcepit, vt palum aridum in terra defixum, aqua, quæ duo millia passuum à Monasterio distabat, bis per diem aduecta totidem vicibus irrigaret. Cumque vidisset, neque labore illum defatigari, neque ligni nunquam ad viriditatem redituri desperatione commoueri: post annum in tali opere consumptum interrogat, an lignum illud iam radices egisset, & ne nescire respondentem, euerso ligno, vt ab irrigatione desisteret iussit. *Cassian. de Institutione, lib. 4. cap. 23.*

ALIVD

Digitized by Google

ALIVD deinde obedientiæ eius periculum facere volens, cùm multi adessent promptitudinis eius in obsequendo fama exciti, mandauit vt de cellario lenticulam, quæ oleo plena erat, proferem per fenestram proijceret: tantillum illis olei erat, & quidem in deserto, vbi is liquor neque mutuo sumi, neque emi poterat. Concitus tamen ipse, non inopiæ, non loci rationem ducens, quod iubebatur, perfecit. *Ibidem cap.* 25. *Idem.*

ALIAS quoque saxum ingens, & quod multi simul mouere non valerent, solus aduolueret, Abbas præcepit. Tunc ille quidem toto conatu frustra nitens, vires experiri non cessauit, donec multo sudore madentem, iam quiescere idem Abbas iussit. Hac obsequiorum simplicitate Ioannes prophetandi donum consecutus, in magnis bellorum difficultatibus Theodosium Principem, ne cum hoste congredi timeret, suis animauit oraculis, certissimo victoriæ euentu: ita vt ille deinceps certamen nullum iniret, nisi ipso consulto. Igitur qui olim omnibus Abbatis sui iussis fuerat obsecutus, eius deinde responsis obediuit imperator. *Ibidem, cap.* 23. *Idem.*

ALBINVM Andegauensem Episcopum, dum adhuc adolescens in Monasterio degeret, & ad perficiendum Abbatis mandatum pergens, effusum repentè imbrem sub tecto declinasset: eo procellæ vi diuulso ac perplnente, cæteris qui illuc conuenerant, haud parum madefactis, ipsum solum aqua non aspersit. Mirabantur omnes, & cùm audissent eum ab Abbate missum iter facere, miraculum obedientiæ merito imputarunt. O prægrandis virtus, quam inanimatum elementum ita reueritum est, vt attingere non auderet! *Gregor. Turonens. de glor. Conf. cap. 96. fur. Tom.* 2. *Albinus Episcopus.*

GVILIELMVS Aquitaniæ quondam & Prouinciæ Dominus, postea verò ita humilis monachus, vt nihil tam paruum neque tam infirmum esset, quod se indignum iudicaret, dum id sibi faciendum Abbatis authoritas iniunxisset. Iussus ergo aliquando panes coquere, cùm iam coquendi tempus instaret, confestim succendit fornacem, rutabulo ignem circumuertit, sed scopam, qua prunas euerteret, lo- *Guilielmus monachus.*

ret, locumque ponendis panibus aptaret, non habuit. Infliens ergo in fornacem melote pro scopa est vsus. Tum demum coctos panes fratribus nihilo tardiùs quàm res poscebat attulit, nulla corporis aut indumentorum parte læsa, vt propensæ obedientiæ alacritatem intelligas, & inter pericula securam, & inter infima nobilem. Factus est hic quidem de Aquitaniæ Prouinciæque Domino monachorum furnarius, sed de monachorum furnario factus est regni cælestis perpetuus possessor, terræ regibus maior, Dei Angelis par. *Theobaldus & alij, Sur. Tom. 1.*

Berchar. Abbas.

BERCHARIVS Luxouiensis Monasterij Abbas, antequam præesse cœpisset, singularem apud omnes obedientiæ suæ commendationem miraculo auxit, dum vinum de cado in vrnam traheret, ab Abbate vocatus, relicta vrna festinus cucurrit. Vinum verò sicuti fluebat, repleta vrna, non est effusum, sed sic steterit ac si gelu concretum esset, donec ille reuersus cadi foramen tereti in mucronem ligneolo obturauit. Tunc qui aderant, haud dubitarunt, quin hoc illi alacris admodum atque impigræ obedientiæ merito contigisset, vt qui se totum Abbatis voluntati libenter tradiderat, ad eius votum fluentis naturæ liquor pro tempore suspensus perstiterit. *Vincent. in Spec. Histor. lib. 24. cap. 144. 145. Sur. Tom. 5.*

Gallus Monach.

GALLVS Columbani Abbatis discipulus, & Hildeboldus Diaconus, piscículos quos de flumine retiaculo traxerant, in solitudine assaturi, ignem concinnabant, cùm interim Vrsus miræ magnitudinis propiùs accedens Diaconum quidem terruit, sed Gallo iubente vt ligna igni inferret, obediuit. Hoc ideo sanè hîc referendum duximus, vt qui Præpositis suis reniti audent, tali exemplo magis confundantur, quando & syluestres feræ iussa Sanctorum reuereantur & obseruent. *Sigeb. de viris illustrib. cap. 71. & alij.*

Hieron. Presbyter.

SIC & diuo Hieronymo vrsis etiam belua ferocior Leo obsequium præstitisse dicitur. Asellum monasterij ad pascua educere, pascentemque comitari suetus, agasonis fungebatur officio. Sed asello amisso iussus ipse ligna dorso offerre, onerari se multa cum mansuetudine patiebatur, do-

Digitized by Google

cur, donec postea inuentum ante se ad monasterium agens reduxit. Ecce bruta animalia Seniorum iussis obsequuntur, & homo rationis capax audet refragari. Certè quisquis eorum restiterit imperio, ijs iam dictis exemplis, feris beluis asperior irrationabiliorque conuincetur. *In vita Hieronym.*

ID oppidò cauens Marianus monasterij Bituricensis Monachus, Mamertino Abbati ita se subiecit, vt bubulci seruitio fungi iussus, non grauatim obediret, nihil vile aut contemptibile arbitratus, quod sibi agendum ille iniunxisset. *Iacob. de Vorag.* *Marian. Monach.*

FRATREM quendam refert Cassianus non obscuro loco natum, cum relictis mundanę conuersationis rebus Religioni se tradidisset, sportulas venales Abbatis iussu publicè circumtulisse, vnamquamque singulatim distrahendo, ea tantum de causa, vt diutius in foro esset, & an illum tam abiectæ negotiationis depuderet, longiore experientia pleniùs nosceretur: omnia summa animi constantia curaque peregisse, postposita generis nobilitate, sanctæ obedientiæ humilitate, ne stiuam manu tenes & aspiciens retro, ineptum se faceret regno Deo. *Cassian. de institut. lib. 4. cap. 29.*

IDEM author Mutij Abbatis miram obedientiam, ac nisi veteris Instrumenti par exemplum ei adstipularetur, penè incredibilem enarrat, dicens eum vnico filio suo non peperciſſe, vt Abbati obediret. Vnà enim cum illo paruulo adhuc Monasterium ingressus, vt cellulis dispararentur sustinuit, & cum puer de industria in conspectu eius increpitaretur, verberaretur, miseris acciperetur modis, neque lachrymis, neque clamoribus eius moueri potuit, vt verbum vnum proferret. Denique simulata in puerum indignatione Abbas, patientiam pariter obedientiamque Mutij quam maximo probaturus argumento, iussit vt arreptum filium efferret, & in proximum flumen suffocandum iactaret. Nihil moratus ille, vnicum vt mergeret tulit, sed quibus negotium datum erat, cùm ad ripam fluminis ventum esset, sese opponentes inhibuerunt. Post hæc Abbati reuelatur, Mutium Abrahæ Patriarchæ obedientiæ *Mutius Abbas.*

Digitized by Google

meritò comparandum, dignumque cui post se Monasterij cura committeretur. Cùm hoc ita sit, quis dubitat, quin Præpositorum iussa perinde seruanda sint ac Dei, pariqué sedulitate adimplenda? *Ibidem, cap. 17.*

Lambert. Episcop.

HINC & Lambertus Trajectensis Episcopus cùm inuidorum malignitate Episcopatu motus ad Monasterium Stabulense confugisset, monachalem seruans vitæ modum, & nocte quadam ad orandum à lectulo desiliens, percusso pedibus pauimento strepitum fecisset: Abbas eò quòd silentij ea hora erat, quasi subinde indignè id ferens, voce sublata ait, vt quisquis illud culpæ commisisset, continuò ad crucem exiret, non antè, quàm diei crepusculum esset, reuersurus. Crux autem ipsa extra Monasterij septa sub diuo erecta stabat. Repentè igitur Lambertus, sicut nudis pedibus adhuc, & cilicio tantum indutus erat, abijt, & hoc quidem brumæ tempore, vt multi mirarentur, quomodo algore contractus non expirasset. Mane semiuiuum reduxerunt, & Abbas veniam petijt, affirmans nunquam se putasse, hoc Monachorum aliquem facturum, nedum Episcopum. Ideoque ioco, magis quàm seriò, verbum protulisse. Hac tamen obedientiæ subiectione Lambertus meruit, & in Episcopatus sui sedem restitui, & tandem Martyrio coronari. *Godescalc. & alij, Sur. Tom 1.*

Ioannis Abbatis duo discipuli.

NON minus constantis, licet minus prudentis, obedientiæ est exemplum quod sequitur. Ioannes Abbas eremique Scythiæ œconomus, ficus de Mareote Lybiæ sibi muneri missas, duobus adolescentulis ad senem quendam, procul in vlteriore deserto manentem, deferendas dedit. Quos dum iter agerent, nubilosa circumfudit caligo, ita vt quò pergerent, nescirent. Per vastam igitur errando solitudinem, diem noctemque consumpsere, senis cellula nusquam inuenta. Cumque diu expectati non redirent, reperti sunt positis genibus animas efflasse, illibatis ficubus quas secum tulerant. Siquidem inedia perire, quàm Abbatis præuaricari mandatum, maluerunt. Quàm id rectè nescio, cum mandantis voluntas non eò tenderet, vt innocentes discipulos fame confici vellet, & escam quam in manibus habebant non gustare: illi tamen

Digitized by Google

men stupendę cuiusdam cōstantię prębuerunt exemplum.

COLVMBANVS Abbas Gallo discipulo (cuius paulo antè mentionem fecimus) inobedientiæ crimen obiecisse dicitur, quòd ad Ligonem fluuium piscationem fecisset, quam ad fluuium Bruscam facere iussus fuerat. Gallus autem vtrùm in hoc an in illo fluuio piscaretur, nihil referre arbitratus, dummodo opus quod iubebatur peregisset, tum demum aduertere animum cœpit, secumque cogitare, quòd ideo fortasse sine piscibus redisset, quia cuncta quæ iussa fuerant, non plenè fuisset executus. Itaque iterum tentata piscatione, multisque in illo quod sibi assignatum fuerat flumine captis piscibus, didicit mandati non rem solum, sed etiam verba singula diligentiùs esse perpendenda. *Beda, Sur. Tom. 3.* *Gallus Columbani discipulus.*

VENERII quoque Monachi obedientia non est silentio inuoluenda, cùm & ipsa plurimis documento esse possit. Hic solitariæ vitæ cupiditate ardens, inscio Abbate discesserat, tugurioluméque sibi posuerat in deserto. Cæterùm à sancto Romualdo reprehensus, quòd absque Præpositi sui permissu monasterium reliquisset, ideoque casso & infructuoso labore ipsum cælum versus niti, quàm diu inobedientiæ premeretur grauitate, non distulit quin statim ad Abbatem suum rediens, & culpæ veniam rogaret, & in solitudine viuendi copiam. Vtroque impetrato, iam certiore promerendi spe Christo solitarius seruiuit. Igitur ex beati Romualdi sententia & Venerij exemplo faciet, quisquis ad districtioris vitæ institutum, non nisi eo qui præest consulto ac permittente, transierit. *Venerius Solitarius.*

Alterius nunc sexus exempla perpauca subiungam, ne modum excedat oratio. Elizabeth regis filia, cuius sæpe fecimus & sæpe facturi sumus mentionem, adeò vna omnibus ferè affluit virtutibus, nolens ne in ipsa quidem mariti domo, suo viuere arbitrio. Conradum mendicum & religiosum senem sibi magistrum adsciuerat, cuius imperio ac nutu in viam Domini dirigeretur. Igitur die quadam illo iubente, vt ad audiendum Dei verbum Ecclesiam peteret, Marchionissæ Mesenensis improuiso superuentu præpedita ire omisit, ne si tantam fœminam modò domi ac- *Fœmina Elizabeth vidua.*

Digitized by Google

ceptam tam citò reliquisset, parum honori habuisse videretur. Non accepit excusationem Conradus, & vt inobedientiæ culpam flagellis dilueret, mandauit. Continuò illa positis vestibus, linea tantùm tunica quæ nuditatem tegeret derelicta, ipso spectante tamdiu se loris diuerberauit, donec idem vt cessaret præcepit. Minus obsequiosi animi argumentum edidisset, si tunc ad Ecclesiam, cùm iussum fuerat, accessisset. Leui in re non obediuit, vt in multo difficiliore se obedientem probaret, *Conrad Concion.*

Euphros. Virgo. EVPHROSYNA Virgo Pafnutij Alexandrini filia (Smaragdus monachus dicta & credita) quoniam illi multus in vultu decor inerat, quocunque se verteret, omnium in se oculos conuertebat. Hanc ob rem ne fratrum mentes Deo intentas præsentia sua labefactaret, iussa est cellulæ suæ ianuam vltrà non egredi, sed ibi humanis pariter diuinisque defungi officijs. Paruit non libenter minùs quàm constanter, octo & triginta annos carcerem passa perpetuum. Tunc tandem quòd fœmina fuisset deprehensum est, cùm defunctæ corpusculum de more lauarent. O patientiam animi incredibilem, qua sustinuit tanto tempore sexum vestibus, se cellula tegere, vt & Christo seruiret, & Abbati obtemperaret! Quanti autem meriti esset apud Deum, miraculo patuit. Frater quidam cadauer osculatus, oculum, quem olim amiserat, integrum recepit. Illa igitur quæ obediendo, oculis omnium se subtraxerat dum viueret, mortua postea, solo tactu reparare erutos poterat. *In vitis PP. Sur. Tom.* 10.

Obedientia triplex. HAEC sunt perfectæ consummataque obedientiæ exempla, non seruilis, non mercenariæ, quarum alteram elicit timor, alteram præstat cupiditas: neutra laudatur, sed seruilis melior. Per hanc enim plerumque aditus fit ad istam de qua loquimur, quæ propria filiorum est, qui non tam patris reuerentur seueritatem, quàm probitatem amant. Ea verò obedientia quæ venalis est, nihil nisi lucrum sequi solet, & si quando Ecclesiæ seruit, non amore vel timore Dei ducitur, sed pensione pecuniaque, quam seruiendo capit. Itaque prauis auaritiæ solicitudinibus, quasi stimulis furoris percita, non facilè resipiscit, nec

pecca-

Digitized by Google

peccata deuitat, nec virtutes amplectitur, cùm omne eius studium in parandis cumulandisque diuitijs sit. Hanc fugiamus, & ad illam, quam proposuimus, totis viribus contendamus, vt ad Paradisi celsitudinem, vnde per inobedientiam superbiamque eiecti fuimus, per obedientiæ humilitatem ascendamus. Omnis anima (vt Apostolus inquit) potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Idem alibi: Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. Apostolorum quoque princeps Petrus: Adolescentes, inquit, subditi estote senioribus, omnes inuicem humilitatem insinuate, quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ne quis præterea impatientiam suam excusare possit Præpositi duritia asperitateque, idem alibi ait: Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè. Præpositis verò Ecclesiæ rectè religioseque præcipientibus ita obsequi debemus, vt Deo. Ad illos enim locutus est Dominus, dicens: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Vetus etiam lex (vt in Deuteronomio legimus) nolentes obedire Sacerdotis imperio, morte multandos definiuit. Et si filius contumax & proteruus patris iussa contempserit, lapidibus obrui iubetur. Per inobedientiam vxor Loth versa est in statuam salis. Onan Iudæ filius à Domino percussus perijt. Dathan & Abiron terræ hiatu absorpti sunt. Saul à Deo reprobatus, & hostili gladio traditus. Ahiel Iericho vrbis reædificator vnà cum liberis interijt. Amasias rex, cùm obediuit, vicit: cùm obedire noluit, victus est. At si fortè quicquam aliquando iussum fuerit, de quo non ambigitur quin diuinæ repugnet sanctioni, Deo potiùs, quàm homini, mos geratur. Omnibus omnium mandatis, Dei mandata præferenda sunt. Neque vlla alia causa prior potiorve esse debet, cur dignitate vel ætate præstantibus parendum sit, quàm vt Deo placeatur,

Ad obedientiam exhortatio.

Rom.13.

Hebr.vlt.

1.Pet.5.

1.Pet.2.

Luc.10.

Deut.16.

Vxor Loth.

Onan.

Dathan & Abirō.

Saul.

Ahiel.

Amasias.

1. Petri 2. tur, Deoque seruiatur, dicente Petro Apostolo: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. Postremò, vt Prophetæ testimonio discas, quanti apud Deum momenti sit ista virtus: Melior est obedientia, inquit, quàm victimæ, & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum. 1. Reg. 15.

De Veritate colenda, mendacioque fugiendo.
CAP. IV.

HACTENVS de obedientia, nunc de veritatis obseruatione nobis sermo erit. Quæ virtus cùm omnibus conuenit, tum præcipuè Religiosis. Alioquin quomodo Christi serui dicerentur qui veritas est, si mendacijs animum applicarent? Aut quomodo Deo placere possent, si diaboli opera æmularentur? Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater eius. Ioan. 1. Ioan 8.

VETVS Testamentum summos veri cultores habuit Prophetas, qui quidem pro eo asserendo vitæ periculum adire non formidabant.

Vir Dei in Bethel. VIR Dei ille in Bethel nequaquam veritus est Ieroboam regis præsentiam, vt prophetaret aduersus sacerdotes excelsorum ab ipso cõstitutos. Rex verò ira percitus, protenta manu, propherantem comprehendi iubebat, & manus quam protenderat aruit. Ita vt quem vlcisci voluerat, continuò eundem pro instauranda manu supplex rogaret. Vlque adeò is qui vera prædicere ausus fuerat, ipso etiam rege tunc maior fuit, lædi nõ potuit, læsum sanauit. 3. Reg. 13.

Micheas Proph. ta. 3. Reg. vltim. MICHEAS quoque Propheta, cùm de belli euentu, quod Achab & Iosaphat reges contrà Syriæ regem parabant, consuleretur, nihil ad gratiam est locutus, prædixit Israelitici exercitus fugam, & Achab regis necem, ipso audiente, ac Pseudoprophetis è diuerso prospera omnia pollicentibus. Sed quoniam malis inimica est veritas, à Sedechia in maxillam percutitur, ab Achab in carcerem truditur: Cùm autem euenissent quæ prædixerat, mendacium interijt, veritas mansit, & qui vera vaticinanti manus intulerant,

Digitized by Google

lerant, ab aduersarijs cæsi pœnas dedêre, ipse vinculis liberatus est. 3. *Reg. vltim.*

ZACHARIAS Ioiadæ Sacerdotis filius, veritate, id est, Dei spiritu imbutus, non dubitauit Ioam regem Iuda palàm arguere, quòd patriæ ritu relicto, ad idolorum cultum conuersus fuisset, prophetantem in atrio domus Domini, lapidibus obruerunt. At verò Deo innocentis necem vlciscente, ingentes illorum copiæ à paucis Syris prostratæ sunt, Ioas à seruis interfectus. Qui autem pro veritate mori non timuit, vitæ æternæ præmia recepit. 2. *Paral.* 24. *Zacharias Propheta.* 2. *Par.* 24

QVONIAM verò os quod mentitur, occidit animam, idcirco Ananias Azur Gabaonitæ filius mendaciter prophetans, per Ieremiam arguitur deuouetur que. Quia prophetasti, inquit, & non misit te Dominus, hoc anno morieris. Et eo ipso anno mendacium morte diluit. *Ieremi.* 28. *Ananias Ierem.* 28

AT etiam Ieremiam in Ægypto lapidatum dicet aliquis, licet vera annuntiaret. Cui breuiter respondebimus: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum: mors autem peccatorum pessima. Ideò iustos occidi permittit Dominus, vt beatificet: ideo malos, vt damnet. *Ieremias Propheta.* *Psalm.* 15. *Psalm.* 33.

MVLTI præterea ex Prophetis extrema pati, quàm vera reticere, præoptarunt; cùm ob hoc à Deo dirigerentur, vt regum populorumque vitia corriperent, & eis pœnas denuntiarent. Isaias in duas partes sectus est, Ieremias lapidibus obrutus, Amos vecte per tempora transfixus. Alij etiam sancti homines (fateor) talia passi sunt, sed de morte transierunt ad vitam, de laboribus ad quietem. O præoptanda supplicia, per quæ beatitudinis cumulus augetur, & quorum patientia Deo nos efficit chariores! *Isaias.* *Ieremias.* *Amos.*

NE quis tamen ad solos Prophetas veri obseruationem spectare arbitretur: Achior Ammonitarum ductor, ab Holopherne Bethuliam obsidente de Iudæorum virtute interrogatus, quod sentiebat non dissimulauit, asserens inexpugnabiles esse, Deo ipsorum cum ipsis stante, nisi quando eo relicto ad Deos alienos declinassent. Ob hoc vinctus in Bethuliam mittitur; vt simul cum illis, contra *Achior.*

quos bellum erat, captus puniatur. Sed longè secus, quàm veritatis persecutores crediderant, euenit. Holophernes, qui nihil armis suis resistere posse gloriabatur, fœminæ manu interimitur, reliqui fugam petunt. Achior verò vitæ periculum euadens, ne quid in se gentilitiæ falsitatis resideret, etiam circuncisionem accepit. Qui ergo pro veritate steterat, salutem: qui contra nitebatur, necem & nece graviorem ignominiam, & vtroque acerbiora gehennæ supplicia est consecutus. *Iudith 5. & 6.*

Apostoli, Martyres.

POST Prophetas fidissimi veri assertores extitere Apostoli Martyresque, & reliqui qui eos imitati, aut docendo, aut reprehendendo, aut prædicando, nunquam quicquam locuti sunt, vel metu, vel odio, vel gratia. Contempserunt potentum minas, deriserunt tyrannorum supplicia, mortem ipsam subire non recusarunt, dum pro veritate starent, soli illi semper placere studentes, qui ait: Ego sum via, veritas & vita. Hinc quidem multos leuissimi etiam mendacij culpam sedulò cauisse accepimus.

Ioan. 14.

Theonas Abbas.

THEONAS Abbas in Eremo Scythi nunquam mentitus dicitur, cùm tamen tribus millibus Monachorum præfuisset. Mirum est inter tantam multitudinem non fuisse lingua lapsum. Hoc idem & Beonem Abbatem in vita præstitisse tradunt. *In vitis PP. Pallad. Hist. 49.*

Beon Abbas.

AC semper quidem illo mendacij genere abstinendum est, quod in detrimentum verti possit animarum, corporum, rerum: cætera leuiora sunt, nullum tamen (vt arbitror) culpa vacuum: Omnem quippe simulationem, quantum à veritate, tantum & à Deo abesse necesse est, cùm summa veritas ipse sit. Interdum tamen simulare, & dissimulare, & mentiri necessarium, cùm scilicet ita res caderet, vt nisi mendacium perpetretur, aut grauius peccatum committendum erit, aut maius bonum omittendum. Huiusce rei subijciemus exempla.

Quando simulare & mentiri necessarium.

Abraam. Gen. 20.

ABRAAM cùm per spiritum nosset Saræ vxoris suæ pudicitiam, Domino protegente, quocunque perrexisset tutam fore; vitæ tamen suæ ob eius formam improbos homines insidiaturos dubitans, sororem suam esse dicebat. Itidem & Isaac illius filium de Rebecca coniuge sua

Isaac. Gen 26.

Digitized by Google

ge ſua pari imminente periculo ſimulaſſe legimus, neque propterea hunc vel illum ob hoc aliquando reprehẽſum. Ea namque ſimulatione occaſio vitabatur homicidij, & grauius deliquiſſent, ſi verum confitentes, cauſam malis ſæuiendi darent. Quæ quidem danda fuiſſet, niſi pudicitiã ſimul periclitari poſſe dubitaſſent, ne vitæ parcendo, animæ diſpendium incurrerent. A mendacio ſanè excuſantur, quoniam conſuetudo erat, vt quibus aliqua ſanguinis intercedebat cognatio, fratres & ſorores inter ſe quandoque vocarentur. Sara autem Abraæ ex patre neptis erat. Rebecca autem Bathuel filia, qui Iſaac frater patruelis fuit. Non tamen eos à ſimulatione defenderim, cùm eo animo locutos conſtet, vt propriæ ſorores crederentur, ſed tam leuem noxam puto, vt primo ſtatim conſcientiæ ſtimulo expungatur. Itaque etiam in neceſſarijs delictis aliquo remorſu opus erit, vt animus ipſe & purior euadat, & ſemper humilitatem ſeruet, dum non inſurgit ad excuſandas (vt dicitur) excuſationes in peccatis. *Gen.* 12. & 26.

IACOB etiam cum benedictionem primogenituræ, iure quod emerat, à fratre, ſibi debitam aliter vendicare nõ poſſet, primogeniti formam aſſimulat, patrem decipit, benedicitur. Denique ſupplantatum ſe quæritur Eſau eiulatu magno, ſed Iacob dolus minimè imputatur, quandoquidem nemini iniuriam facit, qui ſuo vtitur iure. Decepit patrem, inquies; ſed niſi decepiſſet, bonorum ſibi debitorũ poſſeſſionem amiſiſſet. Ita ergo decepit, vt neminem offenderet, & quod ſuum erat acciperet. Non audeo dicere hoc commento eum quicquam deliquiſſe, qui mox diſcedens, cùm obdormiſſet, meruit videre ſcalam ad cœlum vſque erectam, Angelos aſcendentes & deſcendentes, Dominum ſummitati innixum, à quo non fraudis alicuius exprobrationem accepit, ſed è contrario terræ in qua dormierat poſſidenti regnique per orbem propagandi promiſſionem. Nunquid peccauerat, qui ita remunerabatur? Neque tamen ipſum non ſimulaſſe dicere poſſumus cum hedinis pelliculis Eſau fratris piloſitatem effingeret; neq; non mentitum, cùm ſe eſſe ipſum Eſau reſponderet; ſed iſta ita diſpenſantur, vt non vitium iudicentur, ſed myſterium; *Iacob. Gene.* 24.

Digitized by Google

rium; & si mysterium non essent, proculdubio delicti aliquid haberent, sed (vt reor) in tali casu non cauendi, propter commodorum, quæ iure quærebantur, magnitudinem atque fructum *Gen.* 27.

Ioseph. Gen. 42. IOSEPH apud Pharaonem in AEgypto primo loco habitus, fratres, à quibus venditus fuerat, eò venientes, vt frumenta emerent, se non agnoscere, ipsis incognitus fingit, obiectoque quod exploratores essent, in carcerem cõpulit, deinde de carcere eductis iurat (per salutem Pharaonis) non abituros inde, nisi minimum fratrum Beniamin, quem domi cum patre relictum dixerant, adduci facerẽt; quasi hoc experimento deprehensurus, vtrum terram exploratum venissent, an parandæ annonæ gratia à patre missi, & tamen omnes mox abire permisit præter vnum, quem pro obside tenuit secum. Postremò reuersi vnà cum Beniamin, scypho suo argenteo in sacco eius clam indito, furti insimulat. Nunc ergo quæritur, an illi tunc licuerit, his ex industria confictis circumuentionibus vti: & videtur licuisse, cùm eo spectarint, vt pœnitudinem elicerent, per quam ipsi saluarentur, qui in fratrem peccauerãt. Vnde toties vexati dicunt: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum: haud ita doluissent, si se ille repentè prodidisset. Qui postquam eos animo angi vidit, palàm facit se, iniuriam omnem remittit, singulos exosculatur, & vt cum patre totaque familia ad se in AEgyptum transmigrare maturent, persuadet. Eos cum aduenissent, aluit, possessione terræ optimæ donauit, bonis multis affecit. Euacuata est igitur mendacij culpa, finis merito, dũ per illam Ioseph eis plurimum prodesse nititur, à quibus grauissimè offensus fuerat. *Genes.* 44. *&c.*

Obstetrices Pharaonis. Exod. 1. AEGYPTIAE obstetrices iussæ præfocare mulierũ Hebræarum mares pueros, obtemperaturas se Pharaoni mõstrabant: nec tamen obtemperauerunt, & quoniam non morerẽtur puerperia, accusatæ respondent, ipsas Hebræas obstetricandi artem callentes, antequam se ad illas applicuissent, parere solere. Maluerunt mendaciunculo isto vti quàm crudeli regi præstare obsequium. Quamobrem dicit Scriptura: Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit

Digitized by Google

auit eis domos, per quas alij temporalia, alij æterna bona illis repensa intelligunt. Quicquid tamen horum sit, mercedem meruit pietas, etiam mendacio velata. *Exod.* 1.

RAAB meretrix certa, Israelitas Iosue duce vrbem Iericho, in qua erat, funditus euersuros, exploratores eorum domi exceptos non prodidit, quinimo operuit lini stipula, & quærentibus abisse dixit. Cumque Iericho solo æquata omnes passim trucidarentur, ipsam cum suis omnibus intactam reliquerũt. Insuper in tribu Iuda recipi meruit, Salomoni vni ex principibus iuncta. Nisi hoc mendacio hospites suos texisset, vnà cum reliquis interisset, & nisi seruandæ pietatis causa illi mentiri licuisset, ad tam præclarum coniugium infamis mulier nunquam peruenisset, vt inter illas censeretur, de quibus per successionis lineã natũ voluit Dei filius Iesus Christus. *Iosue* 2. *Raab meretrix.*

MENDACIVM Gabaonitis attulit salutem, sed absque libertate. Dederat illis Iosue in castris Galgalæ iusiurandum, quod vitæ illorum parceret, ratus eos (quemadmodum ipsi referebant) gentem magis longinquam esse, quàm quæ terræ promissionis finibus concluderetur. Mox falsos fuisse deprehendens, viuere quidem permisit, sed calones lixasque constituit redactos in seruitutem. Quod si seruari promissum debuit, ne illi cum alijs perderentur, nõ frustra cõposito pellaciq; sermone vsi sunt. Quod autem seruari debuerit, ex secundo Regum volumine apparet, vbi dicitur: Ideo iam trium annorum fame laborare populum Israel, quia rex Saul Gabaonitas contra fidem, quam à Iosue acceperant, interfecisset. Sed si præceperat iampridem Dominus omnes gentes illas internecione deleri, cur solis deinde mendacibus parci voluit? quod scilicet nulli obesse, sed tantum sibi prodesse mendacio quæsierant, ac ne omninò impunè mentitos crederes, mancipiorum more seruierunt. *Iosue* 9. *Gabaonitæ.* 2. *Reg.* 21.

DAVID secundùm cor Dei electus, capitale Saulis odium declinans, cùm Nobem peruenisset, finxit se à rege missum, & decepto Achimelech Sacerdote, panes ab eo accepit, ensemque Goliæ Gethæi, quem ipse ex prouocatione interemerat, inde pergẽs venit ad Achim Gethæorũ regem, *David Propheta.* 1. *Reg.* 21.

Digitized by Google

regem,& periculum veritus,insaniam simulauit,dimissusque abijt. Vtrumque dolum summa excusat necessitas: Sacerdoti illusit,ne inedia periret:regi,ne gladio. 1.*Reg.*21.

Idem. 1.Reg.27. ITERVM ad Achim fugiens cum suis benignè admodũ est receptus,& cùm è Philistinorum pagis prædas ageret, viros ac mulieres internecione tollens, ne res ad regẽ deferri posset,ita illi verba dabat,vt crederet ipsum mala Israelitis inferre. Et hoc profectò dignum venia mendaciũ, quo se suosque tueri,& idololatras potiùs quàm fideles offendere fas erat,dicẽte Domino: Disperdite nomina eorum de locis illis.1.*Reg.*27. *Deut.* 12.

Idem. IDEM,Absalone filio persequente cùm ab Ierosolymis fugeret,negotium dedit Chusi Arachitæ, vt Absaloni adhærens Achitophelis ducis eius consilia suggillaret. Cùm ergo Achitophel sententiam diceret, Chusi interceſſit, & clandestinò per internuntios egit, vt regem subtraheret periculo. Quantum autem Chusi simulata amicitia Absalonem fallendo peccarit,cùm aliter pijssimum regem seruare non posset,Scriptura testatur, dicens: Domini nutu dissipatum est consilium Achitophelis vtile, vt induceret Dominus super Absalonem malum. Quis igitur Chusi factum accuset,si Dominus non reprehendit?2.*Reg.*17.

Quædam mulier. QVID mulier illa,quæ extento super os putei velamine finxit se ptisanas siccare,& nuntios Dauid ibi latentes, Absalonis seruis insequentibus non indicauit, sed gustata aqua illos festinanter abijsse respondit? debuit ne, quod res erat,non dissimulare, & innocentes prodere interfecturis? Nonne magis Deum offendisset,dum verum dicit, pios neci exponendo, quàm dum falsum,à periculo liberando?Mea quidem sententia minùs displicet,si modò displicet,pietate mixta simulatio,quàm veritas crudelitate. Vtrunque tamen auctoris fine intentioneque metiendum est.*Ibidem.*

Salomon rex. SALOMON regum sapientissimus in re dubia sententiã laturus, non nisi simulationis vsurpatione inuestigauit veritatem. Afferte mihi gladium,inquit,& diuidite infantem viuum in duas partes,& date dimidiam partem vni,& dimidiam partem alteri. Tunc inter altercantes prodit

pie-

Digitized by Google

pietas matrem, impietas alienam: & non fuit diuisus puer, vt rex callidè simulateq; iusserat, sed integer ac viuus datus matri, vt in animo proposuerat. Et hoc sapientia, non mendacium fuit. Sic enim dicitur: Et audiuit omnis Israel iudicium quod iudicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo, ad faciendum iudicium. Hæc quidem indagandi veri ratio visitatior, nec tolerabilis tantum, verùm etiam probata, sed non ita & decipiendi. 3. *Reg.* 3.

Iudith.

QVIS tamen Iudith viduæ sutelas dolosque & mera mẽdacia audet accusare, quibus patriam obsidione, Iudeã omnẽ, hoc est, Dei populum seruitutis periculo liberauit? Omnibus se ornamentis comit, & Dominus auget illi formã decorem, orisque venustatem, vt trahere possit Leuiathan hamo. Egressa ergo occurrit exploratoribus. Et filia sum Hæbræorum, inquit, ideo ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnoui quòd dentur vobis in deprædationem. Denique Holopherni se indicaturam pollicetur, quo aditu sine suorum pernicie capiat ciuitatem. Postremò cum ipso collocuta, sermone, promissis, vultu fallit, atque eundem quem adorauerat, cuius se ancillam dixerat, captata occasione incautum interemit. Nemo illi dolos vitio vertit, factum omnes laudibus extulerunt. Summus ipse Sacerdos Ioachim cum magno presbyterorum comitatu de Ierusalem Bethuliam venit, vt faciem eius videret, cui famam admirabatur. Quid multa? omnes vni fœminæ gratias agere, & eius virtute beneficioque salutem, quam iam desperauerant, se consecutos palàm fateri, nihil laudis, nihil gloriæ omittere, quod magno fortique animo dignũ esset. Tot igitur bona illo figmento comparata sunt, quot sine illo mala secutura erant. Quis enim tot millibus Assyriorum, tantis armatorum copijs aperto Marte resistere valuisset? Et ecce qui multas iam gentes vrbesque vno imperu subiugauerant, vnius mulieris fraude capti succubuerunt. Et cùm id Dei voluntate auxilioque factum nemo neget, certè sic imponere impio non illicitum fuit. *Iudith.* 10.

Iudit. 10.

AC ne hoc simulandi fingendique genus veteribus tantùm

tùm (vt multa) non ratione, sed indulgentia, permissum fuisse putetur, videamus an etiam nouis & euãgelica perfectione exultis hominibus licuerit aliquando simulasse.

Paulus Apostolus. Act. 16. & 18. DE Paulo Apostolo in Actis relatum legimus, quòd cũ Timotheum discipulum, cùm matre Iudæus esset, propter Iudæos circunciderit: tum quòd sibimet in Cenchris Nazaræorum more caput totonderit: demum quòd Hierosolymis Iacobi Apostoli & seniorum consilio atque persuasu,

Ibid. 21. ne videretur discessionem docere à lege, Iudæisque fidelibus prohibere Circuncisionem, quibusdam Nazaræis secum assumptis vnà purificatus templumque ingressus sit, ac tamdiu cum illis fuerit, donec tonsis de more crinibus vota perficerent, Sacrificiumque offerrent. *In Actis Apostolorum.*

Sententia Augustini in Epist. ad Hier. HOC quidem multi pię simulationi adscribunt, sed ego magis Augustino assentior, qui ait. Diebus illis intermedijs, qui inter Christi Ascensionem & Euangelij vulgationem fluxêre, veniam hanc Iudæis ad fidem venientibus datam, vt simul etiam legalia tenerent si vellent, non autẽ ita & conuersis ex gentilitate, ne sibi Circũcisionem quoque necessariam esse suspicarentur. Ne verò Lex ipsa cum idololatria pariter execrabilis videretur, noluerunt vtrãque eodem tempore relinquendam iubere. Lex igitur, paulatim ostendente se gratiæ plenitudine, est euacuata. Idololatriam verò statim repellendam iudicarunt, vt constaret, alteram Dei opus fuisse, alterã diaboli. Sic ista omnia, quæ dicta sunt, Paulum non simulatè, sed licenter, vt Iudæum inter Iudæos egisse credimus, omnibusque omnia factum, vt omnes lucrifaceret. In tantum autem Gentiles

Galat 5. à legis obseruatione prohibuisse, vt ad Galatas scriberet: Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. Et de Tito discipulo: Sed neque Titus, inquit, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circuncidi. Quin etiam Principem Apostolorum Petrum aliquando ausus est reprehendere, quod ex Gentibus fideles iudaizare fecisset. Cùm, inquit, venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehẽsibilis erat. Priùs enim quã venissent quidam ab Iacobo, cũ Gentibus

Digitized by Google

tibus edebat: cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex Circuncisione erant, & simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem, quod non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Iudæus sis, gentiliter viuis, & non Iudaicè: quomodo Gentes cogis Iudaizare? Quod certè Paulus nequaquam dixisset, si etiam ipse ea, quæ suprà dicta sunt, per simulationem & non per licentiam potiùs peregisset, Iudæorum saluti consulens; sed Gentiles ne eadem facerent, coercens.

POSTQVAM autem satis omnibus notificatum est, veteres ceremonias legumque sanctiones signa figurasque fuisse futurorum, quæ in Christo impleta sunt: cœptũ est infidelitati ascribi, si quis ea adhuc seruaret, veluti qui vẽturum & nondum venisse Christum asserat, quod Iudaicæ proprium perfidiæ est.

SED quid de ista Petri simulatione dicemus? Reprehensibilem eam fuisse non nego: quis enim sum, vt Paulo cõtradicam? cùm præsertim neque Petrum illi contradixisse constet, sed tam facilè venia dignam tunc extitisse nõ dubito, cùm adhuc Moysi lex apud Iudæos in Christo credentes non illicitè vigeret. Postea vero neque propter Iudæos, neque propter Gentiles in fide quicquam simulandum fuit. Cùm tandem non simulatio, sed error dici debuit, quicquid iam peruulgatæ officeret veritati. *Petrus Apostolus*

CAETERIS autem in rebus etiam Apostolicis ac Sanctis viris, ac mulieribus simulare, fingere, mentiri, summæ interdum pietatis ingentisque prudentiæ fuit. D. Hieron. ad Rusticum Monachum scribens testatur, vidisse se in AEgypto adolescentem, cùm stimulis libidinis resistere atq; obniti posse iam desperasset, Abbatis solerti simulatione seruatum. Dicam, inquit, quod in AEgypto viderim: Græcus adolescẽs erat in cœnobio, qui nulla continẽtia, nulla operis magnitudine flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem Pater monasterij hac arte seruauit. Imperat cuidam viro graui, vt iurgijs atque conuitijs insectaretur hominem, qui post irrogatã iniuriam primus venit *Abbas quidam. Circa fine Epist.*

nit ad querimoniam. Vocati testes pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat. Flere ille cœpit contra mendacium, nullus alius credere veræ veritati: solus pater defensionem suam callidè studuit opponere, ne abundantiori tristitia absorberetur frater. Quid multa? Ita annus ductus, quo expleto, interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc aliquid molestiæ sustineret? Papè, inquit, viuere mihi non licet, & fornicari libet? Num, quæso, consultiùs meliùsve fecisset Abbas nihil tale confingere, & discipulo in æternæ mortis discrimen ruenti non subuenire? cùm præsertim nullo alio remedio ab imminenti pernicie eximi potuerit. *Hieron. epist. ad Rustic.*

Archeb. solitarium. AT neque Archebij quidem sanctissimi viri simulatio improbanda, qui in quadam Nili Insula inter Solitarios & ipse solitariam vitam ducens, si quis eò accessisset eiusdem propositi cupiditate accensus, ei suum ipse domicilium cũ vtensilibus cedebat, ne qua cellulæ construendæ quærendæve supellectilis difficultate victu abiret, ac ne fortè illũ quod offerebatur accipere pudor impedisset, certum sibi ac deliberatum esse ad alia transmigrare loca mentiebatur. Et tantisper inde secedens, donec impensas compararet, reuersus alteram sibi cellam non paruo cum labore ponebat. Hac ille simulatione vsus officio fungebatur veræ charitatis, eos in Dei seruitio pia circumuentione retinens, quos fortè necessitas dilabi compulisset, multoque plus lucri largiendo faciebat, quàm detrimenti mentiendo. Et sapientis erat, modico damno magnam vtilitatem quærere. *Cassian. lib. 5. cap. 37.*

Abbas quidam. ILLIVS quoque Abbatis laudatur mendacium, qui (vt Cassianus tradit) Simeoni monacho prospexit, vt in proposito vitæ perfectionis perseueraret. Hic nuperrimè ex Italiæ partibus ad AEgypti solitudinem se contulerat, nullius exercitij gnarus, præterquam Latinos libros transcribendi, quorum illis in locis vsus nullus erat. Senior igitur fingit, olim quæsisse se qui sibi Pauli epistolas Latino charactere conscriberet, volens eas (vt aiebat) munere mittere fratri in cohorte Latina militanti, latinique sermonis non ignaro, vt aliquid de Scripturis diuinis haberet, quo

Digitized by Google

quo sese etiam inter militiæ labores vtiliter occupet. Hac itaque simulatione illum ad scribendum compellens, & quæ operi & quæ vitæ necessaria erant dedit, tum otio subtrahens adolescentem, tum penuriæ eius mercedis occasione succurens. Nisi sic abbas finxisset, Simeō ipse vel cogitationibus per inertiam expugnatus, vel inopia superatus, diu ibi manere non potuisset. Neque enim puduit accipere quod offerebatur pro labore: Puduisset autem, si nihil agenti vltro impenderetur. *Ibid. cap. 39.*

Abraam solitarius.

QVID Abrahę celebratissimi inter AEgyptios Anachoretas viri simulatio, quantæ erga proximū charitatis, quantæ misērationis fuit? Posito quippe monachali habitu, secularia sumpsit indumenta, ne posset agnosci. Et peregrè profectus, neptim quam, iuxta se nutriens, diu sanctorum operum-sociam habuit, diaboli tandem latrocinio sublatam anxiè perquisiuit. Illa enim iuuenis cuiusdam libidini semel consenciens, criminisque conscia patrui conspectum ferre non valens, clàm ad vrbem effugerat, & iam desperatione quadam corpus vulgando, pecuniam demerebat. At senex vbi tandem illam conuenit, notam incognitus aliquandiu considerauit, ac deinde in colloquium euocatam, cùm se prodidisset, flens exhortatus est vt secum rediret. Redijt, & multa vitæ districtione commissa diluens, cum ipso pariter Sanctorum collegio meruit annumerari. At nisi Abraam alieno se amictu occuluisset, fama aduentus sui prænuntia, vt qui vbique celebris erat, illam exterruisset, & vel fugam vel latebram petere coegisset. Alium ergo se finxit, vt amissam inueniret, & non alium se dixit, vt inuentam secum reduceret, reductam sanctificaret. Quanti igitur fructus tunc simulasse fuit, liquidò sciemus, si perpenderimus, quanti e contra dāni non simulasse fuisset. *Ephrem. in vitis PP.*

IESVS.

POSTREMO fingi aliquid etiam sine vlla culpa posse quis dubitat? quandoquidem veritas illa, in quam nullum prorsus vitium cadere potest, in Euāgelio fingere dicitur. Et ipse, inquit, se finxit longiùs ire. Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduespera scit, & inclinata est iam dies. Sed talis hæc Domini erga discipulos

Luc. 24.

fictio, qualis & illa quondam erga Abraam tentatio. Ille tentatus est an obediret Deo, isti an hospitalitatem seruarent. Non quia Deus futura nesciat, sed vt nos habeamus virtutum exempla. Huiusce rei causa fingere ac simulare Patribus Præpositisque proprium atque vsitatum, dum aliorum animos probare student, dumque probatos cæteris admirandum exhibent. Non sunt igitur hæ fictiones mendacij, sed veritatis. Neque enim aliter ijs mores hominum ingeniaq; experimur, quam artifex experiri solet Indice lapide aurum argentumue, vt quale sit cognoscatur, & experimento veritas ipsa pateat.

Nicolaus Peregrin.

QVIDAM etiam obtegendæ sanctitatis causa simulationis latebram subiere, ne fortè honorati placerent sibi, & pro inani gloria veram amitterent. Nicolaus cognomento Peregrinus, natione Græcus, in oppido Apuliæ Theano seminudus incedens, & Crucem ligneam manu præferens, Kyrie eleyson clamitabat, eo clamore puerorum turbam excitabat, & hoc ipsum iteratis vocibus vt secum decantarent, innuebat. Excogitauerat vtique quemadmodum se stultus hominibus appareret, & à laudibus Dei non cessaret, qua insaniæ simulatione tantum placuit, vt Deo dilecte defuncti cadauer multorum languores tactu sanaret.

Marcus Solen.

FVISSE etiam Alexandriæ quendam Marcum Solonem nomine, qui se stultum fingens, nudus incedebat, operibus tamen intentus charitatis. Cùm enim humanum laborè victum quæreret, quidquid in diem sibi superesset, indigentibus erogabat. Cumque iam sedecim annos in hac simulatione perduraſſet, postremò adiuratus, manifestauit se aliquando Monachum fuisse, sed libidini deditum annis quindecim in concubinatu perseueraſſe, tandem quodd pœnitentiam conuersum, decreuisse tantundem temporis seruire Christo, quantum Diabolo seruierat, atque mox vita functus est, & in Sanctorum numero habitus. Tali ergo simulatæ insaniæ humiliatione, mundi sapientibus præferri, ac supra cœlum inter Angelos meruit collocari.

Quædam Virgo monialis.

IN Thebaïdis Monasterio, quod sancti Ieremiæ nuncupabatur, fuisse Virginem quandam memoriæ proditū est, quam

Digitized by Google

quam omnes reliquæ mentis impotem existimabant. Danieli autem Abbati reuelatum, quod fatuum Dei sapientius esset hominibus: proinde ad eam visendam illum perrexisse. At ipsam, cùm se deprehensam vidisset, clam abijsse, schedula postibus Monasterij affixa, in qua scriptum erat: Quicquid in vos peccaui, remittite, atque in Domino valete. Quæso, si dementiæ simulatio illi crimini dari debet, quomodo cæteris, quæ ibi erant, sanctior Dei reuelatione iudicaretur? profectò simulatio ista conseruatio summæ humilitatis erat, non culpa. *In vitis PP.*

SED neque illis figmenta obfuerunt, quas virorum nominibus tegumentisque sexum aliquando celasse constat, cum id ea ratione egerint, vt commodiùs Christo (quê nihil latet) deseruirent. Eugenia Philippi consulis filia Eugenius credita) etiam Abbatis officio defungi Alexandriæ meruit. In eadem vrbe Euphrosyna virgo sub Smaragdi nomine latens, Monachi vitam duxit. Sic Marina Marinus, Theodora Theodorus, Pelagia Pelagi° creditæ, inter viros præstiterũt sanctitate, sexu occultato. Finxerũt se esse quod non erant, vt essent quod esse debuerunt, nihil omittentes quod ad perfectæ consummataque religionis cultũ pertineret. *In vitis PP.* *Eugenia.* *Euphros.* *Marina.* *Theodor.* *Pelagia.*

HAEC sunt quidem iustæ atque interdum etiam (vt diximus) necessariæ fingendi ac mentiendi causæ. Cætera verò mendaciorum genera pernicioſa mortiferaque habentur. Sicuti fuit mendacium Gihézi, Pseudoprophetarum, Ananiæ & Saphiræ, Pontificum in Euangelio & Pharisæorum, & his similium. Simulatio quoque ac dolus Ioab in Abner & Amasã, Triphónis in Ionathã & in Antiochũ, Ismaelis in Godoliã, Andronici in Oniã, Iudæ in Dominũ. *Mendacia pernitiosa* 4. *Reg.* 5. 3. *Reg.* 18. *Act.* 5. *Luc.* 23. 2. *Reg.* 3. & 10. 1. *Mac.* 12. & 13.

DE talibus dicitur: Simulatores & callidi prouocant iram Dei. His & Propheta imprecatur, dicens: Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa. Et iterum: Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum. In Exodo quoque præcipit Dominus: Non susciptes vocem mendacij, nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falsum testimonium. Et in Leui- 2. *Mac.* 4. *Matt.* 26. *Iob* 36. *Psal.* 11. *Psal.* 27. *Exod.* 23.

Leuit. 19. tico: Non mentiemini, nec decipiat vnusquisque proximum
suum. In Deuteronomio: Testis falsitatis conuictus pœne
Deut. 19. talione iubetur, vt quod in alterum molitus fit, ipse ferat.
Vnde Salomon in Prouerbijs: Falsus testis, inquit, non erit
Prou. 19. impunitus: & qui loquitur mendacia, peribit. Et rursum:
Ibid. 21. Qui congregat thesauros lingua mēdacij, vanus & excors
est, & impingetur ad laqueos mortis. Ideo eo vitio inquinari veritus, Deum deprecatur, dicens: Vanitatem & ver-
Ibid. 30. Psal. 118. ba mendacia longè fac à me. Et ante illum Dauid, ne auferas de ore meo Verbum veritatis vsquequaque. Ieremias
autem Propheta, quo ipsa maligni impostoris dolositas ij,
Ierem. 9. non alijs noceat, præmonet vt caueamus, & clamat: vnusquisque se à proximo suo custodiat, & omni fratri suo
non habeat fiduciam. Quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vt
fratrem suum deridebit, & veritatem non loquetur. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, vt iniquè
agerent, laborauerunt: Sagitta vulnerans lingua eorum,
dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Nunquid super his non vi-
Apoc. 21. sirabo, dicit Dominus, aut in gente huiusce modi nō vlciscetur anima mea? Vis scire quomodo vlciscatur, vel qua-
Psal. 5. liter viuiter? Apocalypsim lege: Et omnibus mendacibus, inquit, pars eorum erit in stagno ardenti igne & sulphure,
Ephes. 4. quod est mors secunda. Breuiter idē in Psalmo expressum est: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Cuius rei
Coloss. 3. haud ignarus Apostolus ad Ephesios, ne fortè in tantam incidant perditionem: Deponentes, mendacium, inquit,
loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Et ad Colossenses: Nolite
Matt. 19. mentiri inuicem. Saluator etiam noster ad Apostolos: Sim-
Matth. 6. plices este sicut columbæ. Et, si oculus tuus fuerit sim-
Matt. 18. plex, totum corpus lucidum erit. Et, nisi efficiamini sicut
paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Siquidem & cordis simplicitate & oris veritate nobis opus est, vt eò fe-
licitatis perueniamus, vbi nullus fraudi, nullus fallaciæ
restat locus, vbi misericordia & veritas obuiauerunt sibi.
Prouer. 3. Quas duas virtutes Salomon etiam cōiungens, pariter cō-

laudas

Digitized by Google

lendas docet: Misericordia, inquit, & veritas te non deserant, circunda eos gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus. Misericordia & veritas præparant bona. *Ibid.* 14. Misericordia & veritate redimitur iniquitas, & in timore *Ibid.* 16. Domini declinatur à malo. Demus operam igitur, & enitamur, vt illo digni simus elogio, quod in Malachia legimus: Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. *Mala.* 2.

De mansuetudine animi
CAP. V.

NVNC de his dicemus qui auersis ab omni asperitate animis mites mansuetique vixerunt, affectum ita moderantes, vt vel nunquam in alterum commoti sint, vel adeò temperatè, vt non deliquerint. Obseruarunt enim præceptum illud: Irascimini & nolite peccare. *Psalm.* 4.

MANSVETI igitur iracundique exempla primi ab homine geniti Abel & Cain nobis exhibuerunt. Respexit, inquit, Dominus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Humilia enim respicit, & alta à longè cognoscit. Hinc ergo Cain inuidiæ stimulis actus, & furore fremens, fratrem, cuius mansuetudinem imitari debebat, interemit. Itaque sine causa in fratrem iratus, Dei in se iram magis prouocauit, & à Deo maledictus fuit. *Genes.* 4. *Abel.* *Cain.* *Genes.* 4. *Psal.* 137.

MITIS Noe in Arca seruatur, superbi diluuio pereunt. Sic & Pharao in mari rubro mergitur. Moyses saluatur, cuius mansuetudo tunc egregiè apparuit, cùm pro eis, qui sibi insultauerunt, Deum est deprecatus. Vnde dicitur: In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum. Pharaonis autē obduratione grauissimis quidem flagellis mollescere potuit, nec antè ipse sæuire desijt, quàm viuere. *Noe.* *Moyses.* *Eccle.* 45.

IACOB fratrem suum Esau, capitali odio sibi infensū, se illi submittendo mitigauit. Occurrentem in Galaad septies in terram pronus adorauit, munera obtulit, Dominum suum appellauit. Idcirco quem ille perdere cogitauerat, amplexatus osculatusque est adeò tenerè, vt fleret. Ita- *Iacob.*

que magnum interdum odium magna frangit mansuetudo: & ira illius, alterius humilitate coercetur, *Genes.* 33.

Ioseph. IOSEPH quoque, mitissimi ingenij adolescens, in cisternam à fratribus deijcitur, & externis in seruitutem venditur: & tamen eos, à quibus talia passus fuerat, benignè suscipit, largè educat, non malum pro malo reddens, sed vincens in bono malum. Irasci enim nescit mansuetus; & benefacere ijs etiá, à quibus offensus est, nouit, *In Gene.*

David. DAVID Saulis toties in se repetitum furorem non vindicando sed parcendo leniebat, & quem nullo officio ne rursum indignaretur mouere potuit, eius in regno successor fieri meruit. Qui ergo persequebatur innocentem, hostium gladijs occubuit. Qui verò persecutori suo manum inferre noluit, regnauit. Proinde iure suo dum oraret, dixit: Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. *In lib. Reg.*

Psal.131.

Christus. SALVATORIS nostri ac Domini mansuetudo maior est, quàm vt verbis explicari queat. Neminem ad se in veritate venientem repellit, aut sine beneficio dimittit, turbas docet, paruulos suscipit, pauperes eligit, ægrotos visitat ac sanat, proditoris osculum non refutat, vincientibus se & cædentibus non repugnat, pro crucifixoribus suis orat. Mansuetissimus Agnus ad victimam currit: maledicitur, & tacet: irridetur & sustinet. Quamobrem se nobis in exemplum præbens, clamat: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris:

Matt.11.

Psal.35. requiem in terra, requiem in cœlo, dicente Propheta: Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

Apostoli. APOSTOLI quoque reliquique Discipuli, iugum suaue & onus leue Domini circumferentes, dum Euangelium prædicarent, persecutorum immanitatem patiendo non contendendo vicerunt. Flagellis cædebantur, & ibant à

Actor. 5. conspectu concilij gaudentes, quoniam digni habiti sunt

Isaiæ 29. pro nomine Iesu contumeliam pati. Et impletum est illud Isaiæ vaticinium: Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt. *In Actis Apostolorum.*

Mul-

Digitized by Google

Multorum præterea, qui hos secuti sunt, placidæ mentis [illegible]tatem etiam bestiæ cognouerunt, neque tactum illo[illegible] formidantes, neque recusantes imperium.

CLOTARIO Britannorum rege venationi indulgente, [illegible] à venatoribus actus, ad Deicolum Abbatem confu[illegible] perhibetur, ab eo seruatus, syluestre animal tutio[illegible] se in Deicoli sinu putauit, quàm si syluas fuga petisset, [illegible] sagio quodam lenitudinis pietatisque eius. Qui inse[illegible]bantur, pepercere beluæ ob reuerentiam viri, non ausi [illegible] lædere, quæ sese fidei commiserat Sancti. *Deicolus.*

MARIANVS quoq; Bituricensis Cœnobij monachus, [illegible]ulci officio defungi non dedignatus, aprum ad se con[illegible]gientē tutatus est. Canibus insequentibus imperauit, ne [illegible] tangerēt. Mira res, canes obedierunt, aper discedere [illegible]uit, & cuius benignitate se seruatum agnouit, eidē ve[illegible] iampridem mansuefactus, humiliter adhæsit. *Marian. Monach.*

EADEM fera ad Basoli Rhemēsis Abbatis cellam con[illegible]giēs, pedibus eius prouoluta sic in tuto fuit, vt canes qui [illegible]gno cursus impetu iam tergo fugiētis imminebant, re[illegible] subsisterēt. Tunc Attila venator rem admiratus, præ[illegible]um quod ibi habebat, Abbati concessit, dignum omni beneficio asserēs, cuius & mansuetudinem aper & virtutē canes testati sint. *Beda in vita eius, cap. 7.* *Basolus Abbas.*

COLVMBANO Abbati vrsi in syluis obtēperauerunt: Heleno onagri crocodiliq́ue. Hos insiliēs trans fluuium ibat, illos autem sarcinis onerabat. Haud ita repentè mansuescerēt syluestria aquaticaq́ue animalia, nisi in homine mansuetudinis vim sentirent, cui obsequebantur. *Columb. Abbas. Helenus Abbas.*

D. HIERONYMVS cùm inuidorum malitiam atque infestationes ne ferendo quidem posset reprimere, Roma cessit. Mansueti enim placidiq́; hominis proprium est, dare locum improbitatibus aliorum, neque cum pertinacium malignitate contēdere. Sed cui Romæ homines aduersabantur, in Syriæ deserto feræ seruierunt. In Bethlemitico deinde monasterio manentē leo posita ferocitate blāditer adijt, & reliquis, qui aderāt, metu dilabētibus, ipsi pedē spina vulneratum porrexit, sanatus famulatum exhibuit, nulliq́ue iam monachorū metuēdus asellum ad *Hieron. Presbyt.*

pascua educebat, reducebatque ad stabulum, agasonis gens officio, qui quondam prædonis functus fuerat. Fe cire nempe non potuit, vbi hospitis benignitatem expe ri cœpit, nec ab eo prorsus discedere, cuius beneficia nouerat conualuisse. *Marian. victor. Sur. Tom. 5.*

Marinus saluatur.

MARINVS, in Arba Dalmatiæ insula natus, apud Ra minum vitam solitariam duxit. Cùm autem aliquando cellam suam versus ab vrbe Roma rediret, asellum, quem via vtebatur, vrsus terribilis inuadens peremit. Ille vrsum tenuit, & vt asini vices subiens ad cellam vsque se deferret, iussit. Subitò syluestrem exuens animum immanis bestia dorsum homini præbuit; cuius asello non pepercerat, diceres humanitatis eius conscientiam, quoniam illi amissi iumenti iacturam passus, in autorem damni non excanduit, neque indignatus est, sed tantùm seruitio eius vsus, quo probaret, posse se ab ipso pœnas exigere si vellet, eius dorso potuit tam imperiosè insidere. *In vitis PP.*

Basianus Episc.

AT etiam timidissimum animal cerua, dum venatorum tela saucia fugeret, ad Basianum Laudensium Episcopum se recepit: qui persequebantur, miraculo obstupefacti, fugêre. Quidam verò licentiùs accedens, eam de manu Episcopi eripere voluit, sed ipse præreptus à diabolo vexari cœpit. Episcopus autem qui bestiam blandè amicèque receperat, & clementer fuerat tutatus, nec in hominis violetiam irasci potuit, ab immundo spiritu oppressum, miseratus incunctanter pristinæ restituit sanitati. Idem igitur & tutelæ fidem, & patientiæ benignitatem seruauit, amicis, inimicisque iuxtà fauens. *Paulin. in vita Ambrosij.*

Egidius Abbas.

ABGIDIVS quoque Abbas ad ostia Rhodani solitarius manens, & hominibus incognitus, cerua lac præbente (vt alibi diximus) vixit. Sed dum illa à venaticis canibus agitaretur, perpeti fuga cellam ipsius petijt, & trepida accollito mœstiùs immugiens, ante senis pedes prouoluta iacuit, vt cuius humanitatem diu experta fuerat, eius etiam auxilio ab imminenti periculo tegeretur. Igitur illo orâte, canes propiùs accedere nequiuere. Vnus autem de venatoribus (quia locus vepribus obductus erat) incertò sagittâ dirigens, Abbati vulnus inflixit. Post hoc penetrâtes

Digitized by Google

lat ebram, reperiunt senem ceruamque iuxtà accubantem, & religione quadam concussis animis procidentes, veniam ab eo, quem imprudenter læserant, suppliciter petunt, atque impetrant, & ceruam dimittunt intactam. Tam enim ille libenter ijs, à quibus vulnus acceperat, offensam dimisit; quàm pro cerua orauit, pari simplicitate & de ipsa solicitus, & in illos mitis. *Fulbert. Carnotens.*

Remigius Archiep.

AD Remigium Rhemensem Archiepiscopum passeres aduolare solitos accepimus, & de manu eius certatim cibum capere. Cur ita, nisi quòd non sic tutò se pasci posse in apertis campis putarunt, vt in mansuetissimi Præsulis sinu. *Sur. Tom. 1.*

Blasius Episcopus.

BLASIO Sabastæ vrbis Episcopo, in solitudine persecutionem declinanti, syluestres auiculæ victum suppeditarunt. *Metaphrast. Sur. Tom. 1.*

Iudocus Solitarius.

A Iudoco Regis Britanniæ filio, dum contempto regno soli Christo seruiret, columbas piscesque escam manu porrectam acceptasse ferunt. *Rodolph. Agric.*

Ivo Presbyter.

IVONEM Presbyterum ad mensam recumbentem, auis quædam albo viridique colore spectabilis, de improuiso adijsse dicitur, & tangi se ac contrectari ab eo passa, post acceptam benedictionem euolasse. Testata mihi videtur naturam eius non gestu solùm, quo se illi libere atque vltro obtulit, sed etiam pennis varietateque colorum. In candore signabatur mentis puritas, in virore spei alacritas, in plumarum mollitie animi lenitudo atque facilitas. *Sur. Tom. 3.*

Maxentii Abbas.

MAXENTII etiam Pictauiensis Abbatis humanitas effecit, vt agrestes volucres non cupidiùs arborum ramis quam manibus suis insiderent. Panis micis, aut tritici granis, ab eo pastæ auolabant. Hinc discamus, non sine beneficio eos dimittere, qui sine hæsitatione nostræ se crediderint fidei.

Severus Abbas.

SEVERVS Agathensis Abbas passerem aduolantem ita humanitùs excepisse dicitur, vt cum ille fracto crure aliorum aucupium effugisset, ipse sua precatione sanatum dimiserit. Qui enim benignè alios accipit, facilè quod à Domino petit impetrat. Scriptum quippe est: Mansuetis dabit gratiam.

Proua.

Digitized by Google

Francis-cus. FRANCISCI quoque lenitatem auicularum audacia mirabiliorem fecit. Ad prædicantem confluebant, neque refugiebant manum eius, vsque adeò obsequentes, vt non nisi cùm ipse iussisset abirent, non nisi cum ipse innuisset, garritum comprimerent: non quòd iussa intellexerunt, sed quòd iubentis autoritatem virtutemque senserint. *Bonauent. cap.* 8.

Idem. CVM aliquando in horto inter fruteta deambularet, cicida, ficulneam linquens, super euocantis manum consedit, & Deum laudare iussa, voce tinnula, gutture fistulato suauiorem solito stridorem edidit. Humanum igitur consortium effugere solitæ bestiolæ, Franciscum omnibus ea mansuetudine applaudentem creaturis adire non timuerunt, neque potuerunt non obtemperare imperanti, qui iam diuina inerat virtus. Talibus enim dictum est: Si monti huic dixeritis: Tolle, & iacta te in mare, fiet. *Ibidem, cap.* 8. & 12.

Matt. 21.

Apollon. Abbas. APOLLONIVM Abbatem ferunt cuidam fratrum suorum humilitatis mansuetudinisque virtutem suis precibus à Domino impetrasse, ita vt ille, cuius rigidæ mentis asperitatem nulla mitigare castigatio poterat, postea multis patientiæ ac lenitudinis exemplum fieret. Si quando igitur vllum animi morbum industria nostra leuare non poterimus, ad precationum remedia recurramus. Quia quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. *In vitis PP.*

Luca 18.

Fœminæ Brigida Virgo. ET ne fœminarum mansuetudinem silentio pertransisse videar; Brigida Virgo apro ferocissimo, & qui in pecudum gregem repentè irruerat, præstò occurrens vsque adeò reddidit mitem, vt eidem gregi ipsum præficeret pastorem. Itaque tam modò immanis fera tam tenellas oues, quas laniatum venerat, mox & ad pascua educere, & pastas reducere domum cœpit. Voluit autem Deus beluæ feritatem Virginis humanitati cedere, vt ostenderet, quanti apud se ponderis esset talis virtus. *Sur. Tom.* 4.

Ancilla Christi. SED earum mansuetudo fœminarum, quæ in cœnobijs perpetuæ seruituti se addixêre, vt Deum promererentur, in eo apparet, quòd Præpositis libenter obediant, quòd labori

bori alacriter insistant, quòd dicto factóve lacessitæ non reclament, non murmurent, non mussitent, non denique vultum mutent, sed semper eandem animi lenitatem præ se ferant. Harum exempla partim dicta sunt, vbi de labore obedientiaque tractauimus: partim dicentur, cùm de patientiæ virtute differemus. Igitur ne eadem sæpius repetere necesse sit, hoc loco de illis loqui supersedebo.

Exhortatio.

OMNES tamen Christi seruos ancillasque admonitos velim, vt meminerint, talium hominum & preces à Domino faciliùs exaudiri, & opera largiore remuneratione compensari. Nisi id verum esset, non illos potissimùm in magno rerum discrimine Sophonias Propheta citaret, vt Domino supplicent, dicens: Quærite Dominum omnes mansueti terræ, quia iudicium eius estis operati: quærite iustum, quærite mansuetum, si quo modo abscondamini in die furoris Domini, quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie eijcient, & Accaron eradicabitur. Tantum infortunium auerti posse sperauit precibus mansuetorum. Hinc & Eliachim Sacerdos, cùm excidium ab Holopherne timerent, ad populum dixisse fertur: Si in humiliationibus permanseritis, exaudiet vos Dominus. Hinc & sancta Iudith Dominum obtestata ait: Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Ipse etiam Dauid: Suscipiens, inquit, mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram. Et in alio Psalmo: Exaltauit mansuetos in salutem. Et in Euangelio Veritas ait: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Non igitur temere in Ecclesiastico præceptum est: Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. Quando magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: profectò si quis ista memoriter tenuerit, rectéque perpenderit, studio diligentiore, diligentia studiosiore contrarijs animi motibus temperabit.

Sophon. 2.

Iudith 4.

Iudith 9.

Psal. 146.

Psal. 149.

Matth. 5.

Eccli. 13.

Digitized by Google

De Taciturnitate sermonisque moderatione.

CAP. VI.

NVNC quoniam mansuetos præcipuè taciturnitas decet, moderatioque verborum, satis congruè de ijs dicendum videtur, qui vtroque laudabiliter vsi sunt, vt discamus linguam ipsam & coercere, cùm seruandum erit silentium, & cùm loqui expediet, pensitare.

Prou.10. Quandoquidem Salomonis sententia est: In multiloquio non deerit peccatum. Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.

Iob. IOB à Domino arguitur, quòd contendere ac disputare secum concupierit, dum calamitatum suarum causam anxiè perquireret. Et respondens ait: Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? Confitetur se non habere quo excuset inconsultam locutionem, & vt pœnitendo

Iob 39. veniam consequatur: Manum meam, inquit, ponam super os meum. Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem, & alterum, quibus vltrà non addam. Hinc tu si quando res incidérit, in qua diuinæ prouidentiæ rationem inuenire nequiueris, caue ne quid imprudenter proferas, sed tacitus mirare, & nihil à Deo nisi bonum æquumque proficisci posse, semper tibi habe persuasum.

Ezechias rex. EZECHIAS quarto-decimo regni sui anno obsessus in Ierusalem, plebem silere iussit, ne colloquijs Rabsacis nunc minantis, nunc blandientis, ad deditionem solicitarentur. Exemplo est, ne quid is, qui de plebe imperitorum

Imperiti ne disputent cum hæreticis. est, respondere præsumat captiosis Hæreticorum argumentis, ne dum confutare ea nescit, etiam ipse in retiaculo diaboli inuoluatur, & arce veritatis incautè custodita, ab erroribus captus pereat. Tacitus ergo obediat Ezechiæ, id est, Christo regi, & in silentio oret, & ipse mittet Angelum suum, qui perimat copias Assyriorum, hoc est, dissipet malignorum insidias, mentemque orantis illuminet, vt amota dubietatis nebula, iam clarè videre possit, eos verè mortuos esse, qui ipsum nitebantur in mortem trahere secum. 4. *Reg.* 18.

Iesus f. IESVS filius Syrach, dum efficere nequit, ne inter loquen-

quendum peccato aliquo non implicetur, sic in Ecclesiasti- lius Syrach.
co suo conqueritur & clamat: Qui dabit ori meo custo- Eccli. 22.
diam, & super labia mea signaculum certum, vt non ca-
dam in ipsis, & lingua mea perdat me? Hoc ipsum pericu-
lum, quod in se deprehenderat, alios cauere iubet, dicens:
Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito
stateram, & frenos ori tuo rectos, & attende ne fortè la-
baris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insi-
diantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.

IEREMIAS in matris vtero sanctificatum se audit, & Ieremias Propheta, Ieremiæ 1.
tamen ait: A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia
puer ego sum. Quomodo ergo illi lingua non delinquant,
qui irrequisiti garriunt: si peccare loquendo timuit, quem
loqui Deus inuitabat? Qui tunc demum ad prophetandum
populo se accinxit, cùm Dominus non iam inuitaret, sed
imperaret, dicens: Noli dicere quia puer sum; quoniam
ad omnia quæ mittam te ibis, & vniuersa quæcunque man-
dauero tibi, loqueris. Ad hæc ne quid dubitaret, mittit ma-
num suam, tangit os eius. Et ecce dedi, inquit, verba mea in
oretuo. Toties quippe lapsus timendus est, quoties nostra,
non Domini, verba prolaturi sumus, cùm etiam de otiosis,
hoc est, quæ neque dicenti, neque audienti prosunt, red-
denda ratio sit.

AT ne quis propterea semper tacere operæpretium sibi Isaias Propheta. Isaiæ 6.
existimet, Isaiam lamentantem audiat: Væ mihi, inquit,
quia tacui. Reprehensibilem se agnoscit Propheta, quòd
Oziam regem, populumque in vitia præcipitem, verbis
non corripuerit, iuxtà illud: Ne reuerearis proximum Eccli. 4.
tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore saluris.

SED propositum nostrum consequentes, veteribus ex- Agathon Abbas.
emplis noua subnectamus. Agathonem Abbatem lapillo
assiduè ori indito tacere didicisse ferunt, idque ab eo an-
nos tres obseruatum, ne etiam cùm fari vellet, expeditum
sibi foret. Legerat quippe illud in Prouerbijs: Qui custo- Prou. 13.
dit os suum, custodit animam suam: qui autem inconside-
ratus est ad loquendum, sentiet mala. *In vitis PP.*

PAVLVS Monachus, cognomento Simplex, cùm quæ- Paulus Monach.
sisset, ecquenam Christus prior Prophetis, insulsam interro-
gatiun-

Digitized by Google

gæiunculam silentio diluere iussus, per triennium nequi quicquam proloqui est ausus. Itaque quæ dictu digna, indignaque haberentur, tacendo didicit. *Invitis PP.*

Pambo abbas.

Psalm. 38.

PAMBO Abbas, cùm etiam ipse discere priùs quàm docere proposuisset, ad illum, qui trigesimum octauum Psalmum sibi legere cœperat: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea: Sat est, inquit. Reliqua audiam, cum istud opere impleuero. Multò deinde tempore pòst reuersus, cùm interrogaretur, cur tantum ad magistrum redire distulisset? nondum se illud quod didicerat, perfecisse dicit, & Apostolicum esse præceptum:

Iacob. 1.

Estote factores verbi, & non auditores tantùm. *Hist. Tripart. lib. 8. cap. 1.*

Idem.

IDEM Theophilo Episcopo se aliquando adeunti, & aliquo sermone ab ipso spiritaliter refici petenti, respondit: Si taciturnitate sua non reficiebatur, nec sermonibus eum refici posse. Hinc quidem die vitæ suæ iam supremo audacter affirmauit, ex quo eremum incolere cœpisset, nullum se vnquam protulisse verbum, quod prolatum

Psalm. 38.

nollet. Perfecit ergo quod initio promiserat: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Quàm igitur lætus, quàm securus hinc decedebat, quem nullius propè culpæ conscium taciturnitas ipsa fecerat?

Beon abbas.

BEONEM quoque Abbatem in Thebaidis deserto habitantem, in summo silentio vixisse accepimus, ita vt perquam rarò loqueretur, nec nisi quantum auditoris exigere videbatur necessitas, taciturnitatem seruans, & simul officio fungens charitatis. *Pallad. Hist. 49.*

Theon abbas.

THEONEM etiam in cellula sua clausum annos triginta, silentij habuisse continentiam perhibent, & quantum ea re profecisset, miraculis postea ostendisse, neminem non sanum dimittendo, qui æger ad se curationis gratia accessisset. *Ibidem, Hist. 50.*

Amona abbas.

IN illo Tabennensi Monasterio, quod in eremo Scythiotica positum erat, Amona Abbas mille quingentis Monachis præfuisse dicitur. Et cùm tot essent, horis quibus silentium indictum erat, sæpenumero aduenæ locum adeuntes neminem ibi adesse putauerunt, donec interiùs ingres-

Digitized by Google

ingressi, illos vnumquemque, seorsum in suis cellulis orantes, aut aliquid aliud facientes conspicerent, adeò non strepitus aliquis, non susurrus, non saltem screatus audiebatur, denique multitudo solitudinem taciturnitate æquabat. *Pallad. Hist.* 48.

LIBET hoc loco apponere, quanta diligentia qualique circumspectione hoc idem ab AEgyptijs Monachis olim seruatum, Ioannes Cassianus de Cœnobiorum institutis tractans, dicat: Cùm solennitates, inquit, (quas illi Synaxeis vocant) celebraturi conueniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, vt cùm in vnum tam numerosa fratrum multitudo conueniat, præter illum qui consurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur, ac præcipuè cum consummatur oratio, in qua nec sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intercinat, non oscitatio somnolenta diffusis malis & hiatibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspiria etiam astantes impeditura promuntur, nulla vox absque sacerdotis voce precem concludentis auditur, nisi fortè hęc quę per excessum mentis claustra oris effugerit, quæque insensibiliter cordi obrepserit, immoderato scilicet atque intolerabili spiritus feruore succenso, dum ea quæ ignita mens in semetipsa non prævalet continere, per ineffabilem quendam gemitum ex intimis pectoris sui conclauibus euaporare conatur. *Cassian. de Instit. lib. 2. cap. 10.*

POST hæc qualiter se gerant, describit dicens: Finitis itaque Psalmis, & quotidiana congregatione (sicut superius commemorauimus) absoluta, nullus eorum vel ad modicum subsistere aut sermocinari audet cum altero, sed nequidem per totum diei spatium à cella sua progredi, aut deserere opus, quod in ea solitus est exercere, præsumit: nisi fortè cùm fuerint ad officium necessarij cuiusquè operis euocati; quod ita explent foras egressi, vt nulla inter eos sermocinatio nemitus conferatur. Sed sic vnusquisquè opus exequitur iniunctum, vt Psalmum vel Scripturam quamlibet memoriter recensendo, non solùm conspirationi noxiæ, vel consilijs prauis, sed ne otiosis quidem colloquijs, vllam copiam vel tempus impartiat, oris

pari-

pariter & cordis officio in meditatione spiritali iugiter occupato. Summa namque obseruantia custoditur, ne quisquam cum alio, ac præcipuè iuniores, vel ad punctum temporis pariter substitisse, aut vspiam secessisse, vel manus suas inuicem tenuisse deprehendantur. Hinc discant, qui soli Deo placere student, vel tacere, vel ea tantùm quæ Deus sunt loqui, vt cum Propheta dicere possint: Quod egressum est de labijs meis, rectum in conspectu tuo fuit. *Ibidem, cap.* 15.

Jerem. 17.

Seuerus Presbyter.

SEVERVS Sulpitius Presbyter, cùm multa catholicè scripsisset (vt Gennadius Presbyter tradit) in senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium vsque ad mortem tenuit, vt peccatum quodcunque contraxerat, tacendo penitus emendaret. *Gennad. de viris illust. cap.* 19.

Hieronymus de quibusdam solitarijs.

DIVVS Hieronymus libro quem de institutione sanctarum Virginum ad Eustochium scripsit, plerosque in eremo reperisse testatur, qui per septennium nullum prorsus verbum homini alteri emiserant, scientes quòd non in multiloquio Dominus potest haberi. Puto qui sic sese ab humanis colloquijs sequestrauerunt, diuinis familiarius perfruebantur, non interpellata meditatione illa, quæ humanis animum terrenarum rerum cura excussum cælestibus inserere solet. *Hieron. in Reg. Monach. cap.* 22.

Romuald. Abbas.

ROMVALDVS etiam Abbas, Ordinis Camaldulensis author, dum montem solitarius incoleret, septennij silentio spiritalem Psalmorum intelligentiam meruit percipere. Quos cùm argutè eleganterque exponeret, dicere videbatur: Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum. Post hæc etiam miraculis nobilitatus est, vt qui propter Deum tamdiu tacuerat, propter eum signa loqueretur. *Sur. Tom.* 3.

Thomas Aquinas.

THOMAM Aquinatem, dum inter scholasticos versaretur, naturaque taciturnus esset, & corporis habitu reliquis paulo obesiore, bouem mutum appellabant. Magister ergo vbi ingenium illius disputatiunculis experiri cœpisset, deprehendens quorsum eius tenderent silentia: Bos iste mutus, inquit, talem mox edet mugitum, vt sonum eius ad-

Digitized by Google

us admiraturus sit mundus. Et cùm omnium doctissimus quæsisset, tunc sanè apparuit, quantum docilis taciturnitas vanæ & arroganti loquacitati esset præferenda. *Anton. Pizam. Sur. Tom. 2.*

CAETERVM & hac in parte diaboli insidiæ vitandæ sunt. Cuidam ex fratribus, perpetuum silentium seruanti, Pater Franciscus vt semel tantùm in hebdomada confessionem faceret, persuadere non potuit, & ille sibi de se magis quàm Præposito suo credens, excidit è sanctorum collegio, & ad vomitum est reuersus. Primùm irrationabile erat, tam obnixo obstinatoque animo tacere, vt confiteri nollet, quasi qui nihil vnquam deliquisset: deinde arrogans ac superbus, maiorum voluntati suam præponere, cùm Dominus dicat: Obedientiam volo, & non sacrificium. Et qui vult venire post me, abneget semetipsum. Profectò qui obedire negligit, subijci dedignatur: & qui subijci dedignatur, superbit: & qui superbit, nunquam proficiet. Igitur ipsum quoque oris silentium semper mentis humilitate niti debet, vt obseruatori suo prodesse possit. *In Speculo S. Francisci.*

Quidam fratrum Minorum. *1. Reg. 15.* *Luce 9.*

QVIS autem ipsam taciturnitatem perutilem esse ambigit, si præter iam dicta Sanctorum exempla etiam apostolicis propheticisque præceptis ad eam colendam excitamur? Iacobus Apostolus: Sit, inquit, omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. Et paulo pòst: Si quis autem putat se religiosum, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Et Paulus ad Timoth. Prophana & vaniloquia deuita. Salomon in Prouerbijs: Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est. Et idem alibi: Tempus tacendi, tempus loquendi. Et iterum in Prouerbijs: Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Sermo opportunus est optimus. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Idem procacitatem garrulorum damnans: Os lubricum, inquit, operatur ruinas. Et, vidisti hominem velocem ad loquendum: stultitia magis speranda est, quàm illius correctio. In Ecclesiaste quoque: Stultus verba multiplicat.

Sanctorum sententiæ. *Iacob. 1.* *Ibidem.* *2. Tim. 2.* *Prou. 17.* *Eccli. 5.* *Prou. 15.* *Ibidem.* *Ibid. 25.* *Ibid. 26.* *Ibid. 29.* *Eccle. 10.*

Prou.18. Et rursum in Prouerbijs: Mors & vita in manibus linguę. Postremò ipse veritatis magister & vitæ Dominus in *Matth.12.* Euangelio, ait: De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Ideo diuitem quoque in inferno positum, quoniam loquacitatis petulantia maximè deliquerat, linguæ ardorem sentire magis fecit, & ille linguam tantùm refrigerari petijt, qui ardebat totus.

Fœminæ. EADEM hæc sanctæ taciturnitatis moderandęque linguæ exempla atque præcepta etiam fœminas respiciunt, *1.Cor.14.* & quidem magis quàm viros. Paulus Apostolus: Mulieres, inquit, in Ecclesijs taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesijs.

Hieron. DIVVS etiam Hieronymus ad Celantiam scribens: Sit intentus, ait, ac vigilans, & aduersus peccata semper armatus animus tuus, sermo in omnibus moderatus ac parcus, & qui necessitatem magis loquendi indicet, quàm voluntatem. *Hieron. ad Celantiam.*

Moniales Hieron. in Reg. Manial. IDEM eas, quæ in Monasterio sacris initiatæ sunt instruens, etiam silentij tempora obseruare monet, sic dicens: Volo charissimæ, vt in conuentu vestro ter aut pluries in hebdomada, exceptis Festiuitatibus, loqui omnino, nisi vrgente causa perutili & necessaria, nullatenus liceat, nec simul, nec cum alijs extrà. Diebus verò omnibus, quibus & pro remedio & pro salute loqui conceditur, non singulis horis vacandum est verbis, quæ vix proferri sine peccato possunt, sed hæc inuiolabilis obseruatio vigeat, quòd singulis noctibus post peractam horam Completorij vsque post missam, & à Tertijs vsque ad Nonam sacra obseruętur silentia. Quatenus & linguæ Deum laudand: cõcedatur opportunitas, & inutilia verbà penitus abscindantur. In choro verò Ecclesiæ ad diuinas laudes parato. Dormitorio, Cœnaculo, Clausтro, ac Capitulo, omni tempore loqui non deceat, nisi ea quæ ordinata *Aduert. ut Religiosi.* sunt in laudibus Dei, vt iam & tẽpus & locus religionis vestræ prædicẽt sanctitatem, & loquacibus compunctionem

Digitized by Google

dem ingerant, & intrandi ad societatẽ vestram sancta desideria incitent, & affectus ad cælestia moueantur. Satis de hoc multa: Nunc castitatis indagabimus exempla. Frustra enim os loquacitati clauditur, si mẽs libidinibus patet. Vt igitur castũ silentiſi in casto seruetur pectore, discamus incestas voluptates sãctę pudicitię amore calcare.

De Castitate seruanda exempla virorum.

CAP. VII.

DE Castitate tractaturi, nouam potiùs quàm veterẽ Legẽ sequamur. Primis quippe hominibus recenti adhuc vacuoq; mundo præceptum est: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Repleta verò terra, posteris, id est, nobis continentia cõmendata est, monente Domino lumbos præcingi, vt ex illo eunuchorum genere simus, qui se castrauerint propter regnum cælorum. Vnde & Apostolus: Bonum est homini, inquit, mulierem non tangere. Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint sicut & ego: quòd si non se continent, nubant: melius est enim nubere, quàm vri. Et de virginibus tanquam de eminentiori virtute, magisque angelica quàm humana, præcipere non auder, sed consulere, atque concludens, ait: Qui Matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Ex ijs patet, Virginitatem viduitati, viduitatem Matrimonio præferendam esse. Sed ne veterum etiam testimonia idem asserentia nobis aliquis prorsus deesse putet, docebimus olim quoque non nisi castos ad Deum accedere, & iratum placare potuisse. *Genes. 1. Luca 1. Matth. 19. 1. Cor. 7.*

POPVLO Israelitico Dominum de monte Sinai loquentem audituro Moyses, imò per Moysen ipse Dominus præcepit, dicens: Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris. Et quisquam Matrimonium audet æquare castitati, si coniugatos alloqui noluit Deus, nisi cùm per tri um sese continuissent? *Exod. 19.* *Populus Israel. Exod. 19.*

ANTEHAC Moysi monte Oreb de rubo loquens Dominus dixisse scri :Non appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta *Moyses Exod. 3.*

ra sancta est. Itidem dictum est ad Iosue, cùm transmisso
Deut.25. Iordane in agrum vrbis Iericho peruenisset: Calceamentum autem solui ei, qui nuptijs propinquitatis iure sibi oblatis renuntiasset, mos erat, dicebaturque domus discalciati. Igitur Deo appropinquare, vel in loco sancto stare volentes, iubentur calceamenta soluere, id est, curæ coniugalis obliuisci, & cælibatus signa præferre.

Lex. PRAETEREA Matrimonio copulatos, quoties coie-
Leuit.12. rint, aqua lauari Lex iubet, & vsque ad vesperum immundos esse denuntiat. Mulier quoque cùm masculum peperit, immunda est dies septem: cùm fœminam, quatuordecim: purificationis quoque dies hic sexagesimus sextus, illic trigesimus tertius præscribitur, nec antè puerperæ ingredi Sanctuarium licet, quàm purificata fuerit. Ex quo apparet, Matrimonij operam absque aliqua honestatis labe munditiæque detrimento fieri non posse. *Leuitic.12.*

Leuit.22. Si filia sacerdotis inquit, cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt, & de primitijs non vescetur. Sin autem vidua, vel repudiata & absque liberis, reuersa fuerit ad domum patris sui (sicut puella consueuerat) aletur cibis patris sui. Nónne & in hoc videmus, nuptijs præpositam fuisse viduitatem? *Leuitic.22.*

Leuit.21. SACERDOTIBVS ipsis neque viduam, neque repudiatam accipere vxorem, sed tantùm virginem fas erat. Ergo & viduitati præcellebat Virginitas.

Num.31. MADIANITAS ab Israelitis duce Phinee superatos, Moyses occidi ad vnum iussit, præter virgines puellasque, vt vel hinc intelligas, matrimonia morte dissolui, virginitatem verò vita æterna esse dignam.

1.Reg.21. ACHIMELECH Sacerdos panes sanctificatos Dauid esurienti & ijs qui cum illo erant daturus, interrogat: Si mundi sunt, maximè à mulieribus, vsque adeò cibos sacros dare etiam fame periclitantibus, nisi castis, non licebat. Et si hoc olim in pane illo seruatum est, quantò nunc mundiores esse decet, quibus sub eadem specie sumendum datur purissimum Christi Corpus, spiritalis Caro, ineffabile Sacramentum? *1.Reg.1.*

IOEL

Digitized by Google

IOEL Propheta vastationem atque excidium per Chaldæos futurum prædicens, diuinam leniri iram posse sperat populi ieiunio & fletu, & supplicationibus, ijsque addens: Egrediatur, inquit, sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Continentiam indixit, vt precatio ieiuniumque & pœnitentium gemitus puriora offerrentur, nec illa sufficere putauit sine hac castitatis obseruatione. *Ioel. 2.* *Notent hæret.* *Ioel. 2.*

His testimonijs cõgrua quoque exẽpla subdantur. Ioseph forma insignis adolescens, ab AEgyptia domina adamatus, cùm consentire libidini impudenter se ingerentis nollet, vim inferre conantem, relicto quo apprehensus fuit pallio, effugit. O fortem & inuicti animi iuuenem, cum id ætatis esset, quæ ad voluptatem est procliuior, cõcempsit blanditias, preces, minas, omnia deniq; impatienter ardentis fœminę machinamenta pro nihilo habuit, & veluti repentino premeretur incendio, penè nudus ab ædibus erupit, vt castitatem illæsam conseruaret. *Gen. 39.* *Ioseph.* *Gen. 39.*

MOYSES quidem, sicut omnes ferè qui sub Legis iugo seruierunt, vxorem habuisse describitur. Sed Iesus Naue (qui Euangelij libertatem figurabat) nec vxorem habuit, nec filios, & hic cælebs terram promissionis ingreditur, quam ille maritus tantùm vidit, & ingredi non potuit. *Moyses.* *Iosue.*

SED neque Eliam, neque Elisæum, vxores habuisse aut liberos habuisse legimus, & à nemine ante Euangelium, præterquam ab ijs, mortuos ad vitam excitatos, vt miraculi raritas ac magnitudo seruatæ castimoniæ testetur meritum. *Elias.* *Elisæus.*

IEREMIAS quoque diuinum accipit mandatum, ne vxorem habere velit, néve prolem suscipere. Itaque quòd in matris vtero sanctificatus fuisset, virginitate probauit. Qua etiam meruit, vt vrbe à Chaldæis capta temploque direpto, solus apud hostes liber esset, & qui Sancta sanctorum violare non timuerant, ipsum muneribus honoreque affecerunt: vt hinc agnoscas, hominem qui castitatis professione Deo sese dedicat, omni templo sanctiorem esse. *Ierem. 1.* *Ieremias.* *Ierem. 1.*

AC ne etiam coniugatis pudicitiæ colendæ ratio desit, *Tob.*

non minus continentiam quàm patientis Iob exemplum in medium adducam. Hic vnica vxore contentus ac monogamus: Pepigi, inquit, fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis? Et paulo pòst ait: Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum: scortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alij. Hoc enim nefas est & iniquitas maxima, ignis vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Quibus profectò verbis & continentissimum se fuisse ostendit, & quàm graue crimen adulterium sit, explicauit. *In lib. Iob.* *Iob 31.*

HAEC de veteri libauimus Instrumento, plura de nouo hausturi, vtpote cuius initium ipsa virginali castitate consecratum est.

DOMINVS noster Iesus Christus ita de Virgine nasci voluit, vt perpetuam illi de qua nascebatur virginitatem conseruaret, per portam clausam in mundum hunc veniens, per quam vir non transiuit, & ipse in virginitate perseuerans, pudicitiæ puritate se plurimum gaudere significauit. Vnde: Sinite pueros, inquit, venire ad me: talium est enim regum cælorum. Tales quippe & in Apocalypsi, qui canticum cantant nouum, quod nemo alius canere potest, & sequuntur Agnum quocunque ierit. Sine macula enim sunt ante Thronum Dei, & cum mulieribus non fuerunt coinquinati. *In Euangel.* *Christum.* *Matt. 19.*

IOANNEM Baptistam, vt illum baptizaret, Virginitate meruisse credimus, cùm maximè decuerit, vt baptizari volens castus Dominus, casta editus matre, casti serui opera ministerioque vteretur. Itaque Ioannes plusquam Propheta est, quoniam plus est virginem esse, quàm futura prædicere. Ipse est Elias, id est, robustus dominator, qui carnis lasciuiam animi puritate superauit. Denique inter natos mulierum nemo maior est illo, quia perfectæ castitatis merito iam inter Angelos computatus erat. De ipso enim dictum est: Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, Angeli igitur magis *Ioannes Baptista.* *Luca 7.* *Malach. 3*

quàm

Digitized by Google

quàm homines sunt, qui virginitatem sanctè integreque custodiunt. *In Euangel.*

IOANNEM Apostolum, quoniam & ipse Virgo erat, præ cæteris à Domino dilectum Euangelia testantur. Ob hoc ab eodem Domino illi matrem commendatam, & illum matri. Virginitatis etiam priuilegium fuit, quòd idem & Apostolus est, & Euangelista, & Propheta, quodque in feruentis olei dolium missus lædi non potuit, & in terra relegatus, quæ in cælo gerebantur, vidit. *Hieronym. contra Iouinian. lib. 1. cap. 14.* *Ioannes Apostol.*

IACOBVM Apostolum, qui frater Domini nuncupatus est, intantum castitate sanctitateque præstitisse ferunt, vt etiam Iudæis incredulis admirationi esset. Soli Sancta sanctorum intrare permittebant. Plerique deinde ob illius necem Ierosolymam euersam putauerunt. Hunc Paulus, & Cepham, & Ioannem, veluti reliquorum Præsides columnas vocat, & ab ijsdem sibi dexteras datas societatis gloriatur. *Euseb. Hist. Eccles. lib. 2. cap. 23.* *Iacobus Apostol.*

AC ne quis calumnietur, Petrum non fine vxore fuisse, nec nos imus inficias, cùm & socrum habuisse dicatur ac filiam: sed pro certò affirmamus, tum ipsum, tum si qui alij inter Apostolos vxores habuerunt, eas repudiasse propter Christum, cùm præsertim repudij ius nondum sublatum esset, alioquin mendacij arguerentur, cùm ipse Petrus pro se & pro reliquis diceret: Ecce, nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Quòd autem etiam vxoribus renuntiassent, ex Domini responsione apparet: Amen, inquit, dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo futuro vitam æternam. Igitur palam est, & quæ reliquerant, & quam pro relictis remunerationem accepturi erant, nec solùm ipsi, sed etiam omnes qui ipsos postea imitati fuerint, vt Apostolorum præmia consequi posse speret etiam is, qui Apostolatus dignitate caret. *Luc. 18.* *Petrus Apostol.* *Luc. 18.*

PAVLVS Gentium Apostolus viduas virgines que ad perpetuam castitatis obseruationem suo hortatur exem- *Paulus Apostol.*

1. Cor. 7. plò, dicens: Bonum est eis si sic permanserint, sicut & ego. Quod nequaquam dixisset, nisi se ab omni penitus mentis & corporis immunditia expertem alienumque cognouisset. Hic ille est, qui raptus vsque ad tertium cælum audiuit verba arcana, quæ non licet homini loqui, & nescit in corpore an extra corpus raptus fuerit. Sic qui castitatem colunt, se in corpore esse nesciunt, quia corporis affectiones non sequuntur, sed supra cælum animo elati diuina concipiunt Mysteria, quæ quidem terrenis voluptatibus dediti scire non possunt.

Quantum igitur in hac virtute seruanda sancti viri ac mulieres soliciti constantesque fuerint, innumeris penè exemplis patet. Nos non multa subijciemus, quæ tamen, cùm ad probandum quod dicimus, tum ad imitandum, sat erunt.

Amon abbas. AMON Ægyptius Abbas, à parentibus accipere vxorem coactus, virgini, vt virginitatem seruaret, persuasit. Diuisis ergo lectulis vsi, sed tamen eodem contubernio, cùm iam decem & octo annos corpore ac mente integri vnà peregissent, vtilius tutiusque sibi visum est, si digrederentur. Itaque illa mansit domi, ipse verò ad solitudinem Nitriæ abiens, ab hominum consuetudine semotus vixit. Quid magis mirer, nescio, tres pueros illos in Babylonica fornace, inter flammas vinculis constrictos ardere nequiuisse, an istos vigente iuuenta nuptiali thoro junctos, nuptiale opus, cùm tamdiu simul vixissent, exercere nunquam voluisse? Magnum vtrumque miraculum, sed multo maius donum, mentem castam habere, quàm illæsum corpus. *Pallad. Hist. 8.*

Iulianus & Basilissa. HOC idem in Iuliano Antiocheno Martyre & Basilissa virgine mirari licet, qui nuptijs inter se celebratis, cùm Iulianus continentiæ votum suscepisset, brumæ tempore rosarum ac liliorum fragrantiam in cubili collocati senserunt: stupescentique puellæ Sponsus dixit, odorem hunc munditiæ virginalis esse. Cuius quidem suauitate illa capta, vnà cũ ipso in Virginitate perseuerare decreuit. Propositum amborum confirmauit visio; Christus cũ matre Virgine illis apparuit, pudicitiæq; coronis donatos

natos dimisit. Cumq; diu simul castè sancteque vixissent, Religioni sese tradidêre, alter Abbas monachus, altera Abbatissa præfuit Virginibus. Iulianus postremò Martyrij quoque palma glorificatus, sicut carnis lasciuiam pudicitia, ita tormentorum vim patientia superauit. *Sur. Tom. 1.*

AMATOR quoque Antisiodorensis Episcopus, parẽtum suorum voluntati cedens, inuitus puellam genere & forma insignem, cùm in matrimonium accepisset, suadendo induxit, vt secum castitatem profiteretur. Suscepto vtrinque voto, Angelum Domini viderunt, quẽ antè videre non poterant, & Virginitatis coronas de manu eius acceperunt. Mox illa virginum Monasterium ingreditur, ipse Clericus efficitur, Eladioque in Episcopatum succedit, dignus Ecclesiæ sponsus, qui cùm maritus esset, se maritum nescisuit. *Amator Episc.*

HENRICVM Imperatorem, qui annos tres & viginti imperauit, Virginitatem vnà cum Kunegunde vxore seruasse tradunt. Non illos regalis luxus ad carnis inflexit lasciuiam, non suscipiendæ sobolis cura, cui Imperij fasces reliquissent, perpetuæ castitatis mutare propositũ fecit. Omnia contempserunt, vt se mente & corpore integros Deo offerrent. Id antè multis incognitum, vir ipse vita decedens palàm fecit, testatus se vxorem suam vt virginem acceperat, ita virginem dimittere. *Iacob. de Vorag.* *Henricus Imperat.*

ARNVLPHVS natione Gallus, genere clarus, Stambergam Clodouei regis neptim duxerat vxorem. Sed vt Spiritu non carne iungerentur, sancto suadẽte Remigio, inter se conuenerunt. Ne verò præsentia oppugnaret propositum, ipsa domi resedit, ille peregrè profectus est. Cumque multa morum sanctitate polleret, Turonensem Episcopatum Domino per Angelum iubente suscepit, ne scilicet Apostolica careret dignitate, qui Apostolorũ vitam secutus fuerat, matrimonio præferens castitatem. *Greg. Turonens.* *Arnulphus Episc.*

NON minor casti propositi constantia Vandonis Abbatis fuit. Nam cum Pipini Galiorum regis nepos esset, *Vando Abbas.*

à Dagoberto regni successore (cui inprimis charus erat) compulsus est ducere vxorem, neque tamen ne castitatē seruaret, compelli potuit, nuptæ persuasit, vt Deo potius quàm mūdo seruirent. Itaque illa sacrarum Virginum collegium inijt, ipse Monachorū Abbatisq; officio functus est, & miraculis nobilitatus. At si in carne seminasset, de carne & messuissēt corruptionem: Seminauit autē in spiritu, & de spiritu messuit vitam æternam.

Eduardus rex.

EDVARDVM quoque Britannorum regem, cum Edgida vxore virginitatem custodisse, memoriæ proditum est. Non tam illi vrbes, populos, prouincias vicisse gloriosum foret, quàm quòd seipsum vicerit, nullum Veneræ voluptati relinquens locū. Hunc tamen si quis imitari voluerit, imitetur castitatē, consortiū fugiat. Difficile. n. creditu est, nedū factu, vt vir & mulier vnà habitent, & neque hæc se sciat vxorem, nec ille maritū. Nulla securitas est vicino serpente dormire. *Osbert. Sur. Tō. 1.*

Faron Epis.

FARON Meldensis Antistes, postquam pari cum coniuge consensu Religionem professi, altera inter Moniales, alter inter Monachos diu sāctè vixissent, formæ pulchritudinisque eius memoria solicitatus, ipsam vt ad se veniret, rogatum misit. At prudēs femina sagaci mēte id quod erat cōcipiens, ire omninò recusabat. Eo ille magis ardere, nec animo conquiescere, nec euocando cessare. Venit tandē mulier cilicio induta, squalore obsita, vultu lugubri, & ipsum immundæ cogitationis arguens resipiscere fecit. Quod si sanctissimam virum procul à mulieribus separatum recordatio ipsa penè ad vomitum redire cōpulit, quantò propius periculo erunt, qui cū his simul habitare præsūpserint? *Fulcuinus Meldēf. Sur. Tom. 5.*

Theonas Abbas.

THEONAS Scythiotici Monasterij Abbas, & ipse parentibus non sibi obsecutus, coniugij iugum tulit. Cæterū cū quinquenniū vxori seruisset, ad continentiam est conuersus. Ille verò vt itidē se contineret, & iam spiritu secum non carne copulari vellet, persuadere nullo modo potuit. Vbi autē omnes adhortationes incassum cedere vidit, grauiter ingemiscēs: Ego te, inquit, mulier abstrahere à morte nō possum, nec tu me seperabis à Christo.

Digitized by Google

sto. Melius est mihi cum homine quàm cum Deo habere diuortium. Post hæc relictis omnibus, dimissaque vxore, Monachum se fecit. Sed nemo legem putet vnicum exẽplum, vt repudiet inuitam. Nescis enim an sic voceris, vt hic vocatus est, singulari quadam vocatione non communi. Quippe qui breui tanta profecit sanctitate ac scientia, vt sub Ioanne Abbate Monasterium ingressus, in successoris eius Heliæ locum, omnium suffragijs sufficiẽ meruerit, cunctis prælatus, qui vxori prætulerat Christũ. *Cassian. col. 21. cap. 9.*

Ioannes Abbas cum quidã solitarius.

AD Ioannem Abbatem quendam seculari habitu hominem venisse, autor est Cassianus, primitiasq; obtulisse. Cuius aduentu dæmon ab obsesso, quem sanare Abbas non potuerat, repentè effugit, propter eum se fugere cõfessus. Admiratus Ioannes vnde ex illo seculi homine tãta virtus emicuisset, curiosiùs percunctari cœpit, atque audiuit, eum olim, dum monasticæ professionis desiderio afficeretur, à parẽtibus compulsum ducere vxorem, & iã annum vndecimũ cũ illa in virginitate perseuerare, ipsã deniq; omnibus inscijs, sororis, non coniugis, loco habere. Quare in stuporem versus senex, protinus exclamauit: Non immeritò talis viri præsentiam immundum spiritum ferre nequiuisse, cuius pudicitiæ constantiam ipse imitari formidaret, ne quod illi in laudẽ, sibi cederet in pernitiẽ. Tale quippe facinus omniũ prædicatione dignũ esse, sed nõ ab omnibus experiendũ: cũ sẽper inter castimonię obseruatores is, qui feminarũ familiaritatem uitat, securior sit, fortior, qui nõ deuitat. *Cass. Col. 14. c. 7.*

Timoth. solitarius.

TIMOTHEVS Anachoreta in vastissima AEgypti eremo, nulli hominũ cognitus, iã annos triginta peregerat, quando à Pafnutio Abbate fuit inuentus, toto eo tempore nudus, & squalidus, & palmæ tantum fructibus vitam sustentans, ac lugens peccatum suum, quòd nimia sui fiducia, cũprimũ secessisset, mulierem religiosam secũ habitare passus fuisset. Qua tandem cognita, annos sedecim se abusum fatebatur. Et dum fateretur, lachrymas tenere non poterat. Vide igitur, quam periculosum sit maris feminæq; consortiũ, etiam cùm ambo perpetuam vouerint casti-

castitatem, ambo soli Deo seruire proposuerint. Quod iste expertus, eò iam profugerat, vbi nec nomen fœminæ audire posset. *Metaphr. Sur. Tom. 3.*

Leo Papa PRIMVM Leonem Pontificem maximum ferunt, dum solenni Paschæ die sacrosanctam Corporis & Sanguinis Christi Communicationem populo daret, à quadam matrona in manu osculum excepisse, & cùm ex hoc intimis in medullis improbæ cupidinis excitatum sensisset incêdium, in semet iratum, manum illam abscidisse. Verissimum est igitur illud Apostoli oraculum: Bonum est mulierem non tangere, postquam tetigisse tam malum fuit. *In vita Leonis.*

1. Cor. 7.

Benedict. Abbas. SED si Benedicto Abbati in deserto procul ab hominũ consuetudine commoranti necesse fuerit nudum iniicere sentibus corpus, & rotum multo volutatu cruentare, vt visæ aliquando fœminæ incastam recordationem dolore sedaret: profectò bonum est etiam mulierem non videre. Qui enim viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. *Gregorius Dial. lib. 2. cap. 2.*

Matt. 5.

August. AVGVSTINVS interrogatus, quare cum sorore habitare refugisset: quia, inquit, quæ cum sorore mea sunt, nõ sunt meæ sorores. Et hanc eiusdem sententiam esse perhibent: Malum est mulierem videre, peius alloqui, pessimum tangere. Ex sensibus igitur corporis nostri, vt quisque periculo proximior, ita magis continendus. *Possidon. in vita August. cap. 26.*

Ioannes solitarius. PROPTEREA quidam Ioannes Anachoreta, in quadam AEgypti præruptæ rupis spelunca obstruso aditu degens, cum feminis nunquam est locutus, rarò cum viris, ad se tamen intrare permisit neminem. Tribuno roganti, vti se coniugi suæ conspiciendum sustineret, non est assensus, sed in quiete se illi appariturum promisit, quòd eam pio desiderio affici sciret. Proxima igitur nocte mulier somnians ipsum vidit, quem vigilans nunquã viderat, & quòd viderit, formam habitumque corporis & cuncta vultus lineamenta rectè vereque referẽdo, fidẽ fecit. Quantæ, quæso, perfectionis vir iste fuit, qui imaginem

nem sui dormienti feminæ spectandam mittere potuit, cui tamen accessum ad habitaculum suum interdixit? Et si talis lapsum pertimuit, quis tutum putabit ingerere se obtutibus mulierum? *Pallad. Lausi. Histor. 43.*

Paulus Abbas.

PAVLVM quoque Abbatem, qui solitudinem Panephisio oppido proximam incoluit, ne feminam videret, impensè cauisse accepimus. Et cum aliquando cum Abbate Archebio ad quendam senem pergeret, videns à lõgè obuiam venire mulierem, protinus retulit pedem, & comite frustra retinente, ipso relicto tuguriolum suum cursu concito repetiit. Cassianus tantam deuitandi sedulitatem immodestiæ ascribit, Deique iudicio factum asserit, vt qui tantoperè femineum conspectum execrabatur, paralysi resolutus ad Cœnobium Virginum deferretur, & languenti mulier assideret. Sed ego reor etiam dono Dei factum, ne à muliere prius tangeretur, quàm cùm se tangi penè nõ sentiret, valetudinis vi oppressus. Quod si ab ea tangi antè contigisset, grauius fortasse animo quã corpore ægrotasset. Puritatis autem eius etiam apud feminas iacentis testimonium fuit, quòd languentes oleo, quo ipse contactus fuisset, perunctí sanabantur, & infirmus infirmis remedio erat. *Cassian. Col. 7. cap. 26.*

Pafnut. Abbas.

PAFNVTIVS Abbas dum hospitibus pulmentũ lenticulæ, quod atheram appellabant, pararet, & subuolantis flammæ vapor manum eius adussisset, cogitare secum tacitus cœpit, cur qui iampridem & dæmonum infestationes deuicisset, & illicitos carnis motus mortificasset, tam modicæ flammæ læsionem persentiret? Quiescenti Angelus apparuit: Et quid, inquit, Pafnuti ab igne te offendi potuisse miraris, cùm necdum ignem, qui in te est, sic penitus vt putas extinctum geras? Tunc te illum extinxisse crede, cùm puellam nudam atque formosam cõplexus, nullo te libidinis motu solicitari deprehenderis. Euigilans ille expauit tale experimentum, & liquidò intellexit, tutiùs esse cum dæmonijs colluctari, quã iuuenculę mulieris lateri adhærere: & ab igne offendi, quã ab ea tangi. *Cassian. col. 15. cap. 10.*

Arsenius Abbas.

ARSENIVS Abbas, virorum quoque, nedum feminarum

rum declinare solitus consortia confabulationesque, vt expeditiùs diuinæ contemplationi vacaret, cùm quędam non obscuri generis matrona illum videre cupiens, de improuiso aute hospitiolum suum ipsi occurrisset, repetè auertit sese, & muliebrem audaciam gestu pariter ac verbis incusauit. Rogo, inquit illa, ne indignè feras aduentum meum, quæ sincera mente & pio affectu huc veni. Aut si eo quicquam offensus es, veniam da, ac pro me Deum (cui soli seruis) deprecare. Precabor Deum respõdit, & quidem multum, ne vnquam meminerim tui. Documento nobis est, vt quas etiam aliquando vidisse contigerit, mente ne retineamus. *In vitis PP.*

Pior Abbas.

PIOR Abbas Antonij Abbatis discipulus, in tantum feminas aspicere timuit, vt nec sororem viduam, valetudineq; affectam, videre vellet. Cùm.n. ab ea accersiretur dicente, si ipsum vidisset, tam sibi gratum fore, vt inde sanitatem se recuperaturã speraret, ire omninò recusabat. Mox tandem Abbate iubente profectus est, & sororis cubiculum oculis clausis alterius ductu ingressus, se quidẽ illi videndum præbuit, sed illã ipse minimè vidit, nec ab ea cognitus abijt. Cumq; rursum vt veniret, inuitaretur: Et fui tecum, inquit, & vidisti me. Sic ille excogitauit, quemadmodum & Abbati morẽ gereret, & sororẽ præsentẽ non conspiceret, ob hoc solũ, ne à proposito discederet, quo tuendam castitatẽ existimauit. *Pallad. Hist. 87.*

Vrsinus Presbyter.

VRSINVS Nursiæ Presbyter vxorem habuisse dicitur, sed cùm Presbyteratum accepisset, ita ab ea fuisse alienus, vt nulla necessitate ipsam ad se propiùs accedere passus sit. Post annos quadraginta in tali continentia trãsactos, dum ille animam ageret, & tandem cessante nouissimi singulț anhelitu decessisse putaretur, ipsa admota ad nares aure, an adhuc spiraret, explorare cœpit. Mira res, persentit mulieris tactum, qui seipsum iam nõ sẽtiebat: tum quicquid vitalitatis in mortuo penè corpore residuum erat, totum ad os collegit, prorupitq; in vocẽ, dicens: Recede mulier, nondum penitus extinctus est ignis, tolle paleam. Recedente illa, apparuerunt Petrus & Paulus Apostoli, quos ipso vidente cæteri videre non poterant.

Digitized by Google

terant. Et dū ab eis (vt aiebat) inuitatus se venire respondisset, expirauit. Si tales comites habeat hinc discedens casti hominis anima, quis nescit, quales habere soleat eis qui libidini seruit? Aut quò hæc vocetur, si illa vocabatur ad cœlum? Heu, heu, momentanea voluptas, quantum decipis, cùm finis tuus æternum malum sit? *Gregor. Dial. lib. 4. cap. 11.*

Martius solitarius.

PROPTEREA quidem Martio Marsici Campaniæ montis Solitario decretum ac deliberatum fuit, ne feminam aspiceret, & dum quædam non Sancti visendi cupiditate, sed magis propositi eius turbandi causa, illi captata occasione repentè astitisset, pronus humi corruit, vultuque inter palmas collecto, tamdiu Deum, vti se in tali pudicitiæ discrimine tueretur, orauit, donec illa lōgioris moræ victa tædio inde discessit. Ac ne quis Christi seruis negotium facere leue crimen putet, fama est, mulierem hanc simul atque de monte descendisset, vita decessisse, Deo temeritatē eius vlciscēte. *Greg. Dial. l. 3 c. 16.*

Carileph. solitarius.

EIVSDEM audaciæ, sed diuersi euentus femina, Carilephum in Gallia, loci, qui Cassagalla dicitur, Solitariū adijt, virili amictu sexum dissimulans, cùm & ipse muliebres congressus semper refugisset, & dum singula nemine impediente perlustrasset, oculis capitur, ac protinus facti pœnitens, nec iam se celās, nec merito eiusmodi infortuniū se passā negans, & corā illo prouoluta suppliciter venia petēs, ipso orāte visū recepit, vitāq; correxit, satis experta sub tutela Dei esse casti propositi viros.

QVOSDAM verò (sicut de Leone Pontifice paulo antè dictum est) in magno castitatis periculo in seipsos sæuisse constat, satius existimātes mutilato corpore intrare in regnum cœlorum, quàm integro mitti in Gehennam.

Anianus Episcop.

ANIANVS Alexandrinus Episcopus, Marci Euangelistæ successor ac discipulus, mulierē quandam intuitus mortē sensit intrare per feneſtras, & scandalizantē oculū eruit, proiecitque à se: post hæc solitus in gelidis mersare corpus aquis, inediaque & vigilijs fatigare, vt æstuantem in præcordijs libidinem extingueret. Et qui tanto labore castitatem custodierat, montes dicitur trāstuliſſe, quod

nescio

neſcio an vllus alius, monte quodam Numidæ Babyloné vſque, ad roborandam Chriſtianæ religionis veritatem, ire iuſſo atque obediente.

Niceta Martyr.

NICETA Martyr à patre Maximiano Nicomediæ rege ob Chriſtianam profeſſionem ſupplicia paſſus, poſtquam omnia conſtanti animo pertuliſſet, ſuper plumea culcitra reſupinus collocatur, vinculisque cõſtringitur, ne inde ſe mouendi facultas eſſet. Tum adducta eſt meretrix forma prædita, veſtitu compta, arte inſtructa, quæ & minus fortes allicere, & non ita cautos poſſet peruertere. At verò Niceta vbi ſe ab illa modis omnibus ad impudicitiam concitari vidit, manibusque femineis verenda etiam in parte improbè ac petulãter attrectari, ne laſciuia vinceret, quem non vicerant tormenta, præciſam mordicus linguam in oſculantis ſe faciem expuit, & vi doloris vim repulit voluptatis. Exhorruit viri cruore perfuſa mulier, abijtque admirans ac ſtupens, & iam maius quiddam homine illi ineſſe reputans, quem, vt libidini ſuæ cederet, ne vinctum quidem cogere potuit.

Quidam Martyr.

PAR huic exemplum in vita Pauli primi Eremitæ refert Hieronymus, ſub Decio & Valeriano perſecutoribus apud AEgyptum paſſi iuuenis. Sed illum, poſtquam omnia tormentorum genera ſuperaſſet, in amœniſſimos hortulos adductum, inter lilia candentia & rubentes roſas, lectuloque compoſitum, leni aquarum murmure iuxta labente riuulo, molliſque ſibili vento arborũ ſtringente folia, ita vt locus ipſe turpem voluptatem mouere poſſet, niſi diſſectæ dentibus linguæ dolor etiam thori mollitiem, & meretriculæ procacitatem, blandimentaq; contempſiſſet. *Hier. in Epiſt. de vita Pauli.*

Quidam ſolitarius.

FERVNT etiam quendam in deſerto AEgypti ſolitarium ſingularis probitatis virum, ad quem corrumpendum, cum veniſſet meretrix (acceperat autem ſponſione à quibuſdam laſciuis & ſui ſimilibus iuuenibus, ſi illum ad coeundũ ſecũ compuliſſet) finxit ſe via aberraſſe, & quoniã iam veſper erat, flens petijt, vti nocte illa tecto ſuſciperetur. At ipſe animi ſuſpenſus aliquandiu ſtetit. Caſtitatis periculũ denegare quod petebatur ſuadebat, chari-

Digitized by Google

[illegible] verò cedere cogebatur, ne quid feminæ foris [illegible] aduersi contingeret, cũ locus feris frequens es[illegible] Denique receptam in vno tugurioli angulo posuit, [illegible] in altero collocauit. Noctu tamen cogitationibus [illegible] pudicitiam pulsatus, iam in eo erat vt vinceretur, [illegible] subitò in mentem venit, quòd pro tam breui volu[illegible] ignem æternum passurus esset. Exurgens igitur ac[illegible] lucernã, & experiar, inquit, an ignẽ sustinere pos[illegible] sustinere cogerer si deliquissem, digitosq; ad lu[illegible] admotos, vrere pertinaciter cœpit, adustionis [illegible] libidinosas cogitationes dissipauit, & Gehen[illegible] timor intima voluptatis titillationẽ repressit. Mulier [illegible], quæ seruum Christi in mortis foueam præcipita[illegible] soliebatur, ipsa ibidẽ vitã cũ morte cõmutauit. Manè [illegible] illi aduehiunt, & quam vicisse putauerant, mor[illegible] iacere offendunt. Sanctus verò, vt pro malo redde[illegible] ipsam quæ pudicitiæ suę insidiari ausã fuerat, [illegible] sanitati restituit. Hic attendendum, incauta [illegible] quàm malè cessisset, si tentatus ipse sibimet mi[illegible] pepercisset, si carnis pruritum flammæ cauterio non [illegible] si denique digitos pro castitate dare distulisset. [illegible]

[illegible] Hilarione Abbate D. Hieron. scribens, ita ait: Ira[illegible] & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes [illegible] manus posset excutere: Ego te, inquit, aselle [illegible] non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis, [illegible] conficiam & siti, graui onerabo pondere, per æ[illegible] & frigora, vt cibum potius quàm lasciuiam [illegible] Herbarum ergo succo & paucis caricis post tri[illegible] vel quatriduum deficientem animam sustentabat, [illegible] frequenter & psallens, & rastro humum fodiens, [illegible] iniorum laborem labor operis duplicaret. Indica[illegible] Hieronymus aduersus libidinem tria præcipua [illegible] dia, dum Sancti huius recenset gesta, ieiunium, ora[illegible] laborem. *In vita Hilarion. cap. 2.* *Hilarion Abbas.*

[illegible] hæc, Euagrium Presbyterum hybernis no[illegible] in puteum, Bernardum Abbatem in lacum descẽ[illegible] solitos accepimus, vt gelascẽtiũ aquarũ frigore, ca- *Euagrius Bernard.*

lorem corporis temperarent castitati infestum. *In vita Bernard. lib. 1. cap. 3.*

Andom. fortè Taruan. Francis. AVDOMARVM Tamensem Episcopum in vepribus, Patrem Franciscum in niuibus nudum volutasse corpus, vt ea castigatione voluptatem carni insitam edomarent. *Bonauent. cap. 5.*

Bernard. Ablas. Thomas Aquinat. RVRSVM Bernardus illam, quæ libidinis furore percita vim castitati suæ inferre conabatur, clamoribus abegit: Thomas Aquinas, rapta de proximo foculo torre. O fida atque inuicta seruorum Christi pectora, quæ dum pro pudicitiæ arce starent, nec occultis inimici insidijs nec aperto bello capi potuerunt. *In vitijs ipsorum.*

Apelles Monach. APELLES quoque Monachus, diabolum sub mulieris forma se dolosè illicientem, candenti ferro manu è fornace rapto (erat enim faber) perculit in faciem, & ille edito eiulatu, vt à multis audiretur, fugiens euanuit. Apelli deinde, sicuti tunc, candens ferrum manu non forcipe tenere, cùm opus faceret, moris fuit. Quem libidinis calor diabolo succendente vrere non potuit, iam nec ferri poterat. *Pallad. Hist. 60.*

Christop. Martyr. CHRISTOPHORVM Martyrem, qui mundi opificē in humeris gestare meruit, cui ducenti milites manum inijcere non sunt ausi, quo viso Ammonitarum rex est territus, vicissent feminæ, nisi ille repentè ad orationis arma confugisset. Vinctus & in carcere positus, dum illū duæ insignis impudicitiæ sorores Niceta & Aquilina ad hoc à rege missæ, vt turpi voluptate delinitum à Christo auerterent, complexu, osculis, alloquijs oppugnare cœpissent, sentit in tali certamine suam sibi haud sufficere virtutem, & Domini inuocauit: Eo orante, carcer illuxit, subito perstrinxit oculos fulgor. Mulieres expauidæ in terram corruunt, mortem sibi timentes quæ mortem intentauerant viro. Sed tādem ab eo spe veniæ recreatæ, Christo crediderunt, dumque ipsum palàm confiterētur, tyranni gladium immotis iugulis excepêre. Tantum itaque valuit casti cordis deprecatio, vt Christophorus & periculū euaderet, & quas pudicitiæ oppugnatrices habuerat, socias haberet Martyrij. *Sur. Tom. 4.*

HELE-

Digitized by Google

HELENVS Abbas discipuli, qui carnis petulantia acriùs quàm ferre posset infestabatur, cellam digito per humum ducto circumscribens, immundis spiritibus ne signum illud transgrederentur præcepit. Et ille deinceps eiusmodi molestia liber fuit. Nos quoque si discipuli eius fuerimus, qui in digito Dei eijciebat dæmonia, nunquam casti propositi locum deseremus. *In vitis PP.* *Helenus Abbas.* *Luce 11.*

MEDERICVS quoque Eduensis Abbas, & ipse malarum tentationum victor ac virgo. Monachum quendam, assiduis incestæ cogitationis oppugnationibus tantũ non superatum, tunica sua vnica induens periculo liberauit, ita vt ille deinde omnis huiusce molestiæ se expertem palàm affirmare solitus sit. *Mederic. Abbas.*

ANTONIO Alexandrino Abbati diabolus deformi admodum tetraque facie apparens, dixit se fornicationis spiritum, & ab eo superatum esse. Nec tamen ideo Antonius laxauit ieiunij rigorem, precum assiduitatem, laborisque solitudinem, sed potiùs auxit. Veritus ne diabolo credendo, dum se stare putaret, caderet: & remissis armis quibus vicerat, occasionem vincendi victo daret. *Athan. in vita Antonij.* *Antonius Alexand. Abbas.*

EVSEBIVS Episcopus & Martyr quam virginitatem ab ineunte ætate solicitè custodierat, Deo protegente nullius insidijs amittere potuit. Mulier quædam formæ illius capta cùm ad ipsam impudẽter irrumpere vellet, cubiculum aditu aperto intrare non potuit, & culpæ cõscia, ac terrore simul perculsa, ante ianuam excito Episcopo, crimen confitendo veniam impetrauit, atque abijt mœrens, dum secum reputat quantum malum est libido, ob quam pudicitiæ cultorem ne adire quidem digna fuerit. Et illum profectò, quem nulla vnquam obscœnitas vicerat, nec persecutoris gladius vicit. *Eusebius Episcop.*

EQVITIVS in Valeriæ partibus Abbas, dum iuuentę immundis tentationibus quateretur, ad precum cõfugia recurrebat. Post quas somnianti visum est, astitisse Angelum, omnemque sibi genitalium modum ademisse, nec postea sensit se tentari. Quinimo Dei dono fretus præesse monasterio feminarum cœpit. Interim tamen dis- *Equitius Abbas.*

Digitized by Google

cipulos admonere non cessabat, ne se in eo priùs æmulari vellent, quam pari miraculo iusuperabiles facti fuissent. *Gregor. Dial. lib. 1. cap. 4.*

Elias Abbas. ELIAS quoque Abbas, cùm triginta annos natus Cœnobij Virginum curam susceperet, & carnis molestias ferre nequiret, ad desertum Scythiæ profugit. Deinde in quiete apparentibus Angelis, cur Deo dicatas Virgines reliquisset, interrogatus causam dixit: Et cùm ab eis virilia sibi abscissa putasset, somno experrectus, & corpore se integrum & mente comperit, Virginumque curam securus repetijt, nullum postea pruritum (licet inter feminas versaretur) improbæ cupidinis in se sentiens. Quisquisquis igitur, quantum potest, periculum caverit, Dei tandem auxilio redditur tutus. *Pallad. Hist. 35.*

De Castitate seruanda exempla feminarum.
CAP. VIII.

SED aliquanto lõgiore quàm oportuit ductu protractus sermo iam admonet, vt feminis quoq; demus feminæ castitatis exempla: ne si ijs tantum quæ diximus contenti erimus, ipsę dedignentur sequi sexum alienum.

Susanna Dan. 13. IAM primùm Susannæ in coniugio fides nuptis omnibus documẽto est, vt mori malint quàm consentire corruptori. Melius est mihi, inquit, absque opere incidere in manus hominum, quàm peccare in conspectu Domini: propterea quidem nec Deus innocentem cædi permisit, nec impunè pudicã infamari sustinuit. Hi qui iam reã iudicaverant, sententiam verterunt in accusatores, lapidibusque obruti sunt, quos furens & effrænata libido ad mendacium egerat & impietatem. *Daniel. 13.*

Iudith. IVDITH viduam & multæ diuitiæ, & iuuenilis ætas, & elegans præ cæteris forma ad repetendum connubium hortabantur. Illa tamen viduitatẽ prætulit nuptijs, molli indumento cilicium, luxuriæ ieiunium, somno atque otio vigilias & orationem, hisq; armis instructa, Holophernis, id est, diaboli, dissecuit caput, nullũ ei ad se corrumpendam relinquẽs locum. Hinc illi, quæ sic vicerat, *Iudit. 13.* dici-

Digitized by Google

dicitur: Confortatum est cor tuum, eo quòd castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris, & ideo manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in eternum. *Iudith* 13.

ANNA Prophetissa, Phanuelis filia, cùm septem tantũ annos vixisset cum viro, in viduitate ad quartum vsq; & octogesimum vitæ suæ annum perseuerauerat, quando Christum videre, & de illo vaticinari meruit. Didicisti incorruptæ viduitatis præmiũ: disce & quo sale, ne corrumpi posset, condita fuerit. Non discedebat de Templo, & ieiunijs & obsecrationibus seruiẽs die ac nocte. *Luc.* 2. *Anna Prophet.* *Luc.* 2.

VENIMVS ecce cum viduis in Templum. Sed iam cũ Virginibus etiam ipsa Sancta sanctorum ingredi licebit, quandoquidem illum, quem nec cœli cœlorum capere possunt, Virginis vterus tulit. Virgo electa est, quæ Deum & hominem pareret, & vt propter Virginitatem electã scires, mater facta, Virgo esse non desijt. *Virgo Maria mater Dei.*

QVAE hanc secutæ sunt, non hominis mortalis sed Christi Sponsarum nomine censentur, cœlestibus dignæ nuptijs, quoniam terrenas contempserunt. *Sponsæ Christi.*

HINC Iphigenia AEgypti AEthiopũ regis filia, Matthæi Apostoli prædicatione à falsa ad veram Religionẽ conuersa, cùm virginitatem Domino vouisset, & iã constructo cœnobio multis præesset Virginibus, neque minis neque blanditijs moueri potuit, vt Hirtacum paterni regni successorem acciperet maritum, æterni regis Spõsam se esse dicens, nec licere sibi illo relicto alteri nubere. Tunc Hirtacus ex amore in furorem versus, Iphigeniam cum reliquis quæ cum illa erant, atque adeò cum ipso Monasterio, concremari iussit. Admoto verò igne flamma virginalis pudicitiæ vltrix inde se auertens, in regiam profilijt, quam, Hirtaco cum vnico filio vix euadente, funditus consumpsit. Sed tamen filius à dæmonio correptus interijt, Pater elephantia perfusus, morbi dolorem non ferens, ipse sibi mortem consciuit. Itaque qui malè perdere Iphigeniam cum suis Virginibus cogitauerat, teterrimè ipse cũ filio disperijt. *Abdias in vit. Matt.* *Iphigenia Virgo.*

TECLA etiam Virgo Paulo Apostolo Iconij Christũ euan- *Tecla Virgo.*

Digitized by Google

euangelizanti credidit. Cumque iam desponsata esset, repudiato coniugio virginitatem seruauit, & ob fidei confessionem in ardentem rogum missa, vri non potuit, [illegible] bitis imbribus igne extincto. Deinde leonibus, vrsis, [illegible] ris exposita, tot feris beluis repentè mansuefactis [illegible] inoffensa. Puduit Proconsulem vltrà in illam sæuire velle, cui tam atroces bestiæ pepercerant, & liberam dimisit. *Ambr. de virgin. lib. 2. Sur. Tom. 5.*

Quatuor Philippi filiæ.

PHILIPPI Apostoli veriùs Diaconi quatuor filiæ quia virgines erant, prophetandi donũ accipere meruerunt, etiam post Ioannẽ, cũ Prophetas cessare oportebat.

Actor. 21.

Agatha Virgo.

AGATHAM Cathanensem virginem, nec Aphrodisiæ meretricis illecebræ, nec Quintiani Prætoris promissa minæ, supplicia, ad impudicitiam trahere potuerũt. Omnia contempsit, vt Virginitatem illibatam Deo offerret. Cùm apparuisset illi in carcere Apost. Petrus, mamillam quæ Quintiani iussu auulsa erat curaturus, exhorruit virilem attactũ, & chirurgicam refugiebat manum, donec quis esset agnouit, & statim ipso abeunte se sanatã sensit. Cùm super acutas testas ardentesque prunas nuda volutaretur, minùs pœnam doluit, quàm nuditatis ignominiam. Quod scelus nec terra fereus intremuit, vrbs cõcussa [illegible] muri ruina Prætoris asseclas oppressit, ac ne ipsi quoque in Virginem impietas impunè cederet, equorũ suorũ [illegible] cibus dẽtibusq; petitus perijt: Ipsa autẽ Virgo, cùm omnes vicisset cruciatus, vltro optauit mori & esse cũ Christo; Quo annuente læta decessit. Meritò ergo venit Angelus ad exequias eius, tumuloque insculpsit: Mentẽ sanctã, spontaneam, Deo honorem, & patriæ liberationẽ: ne angelicis in morte careret laudib', quę in vita castitatis paritate par Angelis fuit. *Metaphrast. & alij, Sur. Tom. 1.*

Lucia Virgo.

LVCIA quoque Syracusana Virginitatem vita habuit chariorem. Iuueni, cui pacta fuerat, iungi noluit, vt iungereretur Christo, pro cuius amore martyrium constanter pertulit, cum illo viuere recusauit. Igitur Paschasio consulari potestate tumenti haud [illegible] licuit, vt ei castitatem posset eripere. Impietatis furijs ardens, puellam duci ad lupanar iussit. Sed illam vis nulla, nulli prorsus

cona-

collatus mouere potuerunt. Funibus circumligatam mille viri, mille boum iuga trahere nitebantur. Sed eodem loco quo eam fixerat Dominus, veluti montis rupes immota stetit, atque ibidem vri, cædi, iugulari potuit abduci vt prostitueretur, non potuit, quoniam Deo vouerat castitatem. *Sigib. & alij, Sur. Tom. 6.*

In Catharina Virgine, victi Philosophi scientiam, patienter tolerata tormenta constantiam, rotarum fractio impiorumque percussio meritum testantur. Sed ne Virginalis quoque cãdoris ac puritatis deessent testimonia, de abscissæ ceruicis vulnere, lac non sanguis effluxit. Exanime corpus Angeli sepelierunt, monumentum oleo manat: & si tantus honor mortuæ in terra, quanta beatitudo viuentis in cœlo? *Metaphrast.* *Cathar. Virgo.*

CAECILIA Virgo Valerianum, cui desponsata fuerat, ipso nuptiarum die ita perterruit, cùm Angelum virginitatis suæ defensorem esse asseruisset, vt ipsam ne cõtingere quidem ausus sit. Quinimo, deposito Gentilitatis errore ad Christum conuersus, & ipse visionibus perfrui meruit Angelorum: Sed & Martyrij coronam cum fratre Tiburtio laudabiliter consecutus est. Ergo non solùm intacta permansit Cæcilia, cupidissimo iuueni tradita, verũ etiam eidem saluti fuit, non auso prophanare illud quod virtute protegi vidit diuina. Denique ambo rubentibus rosis & candentibus lilijs ab Angelo coronari meruerũt, vt hoc Virginitatis insigne esset, illud Martyrij. Neque enim supplicijs vinci potuerunt, quos non vicerat voluptas. *Idem & Sur. Tom. 6.* *Cæcilia Virgo.*

MARGARETA Antiochena Christo deuota Virgo & patris Gẽtilis odia & omnes corporis cruciatus pati maluit, quã Olybrio Antiochiæ Præfecto matrimonio copulari. Equuleum, virgas, vngulas, ignem, grauiora morte supplicia, sed ipsam mortem capite truncata fortiter pertulit, ne nuptijs Virginitatem mutaret: Hinc quidem pro Olybrio repudiato accepit Christum, pro breuibus pœnis æterna gaudia, pro morte vitam. Nec immeritò à dracone deglutita fracto ventre exiuit incolumis, quæ carne circũdata, carnalis impudicitiæ veneno infici *Margar. Virgo.*

non potuit, lasciuiam vincens pudore, & in fragili corpore seruans mentis integritatem. *Idem.*

Barbara Virgo.

BARBARAM Nicomediæ ciuem, forma, genere, diuitijs, floreque ætatis præstantem, fidei tamen ardore talia contemnentem, cùm multis eam petentibus nulli nubere vellet, & se Christianam Virginitatis votum suscepisse diceret, furens Gentilis pater Dioscorus, stricto gladio illam persequi cepit. Sed quam pater persequebatur, saxa miserata sunt. Eam namque montis crepido, ad quã fugiens constiterat, inclinata trâs vallem in aduersa rupe deposuit, & rursum se erigens persecutorem impediuit. At neque miraculo mollitus, omni silice durior pater, tamdiu per deserta latitantem quæsiuit, donec inuenit. Tunc per capillos tractam Martiano Præsidi torquẽdam tradidit. Quam Martianus post multos cruciatus, & vtramque auulsam papillam, ignominiæ causa nudã per vrbis fora duci iussit. Exhorruit nuditatem Virgo, quam non terruerant supplicia. Et cùm Dominum orasset, extemplo affuit illi Angelus, papillas restituit, sanatumque corpus candenti stola contexit. Sed quoniam miracula maleficijs nõ virtuti imputabantur, iussa est decollari. Et ne quid ad immanitatem deesset, præuenit carnificem pater, filiamque gladio, quo antè persecutus fuerat, interemit. Qui omnibus feris ferocior, interficere quidẽ illam quam genuerat potuit, cogere autem vt vel idola adoraret, vel Virginitati nuptias præferret, non potuit. *Idem.*

Agnes Virgo.

SED neque te hoc loco tacitus prætermittam, celeberrima Agnes Virgo. Præfecti vrbis filium nuptias tuas petentem despexisti, diuitias, quæ illi affatim suppetebant, offerentem neglexisti, patrem quoque eius vt minantem ita iniuria afficientem risisti, ob quam constantiam Dominus, dum te impij expoliant, capillorum vestiuit incremento. Dum ad prostibulum trahunt, sua tutatus est luce. Infamem locum micantis fulgoris decore honestauit. Perculit horrore corruptores, & in fugam conuertit. Procum autem illum libidinis furijs actum, nihilque pensi habentem, cùm ad te irruisset, repentina nece multauit. Tu in medias proiecta flammas, non es adusta.

Neque

Digitized by Google

Neque enim quam in te exureret obscæni rumoris maculam ignis inuenit. Dissipatus ergo ardor crudelitatis appetijt ministros, & insonti parcens, conuersus est contra nocentissimos, Dei voluntati obsequente elemento. Denique susceptο per iugulum gladio, intactam Virginitatem eidem, cui deuoueras, Christo Sponso obtulisti. Cuius nunc sequeris vestigia quocunque se ille verterit, perpetuoque eius frueris consortio, recepta victoriæ palma, quoniam pertinacissimos pudicitiæ tuæ oppugnatores magnificè superasti. O fœlix victoria, cuius merces est Christus! *Prudent. & Ambros. Serm. 90.*

Columb.

ET ne qua aliquando dubitet, ne vi eripi possit castitas, Columbam virginem apud Senones passam cùm inter meretriculas vitiandam pertraxissent, vrsus ab iniuria tutatus est. Martianam Cæsareæ defendit paries, inter ipsam & corruptores mirabiliter se interponens. Hyrenem Romæ liberauit Angelus, ijs qui eam ad lupanar trahebant illudens. Flauiam Domicillam Terracinæ intactam reliquit repentina eorum insania, qui vim inferre parabant. Seraphiam apud Vendinenses eripuit horrendus fragor, motusque terræ illos exanimans, qui ipsam polluere nitebantur. *Surius & Ado in Martyrolog.*

Martian. Hyrene. Flauia. Seraphia

IVSTINA Damasci munita Crucis signo magijs Cypriani supplantari non potuit, vt viri copulam virginitate potiorem haberet. Vide igitur quantæ virtutis sit Deo dicata Virginitas, vt violari nullo modo queat, ipso eam protegente cui dicata est. *Gregor. Nazianzen. Orat. 20. Breu. Rom. 26. Septemb.*

Iustina.

HVIVSCE propositi pariter & constantiæ fuêre Dorothea passa Cæsareæ, Euphemia Chalcedone, Iuliana & Dula Nicomediæ, Euphemia, Dorothea, Tecla, Erasma Aquileiæ, Susanna, Basilla, Domicilla, Anastasia, Felicula, Daria Romæ, Victoria Tiburi, Valeria Lemouici, Vrsula cum vndecim millibus Virginum Coloniæ. Hæ & aliæ, tum in ijs, tum alijs orbis partibus, multæ nuptijs Virginitatem, vitæ prætulerunt Christum, nec coniugalis voluptatis illecebris, nec tyrannorum tormentis victæ.

Virginum plurimarum exempla.

SED dicet aliquis, nefas fuisse Christianis puellis ma-

ritos habere infideles, ideoque Martyrium potiùs elegisse quàm illicita coniugia, legis obseruandæ gratia, non Virginitatis. Cuius argumentum vna interrogatiuncula confutabimus. Cur antè fidelibus maritis, cùm multi superessent, non se tradiderint, si tantummodo infideles displicebant? Aut cur Cæcilia Virgo Valerianum iam credentem & baptizatum, Martyrij maluit quàm thori habere consortem? Et ne vllus calumniæ relinquatur locus, subijciemus etiam illarum aliquot exempla, quæ ne legitimi quidem Matrimonij nexibus implicari voluerunt, vel etiam implicatæ (quod multo difficilius est) castitatis cultum nunquam deseruere.

Cæcilia Virgo.

Brigida Virgo.

BRIGIDA Virgo, inter Scotiæ puellas pulcherrima, cùm à potentibus (& quidem Christianis) viris in matrimonium peteretur, & illa virginitatem Domino vouisset, eundem orauit, vt aliquo corporis vitio ipsam deuenustarer, quo procorum inquietudo facilè sedari posset. Itaque cùm oculorum decore maximè placuisset, alterum subitò vlcere percussum amisit. Cui ergo charior oculis fuit Virginitas, nónne tanto pulchrior fuit in conspectu Sponsi cælestis, quanto istis terrenis (qui iam illam, quam paulo antè tam ardenter appetierant, desponderi sibi dedignabantur) visa est deformatior? *Sur. Tom. 1.*

Angadrisina Virgo.

ANGADRISINA Virgo in Gallia Lothario regnante fuit, quæ cùm à parentibus Ansberto principi viro (qui postea Rothomagensem Ecclesiam rexit) inuita desponsaretur, multis cum lachrymis Dominum obsecrauit, ne suam pollui Virginitatem pateretur. Moxque lepræ morbo totum corpus occupante, ob fœditatem intacta dimittitur, & ne in incerto esset, cur id mali contigisset, vbi cœnobium Virginum ingressa sanctum velamen accepit continuò sana euasit. Puto quæ tam enixè orauerat, lepram etiam ipsam quoad vixit pati maluisse, quàm Virginitatem amittere. *Sur. Tom. 1. in vita Ansberti.*

Aliàs Phara Virgo.

FARRA Virgo, cùm à patre Agerico (qui primo loco apud Theodebertum Galliæ regem habitus erat) ad nuptias

[illegible] virgeretur, sic vbertim fleuisse dicitur, vt nimio lacrymarum humore oculorum aciem hebetauerit. Et cum visum B. Eustochij Episcopi precibus à Domino impetratum recepisset, rursum patris molestijs infestationibusque & iam odio agitata ad Ecclesiam confugit. Ille iratus inde raptam in carcerem detrusit. Nec tamen efficere potuit, vt voto suo filia consentiret, quę se iam Christo desponderat. Vbi verò firmam in proposito permanere vidit, & neque minis neque verberibus moueri, iam placatior, dimitti iussit, nec deinde impedimento fuit, quin ipsa inter sacras Virgines perpetuam virginitatem profiteretur. Tanta pro castitate perpessam Martyrem dicerem, nisi obstaret fidelis pater. Martyrij tamen coronam meruit, quæ sic oppugnata Virginitatem non amisit. *Gregor. Turonens.*

GREGORIAM Romanam Virginem, à B. Gregorio traditum est, ipso nuptiarum die ad Ecclesiam confugisse, & perpetuæ Virginitatis voto Deo se consecrasse. Reliquit virum, & amplexata est Christum. Reliquit corporis voluptates, & voluptatibus fruitur paradisi. Prudens deliberatio, sed felicior euentus, & qui perrarò sequi solent in tam pręsenti periculo. Maioris ergo prudentię est, antè in portum se recipere, quàm procellæ turbinem exspectare. *Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 14.* *Gregoria Virgo.*

SICVTI fecisse Spoletanam Virginem idem autor est. Quæ diuitis & principis viri filia, cùm pater ipsam nuptui collocare decretijsset, illo inscio ad Monasterium abiens, Virginitatis velum habitumque accepit. Quòd si nuptias sustinuisset, nescio an ei integrum fugere fuisset. Audiùs enim sponsam sponsus, quàm pater filiam obseruasset. Quamuis & ipse indignatus illam exhæredauerit, Sed quam exhæredauit pater, Deus regni sui cælestis hæredem fecit, & quæ nihil acceperat à parente, à Domino accepit vt ab obsessis dæmonia pelleret, sicuti de illa testatus est S. Eleutherius Abbas. *Ibidem.* *Spoletana Virgo.*

EVPHRAXIAM Virginem Antigoni filiam, quia cuidam Romano Patritij generis iuueni à parentibus antè pacta fuerat, quàm Religioni se dedisset, cùm illum *Euphraxia Virgo.*

acci-

accipere Theodosij Imperatoris literis in Theba[illegible] quò concesserat, missis vrgeretur, respondisse tra[illegible] Sponsum se habere in cælo, non in terra, & certum [illegible] esse omnia priùs extrema perpeti, quàm fallere fidem [illegible] datam. Cumque insuper Theodosius opulentas viri [illegible]tias suis donis se cumulaturum polliceretur: Opes [illegible], inquit, Christus est, dona tua alijs dato. Quid priùs [illegible]rer, nescio, senilem teneræ ætatis in respondendo sapi[illegible]tiam, an puellaris animi in proposito constantiam: [illegible] idem ille hanc Christiano Principi respondere doc[illegible], qui gentilibus Philosophis Catharinam: & qui fec[illegible] Luciam Virginem homines bouesque mouere poss[illegible], fecit & hanc ne Imperator. Perpetuum namque Spi[illegible] sancti habitaculum est impolluta Virgo, quæ perp[illegible] sese dedicat castitati. *In vitis PP. Sur. Tom. 2.*

Maria Oegniacens.

MARIA de Oegnies puellula duodecim annos [illegible] parentum (non sua) voluntate cuidam Ioanni nupt[illegible]dita, vitæ districtione ac sanctitate commouit vi[illegible] intactam dimitteret. In Virginitate ergo perse[illegible], multa virtute multisque miraculis celebris euasit. [illegible] decedenti Christus, Angeli, Apostoli in visu app[illegible]runt. Quorum consolationibus iucundata, mortis [illegible]stias non sensit. Solutam deinde à corpore animu[illegible] beata Virgine cum Angelorum comitatu in cælum [illegible] conspexit Episcopus Tolosanus. Haud immeritò [illegible] consecuta est beatitudinem, quæ ne viro quidem [illegible] virilem copulam admisit, & matrimonij iugo [illegible] subdita fuerat excusso, incorrupta & corpore & [illegible] permansit. *Iacobus à Vitriaco, Sur. Tom. 3.*

Edildrida Virgo.

TAM ancipitis pugnæ gemina victoria potitam [illegible]dridam Virginem Sigebertus & Beda scriptores tra[illegible], quæ Annæ regis Orientalium Anglorum Christian[illegible] filia, primùm Tonberto Australium Griuiorum Prin[illegible] in coniugium tradita, cum eodem pari voto Virgin[illegible]tem seruauit. Deinde eo defuncto, iterum à patre [illegible] desponsatur Egfrido Regi: Sed cum ipso quoque in Virginitate annos duodecim vixit. Postea v[illegible] eius perm[illegible]su Religioni se consecrauit, & securiorem quidem in

Monaste-

Digitized by Google

...o, sed nunquam domi castiorem vitam duxit. ...bium, quin castitatis merito tanta gratia illam ...rat Deus, vt etiam ijs quibus nubebatur, statim ...ntiam persuaderet. Rarissimum sanè exemplum, ...io an à condito æuo alterum tale, vt aliqua & bis ...a sit, & semper Virgo. *Beda, Histor. Eccl. lib. 4.*

...PER quidem Virgo, sed tamen vnius viri coniux *Kunegun-dis Virgo.* ...undis Henrici Imperatoris fuisse dicitur. Denique ...uliebri constantiæ diffidenti, ac zelotypo suspe- ...per tandentes vomeres nudo, sed inoffenso vesti- ...bulando castam se probasse. Eo amisso liberius ...ruire potuit, non castius viuere. In eadem ergo ...tis puritate perseuerans, nulli postea nubere vo- ...e cum Henrico simul amitteret Virginitatem. Qui ...quoniam in coniugio cælibes permanserunt, cælo ...ifecti, & ad cælum sublati, multò felicius peren- ...e regnum acceperunt, quàm reliquerunt. *Iacob. de ... Sur. Tom. 2.*

...NZONIS Arbonæ Ducis filia, Galli Abbatis præ- *Filia Cuno-zonis Ducis.* ...ibus à dæmonio liberata, Virginitatem vouit. Co- ...nium Spiritus sanctus ibi habitare, vnde immun- ...gerat. Cumque à Sigeberto Galliæ rege in matri- ...m peteretur, à patre tradita, Sponsam se cælestis ...sse dixit. Quæ vox ita exterruit Sigebertum, vt ...m contingere non ausus, Monasterio Virginum ...ret, ei ipsam cedens, cuius se Sponsam asserebat. ...que in cælesti beatitudine Christo iungi meruit, ...m in terris viueret, pluris fecit castitatem quàm ...regnum. *In vita S. Galli, lib. 1. cap. 21. Sur. Tom. 5.*

...TAE Virginis Edgari Anglorum regis filiæ cor- *Edita Virgo.* ...um, post annos aliquot quàm conditum fuerat, ...sarcophago redactum in puluerem inuentum est, ...ventrem & genitalia. Cunctisque mirantibus, cur ...e tantùm integra extaret, cuidam ipsa Virgo in ...apparens, minimè mirandum esse dixit, si reliquo ...re fatiscente, vterus incorruptus maneret, qui Vir- ...te sanctificatus esset, & nulla libidinis labe inqui- ...natus.

natus. Dumstano quoque Episcopo de illà reuelatur, celebrandam esse in terra, quæ digna fuerit vt in cælo celebris esset inter sponsas Christi. O grande Virginalis pudicitiæ meritum, quo tanta comparatur felicitas, vt anima hominis honoretur in Dei regno, & corpus cariem nesciat in sepulchro. *Huius mentionem facit Polyd. Verg. Histor. lib. 5.*

Luceia Virgo.

QVASDAM autem etiam apud infideles reuerenter habitas legimus. Luceiam Romanam Virginem rex quidam barbarus, nomine Ancias, cùm captam stuprare vellet, Dei cæli sponsam esse audiuit, & vi abstinuit, ac simul liberam fecit. Quin etiam ad Christum conuersus, cùm ipsam Romæ Martyrio consumptam audisset, captiuæ suæ sorte incensus, relicto regno Romam perrexit, & pro veræ Religionis assertione supplicia pertulit, magis iam desiderans regnare in cælo, quàm in terra. Tantum illi profuit venerationi Virginem habuisse. *Metaphrast.*

Flora & Lucilla.

EVGENIVS etiam barbarus Aphricæ rex Floram & Lucillam sorores Deoque dicatas Virgines, Latium incursans, captas abduxerat. Sed cùm eas perpetuam castitatem deuouisse intellexisset, vitiare pertimuit, & libertate donauit. Ad bella procedens earum precationibus se commendabat, victorque redibat, & frequenti successu lætatus, Christus ab ipsis prædicato credidit, in tantum vt Romam ad Martyrium tendentes relinquere noluerit. Iam quippe didicerat, fragilem & caducam esse regni sui coronam, sed Martyrij stabilem & æternam, atque vnà cum illis passus cælum petijt. Tantum & isti attulit vtilitatis honorata Virginitas.

Euphrosyna Virgo.

VIRGINITATIS amor effecit, vt Euphrosyna Alexandrina, domum, parentes, patriam fugeret, & ne iuueni (cui pacta fuerat) inuita traderetur, sub virili habitu latens, proximi cœnobij Monachos adiret, seque in eorum numerum solenni professione redigeret, dicta Smaragdus. Cur, inquies, vnum fugiens tam multis se credidit? quia eos quibus se credebat, æquè ac se castos esse nouerat. Quem autem fugiebat, longè disparis voti diuersi-

Digitized by Google

uersique propositi erat. Neque tamen negare possum difficillimum esse fœminæ cum viris versanti mentem integram gerere, & inter scopulos nauigantem nulla in parte elidi. Quàm ergo fortis Virgo Euphrosyna, quæ saluas pudicitiæ merces per media ipsa pericula vsque ad portum perduxit salutis? *In vitis PP. Sur. Tom. 1.*

Margar. Virgo.

HOC idem mirari licet in Margareta AEgyptia Virgine, quæ & ipsa de Sponsi thalamo ad thalamum peruenit Christi. Prima quidem nocte illo ex lassitudine altiùs dormiente, vt qui diem totum in choreis & tripudijs desudasset, ipsa dormire non poterat, assiduè secum voluens, quomodo Virginitatis suæ thesaurum subtraheret eius rapinæ. Clanculum ergo pedetentimque sese de cubili proripuit, ædibusque excessit, & virum assimulata, monasteriumque ingressa, inter Monachos latuit vocata Pelagius, vbi perfanctè vixit, neque quòd fœmina fuerit, vlli ante obitus sui diem cognitum fuit. Igitur non dormiendum Virgini vbi periculum imminet, sed vigilandum fugiendumque est, si sese integram cupit conseruare. Et nisi huiuscemodi incumbat necessitas, nunquam viris Virgo se credat; vbi diuersus sexus est, diuersarum cogitationum pugnas incidere necesse est. *Simon Metaphrast.*

Quædam Virgo.

IDCIRCO beatus Martinus Episcopus, cùm Virginem quandam vitæ sanctitate percelebrem inuisere vellet, & illa aditu negato ei excusando dixisset: Mi pater sancte, ora pro me, quia à viro nunquam sum visitata; gratias egisse Deo fertur, quòd illa talibus imbuta moribus castam custodiret voluntatem, ac benedicens eam abijsse lætus. *Seuerus Sulpit. & Hieron. Epist. ad Oceanum.*

Petron. Virgo.

LVBRICA siquidem res castitas est, nisi summa circumspectione fulciatur, facilè labescit. Quod bene intellexit Petrus Apostolus, qui cùm omnes morbo aliquo laborantes passim curaret, filiam Petronillam Virginem febri vexari dimisit. Et cùm interrogaretur, cur qui alios sanasset, filiam ægrotare sustineret? sic ei expedire, respondit. Didicit virgo in infirmitate esse fortior, & iam nec sana de corporis voluptate cogitare. Maluitque casta

que casta mori, quàm Flacco Consuli (à quo petebatur) nupta viuere. Exaudiuit Deus deprecantem, & vitæ pariter Consulisque libidini iam vim parantis ipsam surripuit. Atque eandem, quæ hominis vxor esse noluit, Sponsam fecit Christi, cælestibus fruituram nuptijs, quia terrenas contempserat. *Apud Aloysium.*

Abra Virgo.

SIC & Hilarius Pictauiensis Episcopus, cùm filiam suam Abram castè sancteque viuendi præceptis imbuisset, & illa aliquandiu in Virginitatis proposito perseuerasset, veritus ne malitia mutaret mentem, Dominum deprecatus est, vt ipsam è medio sublatam iam in turo collocaret. Itaque tam lætus & alacer mortuam extulit, quàm, ne Virginitatem in coniugium verteret, anxius ac solicitus fuit. His exemplis & timere discat ancilla Christi, vt securior sit: Et si casus inciderit, vitam amittere optet priusquam castitatem. *In vita eius, Sur. Tom. 1.*

SATIS hæc de virginibus. Viduarum nunc nostrarum castitatem exponamus, ne à veteribus (quarum superiùs fecimus mentionem) victi videamur.

Natalia Virgo.

NATALIAM Hadriani Martyris coniugem (quoniam forma multis præstabat) Tribunus Nicomediæ in coniugium petijt. Denegare non erat quod tribunus peteret, & ancilla Christi iam, quò se verteret, nesciebat. Impetrat tamen tridui spatium ad deliberandum, atque interim Dominum votis precibusque solicitat, vt pudicitiam, quam illi vouerat, ipse tueatur. Et somnio edocta, inde soluens Constantinopolim versus fugam fecit. Quod vt resciuit Tribunus, conscensa naui fugientem persequitur. Iam propè erat vt consequeretur, cum contrario flante vento coactus est reuerti, illa suo, quà volebat, peruenit. Itaque in viduitate, ieiunijs & precationibus vacans, Deo seruiuit; seruisset autem homini, si iterum nupsisset. *In vita S. Hadr. Mart.*

Paula Vidua.

PAVLAM Romanam, à Hieronymo proditum, legimus post mariti mortem non solùm nubere noluisse, sed etiam cum viris nunquam comedisse. Casta mulier vix se viduam esse putauit, si cum non sui sexus hominum, vel ipsa tantùm cõuiuendi familiaritate, iungeretur. Sic itaque vi-

que viduitatem sanctè pureque custodiuit, vt in Monasterio sacris virginibus præesset: quas etiam æquauerat castitate, cæteris virtutibus superabat. *Hieronym. de Epitaph. Paulæ.*

ELIZABETH Lantgrauio tradita votum vouit, si marito superesse sibi contingat, Deo se in castitate seruituram, & casti propositi meritum habuit etiam coniugata. Post viri obitum, de ingentibus diuitijs ad vltimam deuoluta est paupertatem, rapientibus omnia, qui se Lantgrauio succedere dixerant. Vnde ab Episcopo Bambergensi susscipitur, pieque sustentatur. Quo rursum ad nuptias hortante, dotemque multam pollicente, respondit: Si id conari pergeret, sibi in animo esse, truncatis naribus vel scissa facie ita se deformem reddere, vt qui ducere velit, futurus nemo sit. Igitur inops & egena mulier, nec prioris fortunæ fœlicitatem amissam doluit, nec secundæ oblatam accepit, dum sola castitate gaudet. Adeoque impatienter tulit ad coniugium repetendum se inuitari, vt nisi qui inuitabat cessasset, suam ipsa faciem lacerasset. Quanta autem sanctitate profecerit, hinc nosse licet, quòd nullum ferè virtutis genus in hoc opere, eius exemplo, vacuum sit. Profectò nisi perpetuam castitatem tam ardenter adamasset, ad tantam perfectionem nunquam peruenisset. *Conrad. Concion.* *Elizabeth Vidua.*

GALLA Symmachi Consulis filia (vt Gregorius refert) Gothis Italiam vastantibus viduato viro, cum quo annum tantum vixerat, nulli postea nubere voluit, licet & ætate integra esset, & non illiberali forma. AEgrotanti fœdaque corporis scabredine affectæ medici consulebant, rursum vti marito, alioquin eo morbi genere vel periturã, vel si vixerit, contra sexus sui morem villosum mentum habituram. At illa, neque oris deformitate neque mortis periculo territa, propositum dimisit castitatis. Dum autem diem suum obiret, affuit in visu Petrus Apostolus, à peccatis absolutam esse dixit, promissis vitæ æternę erexit: & vt secum veniret hortatus est. Tunc sancta animula illo dimisso corpore, quò vocabatur, læta abijt. Si his etiam digamas frui solere visis nostis, nubi- *Galla Vidua.*

te viduæ. Sin verò nihil tale de illis memoriæ proditum legistis, non est cur illas imitemini, de quarum beatitudine à scriptoribus siletur. Si qua tamen continere se non
1.Cor.7. potest, nubat. Melius est enim nubere, quàm vri, quia minus malum maiore malo melius est. *Gregor. Dialog. lib.* 4. *cap.* 13.

Euphraxia. A quo quidem malo multum abhorrens Euphraxia Virginis Euphraxię mater, hac vnica prole susceptа, cum viro suo Antigono castè continenterque vixit. Cæterùm illo defuncto, quoniam ætas, forma, diuitiæ suppetebant, ad secundas nuptias vrgeri cœpit Theodosij Imperatoris Augustæque suasionibus ac promissis. Quod quanquam amore erga ipsam summo agebatur, illa tamen indignans, & castitati metuens, rebus occultè nauigio impositis, cum filia in AEgyptum nauigauit, & in Thebaidam perueniens, filiam monasterio tradidit, quæ secum tulerat, pauperibus erogauit, pijsque ipsa operibus incumbens, castitatis propositum nunquam dereliquit. Cumque Abbatissa, cui filiam commendauerat, in quiete vidisset Antigonum in Paradiso fulgentem à Domino exorasse, vt coniugem suam de terris euocatam sibi iam sociam faceret, die, qua prædictum fuerat, læta decessit. Tanta ergo accepit bona, quia & cum viro castè se habuerat, & sine viro viduitatem constanter seruauerat, quanta Imperator iterum nubenti dare nunquam potuisset. *In vitis PP. Sur. Tom.* 2.

Salaberga vidua. SALABERGA post quinque filios ex Alduino marito Dagoberti Galliæ regis Duce genitos, ab eodem impetrauit, vt deinceps in castitate Deo seruiret. Itaque constructo apud Lugdunum amplo Monasterio, trecentis ferè ancillis Christi præesse meruit, & multorum siggorum operationibus celebris fuit. Et quia seruandæ castitatis gratia virum liberosque reliquit, nunc cum Christo regnat, & in quo omnis beatitudinis summa est, eius indissolubili fruitur consortio, conspectuque lætatur. *Sur. Tom.* 5.

Radegundis Vidua. RADEGVNDIS Clotarij Galliæ regis coniux cùm annos aliquot cum marito sine querela vixisset, tandem seruan-

Digitized by Google

seruandæ castitatis cupiditate accensa, diuortium impetrat, & monasterio se includit. Quæque regis vxor fuerat, facta est Sponsa Christi, & magis deinde miraculis claruit, quàm antè claruerat Galliæ regno quod reliquit. *Sur. Tom 4.*

MELANIA Vrbani Prætoris filia viro tradita, cum duos liberos, quos ex eo susceperat, impuberes adhuc, morte immatura amisisset, nequaquam de reparanda prole cogitare cœpit, sed de castitate seruanda. Crebris itaque suasionibus induxit maritum, vt distractis in pauperum vsus bonis, ambo animum ad Dei seruitium applicarent. Itaque ille inter Monachos, ipsa inter ancillas Christi, quod vitæ superfuit (relicto geniali thoro) laudabiliter peregerunt, viduitatem seruantes antequam vidui essent, imò quod plus est, religione se vincientes, ne vxorios actus repetere expeditum foret. I nunc insatiabilis libido cui maritum habuisse non est satis, alios atque alios tibi quære, cùm hę sanctissimę fœminæ etiam quem habebant habere noluerint, vt Christum haberent. *Pallad. Hist. 119. Sur. Tom. 1.* *Melania Vidua.*

SED quid de illis dicam, siue fœminis, siue viris, qui ne adulterijs quidem abstinent, qui meretricantur, qui libidinibus diffluunt; quandoquidem etiam matrimonia iterare, etsi licitum, non tamen satis honestum putatur, nisi fortè honestum sit, vti & continere se non posse. Meminerint igitur in Decalogo præceptum esse: Non mœchaberis, Non concupisces vxorem proximi tui. Et in lege adulteros lapidibus obrui. Et à rege Babylonio, id est, diabolo in igne frixos: Pro eo, inquit, quod fecerint stultitiam in Israel; & mœchati sint in vxores amicorũ suorum. Reminiscantur in Euangelio gregem porcorũ mergi in profundum. Et Samaritanam mulierem, quia quinq; viros habuerat, argui à Domino, sextũ iam nõ esse suum. Et ab eodem adulteræ, ne amplius peccaret, iniunctum; ne grauius illi contingat. Sciant etiam, fornicationis reum ab Apostolo traditum satanæ in interitum carnis. Quod vitium vsque adeò execrabile iudicat, vt Corinthijs eorum consuetudinem, qui illo interfecti sunt, in- *Contra impudicos.* *Deut. 5.* *Ierem. 29* *Matth. 18.* *Ioan. 4.* *Ibidem 8.*

1 Cor. 6. terdicat: dicens: Ne commiſceamini fornicarijs. Et
Ibidem 6. idem: Nolite errare, inquit, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, regnum Dei poſſidebunt.
Hebr. 13. Iterum alibi ait: Fornicatores & adulteros iudicabit
Apoc. 12. Deus, hoc eſt, damnabit. Et in Apocalypſi legimus: Fornicatorum partem cum veneficis futuram, & idololatris & omnibus mendacibus in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Sed percurramus etiam Scripturarum exempla, quo magis innoteſcat, quanto
Lamech. odio Deo ſit omnis impudicus. Lamech primus duxit
Cain. duas vxores, & primus Cain occidit fratrem, dicitur tamen: Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò
Sodomitæ. ſeptuageſies ſepties. Sodomitæ & Gomorrhæi, cùm aduenas turpiter appetiſſent, cæcitate primùm lucem amiſere, deinde etiam vitam, cum ipſis vrbibus funditus euerſi, & qui igne libidinis exarſerant, cæleſti igne ſuper eos pluente conſumpti ſunt. Ob Dinam Iacob filiam violatam Sichemorum vrbs vaſtatur, & vnius ſtuprum cædibus expiatum eſt plurimorum. Ruben maledicitur, quia
Sichemitæ. Ruben. aſcendit cubile patris ſui. Zambri cum ſcorto Madianitæ, ad quod palàm intrare non erubuerat, pugione ſacerdotali confodiuntur: & ne non iure cæſos arbitreris, il-
Zambri. lis punitis, Dei in filios Iſrael ira placatur. Prima Samſonis vxor, quia ipſo repudiato alium acceperat, ſimul cum
Vxor Samſon. patre igne combuſta pœnas dedit. Ipſe Samſon ſecundæ
Altera Samſ. vxoris (vt ſcias qualis bigamiæ euentus ſit:) dolis ac proditione perijt. Tribus Beniamin penè internecione deletur, ob vim illatam coniugi alienæ. Dauid regem adulte-
Dauid vxor. rij perpetratio ad innocentis & quidem de ſe bene meriti indignam compulit necem, vt intelligas, illicitos concubitus cauſam eſſe plurimorum malorum. Et licet peccatum hoc mox per pœnitentiam translatum dicatur, ipſa tamen peccati labes non niſi multarum maximarumque patientia calamitatum elui purgarique potuit.
Ammon. Filius etiam Dauid Ammon, deflorate Thamar iniuriam
Salomon. morte rependit, à fratre interemptus Salomonis ſapientiam multarum amor fecit inſanire, ita vt earum Dijs deabuſque

Deabusque phana poneret. Quamobrem scissum est regnum de manu filij sui, & datum Ieroboam seruo suo. Igitur cùm obscœnæ libidinis voluptas multò maioribus supplicijs semper compensata sit, certè si nulla etiam castitati præmia proponerentur, castè tamen viuendum esset. Rursum, cùm tanta castitatis sit merces, quantam æstimare nemo potest, si nulla libidinem sequeretur punitio, libidine abstinendum esset. Vt ergo & vitium caueamus, & virtute penitus innitamur, qualis vtriusque finis sit, iugiter cogitemus. Sed dices: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & non quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio: At castiga corpus tuum, & in seruitutem redige, vt obedire discat spiritui. Deinde quanto infirmior es, tanto solicitiùs pete à Domino auxilium: Petenti datur, & pulsanti aperitur: frequentiùs ora, ventri minimum indulge: hoc dæmonium non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium. Somnolentiam caue, & vigilijs operam da: quì vigilat, non sinit perfodi domum suam. Fac aliquid operis, vt nunquam te diabolus inueniat otiosum. Sexum diuersum quantum potes fuge, quantum licet obliuiscere: fugientem deserit concupiscentia, obliuiscentem dimittit fœda titillatio. Semper tamen totam vincendi spem in Deo collоca. Sine me, inquit, nihil potestis facere.

Matt. 26. *Rom. 7.* *1. Cor. 9.* *Matth. 7.* *Ioan. 15.*

De Pœnitentia peccatorum per exempla veterum. CAP. IX.

HACTENVS de castitate: nunc ijs, qui culpa aliqua lapsi sunt, demus pœnitentiæ locum vt resurgant. Et quidem nemo est qui non peccet. Septies in die cadit iustus, ait Scriptura. Et Ioannes Apostolus: Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Igitur quoniam omnia Deus conclusit sub peccato, vt omnium misereatur, omnibus necessaria est Pœnitentia, quæ quanti fructus sit, aut qualiter agi debeat, exemplis patebit.

Prou. 24. *1. Ioan. 1.*

Israelitæ. LEGIMVS Israelitas quoties Legem sanctam preuaricati sunt, Deo vindicante, ærumnis vastationibusque affectos. Rursum cùm pœnitendo sese correxissent, eodem miserante liberatos, vt & iustum in puniendo agnoscas, & facilem in remittendo.

Iudic.3. CVM ergo Iosue duce iam defuncto, alienigenas connubio sibi iunxissent, & (quod execrabilius est) immolassent eorum dijs Baalim in Astaroth, obliti Dei sui, à quo multa magnaque acceperant beneficia, bellis oppressi, Chusanrasathaim Mesopotamiæ regi annos octo seruierunt. Tandem errorem suum incusantes, & ad pœnitentiam conuersi, Dei quem abiecerant opem implorarunt,

Othoniel dux. & Othoniele duce victis hostibus, recuperauere libertatem, rerumque potiti sunt. Percutit ergo Dominus, vt sanet, occidit vt viuificet. Sed neque sanat, neque viuificat, nisi pœnitentes. *Iud.3.*

Ibidem. OTHONIELE verò mortuo, cùm iterum ijsdem flagitijs se polluissent, Eglon Moabitarum regi decem & octo annos tributa pensitauere. Postremò pœnitentes

Aod dux. Barach dux. Aod ambidexter vindicauit in libertatem, rege ipso interempto, & decem millibus hostium cæsis. Deinde annos octoginta nemo illos armis lacessiuit, vt hinc intelligas, cùm pœnitentibus diabolum congredi minùs audere: & si audeat, nocere non posse. *Ibidem.*

MORTVO Aod, peccauerunt, & traditi sunt Iabin regi Chanaan, sed post annos viginti, cùm eos sceleris pœnituisset, clamassentque ad Dominum, Delbora prophetante, Barach tantummodo cum decem millibus armatorum Sisaram regis exercitus Ducem cum nongentis falcatis curribus & ingenti militum copia in prælium descendentem fudit fugauitque. In decem millibus Decalogi numerus habetur, quo si pœnitens se munierit, vitiorum multitudinem contra insurgentem facilè superabit. *Iud.4.*

Ibidem. IAHEL autem vxor Aber Sisaram, adacto in tempora clauo, interfecit. Iahel interpretatur incipiens, Aber lucidus. Iahel ergo vxor est Aber, quia illum quem pœnitere incipit, lux recti prauique dignoscendi comitatur. Si-

sara

ſara exclusionem gaudij designat, id est, diabolum, qui nos à Paradisi gaudijs maligna suggestione nititur excludere, quem clauo in tempore transfodimus, cùm in tempore pœnitentiam agimus, compunctionis clauo vitium expungentes, Hoc tempus si elabi sine pœnitudine dimiserimus, frustra postea nos pœnitebit. Incassum enim tunc lugetur, cùm iam actorum ratio exigitur.

POST annos quadraginta in pace peractos, rursum ad impietatem prolapsi à Madianitis deuastantur annos septem. Et cùm tandem illos delicti pœnituisset, per Gedeonem opitulatus est eis Deus. Qui diuino fretus auxilio, non ampliùs quàm cum trecentis armatis, vix numerabiles hostium copias fudit atque concidit. Oreb & Zeb Principum Madian capita victor abscidit. Oreb dicitur tentatio, Zeb lupus, Madiam contradictio siue iniquitas. Igitur verè pœnitens incipit cum tentationibus colluctari, nec se vltrà spiritalis lupi rapinis exponit, sed vt primùm se impugnari animaduertit, ita primum resistit, & hoc est capita principum contradictionis vel iniquitatis truncare, peruersarum cogitationum initia recidere, ne, si moram fecerint, *Iudic.6.*

Crescant & tacitum viuat sub pectore vulnus.

SED Gedeone quoque vita defuncto, auersi sunt post Gentilium ritum, colentes Baalim & Astaroth. Et cùm Philistinorum inuasionibus per sedecim annos attriti essent, pœnitentiam quidem egerunt, sed non exaudiuit eos Dominus. At cùm etiam idola de finibus eieciſſent, per Iepte ducem turatus est eos, vlcisens aduersarios à quibus assiduè vexabantur, ex quo patet, pœnitentiam non verbo tantùm, sed etiam facto agendam esse, vt veniam promereri possis. *Iudic.* 10. & 11. *Iudic.10.*

RVRSVM ob idololatriæ crimen annos quadraginta sub iugo Philistinorum fuere. Postea verò pœnitentes per Samsonem liberati sunt, qui ligatus fregit vincula, & maxilla asini interfecit inimicos, & de molari maxillæ egressis aquis sitim sedauit. Per pœnitentiam quippe diuelluntur nexus peccatorum. In maxilla oratio, in asino humilitas intelligitur, quibus prosternun- *Iudic.15.*

nuntur nequitiæ ſpiritales, quia humiliantis ſe oratio
Eccli.35. nubes penetrat. De molari autem maxillæ fluunt aquæ, cùm inter orandum conſcientiæ morſus elicit lachrymas, quibus deinde parta beatitudo reſtinguit deſiderij ſitim. *Iud.*14.

1.Reg.7. SVB Heli quoque Sacerdote à Philiſtinis anguſtias cladesque paſſi, Samuelis admonitione atque hortatu ad pœnitentiam inclinantur. Ipſoque pro eis deprecante, hoſtiasque offerente, fleuerunt ieiunaruntque palàm confitentes, quòd Baalim & Aſtaroth idola coluiſſent, Dei ſui cultu derelicto. Hac pœnitentium afflictione placatus Dominus, Philiſtinorum multitudinem in illos irruere paratam tonitu ac fragore ita exterruit, vt repentè auerſi terga darent. Filij verò Iſrael eos fugientes perſecuti ad internecionem conciderunt, vrbes quas amiſerant recuperarunt: nec poſtea ab inimicis infeſtati ſunt, quamdiu vixit Samuel. Hinc percipitur, quantum deprecatio, quantum lachrymæ, quantum ieiunia, proſint pœnitenti. Quid eſt enim aliud vrbes amiſſas recuperare, niſi priſtinæ virtutis meritum, quod peccando deperditum fuerat, inſtaurare?

Dauid. PECCAVI, inquit Dauid, Domino, cùm adulterio
2.Reg.12. homicidium iunxiſſet, & ſtatim meretur audire: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris. Magnum peccatum magna remiſſum eſt miſericordia. Haud dubium quin & magnus pœnitentis dolor extite-
2.Reg.19. rit, qui tam repentè venia dignus fuit. Quo enim minante Propheta tanti delicti conſcius non vehementer doluiſſet, qui paruulo ægrotante, quem de illicito genuerat coitu, fleuit, ieiunauit, in terra iacuit? Qui Abſalonem filium fugiens, nudis pedibus, & aperto capite, & lachrymantibus oculis inceſſit. Multum ergo dolendum eſt, cùm multum peccatum eſt. Nec te moueat ſi aduerſis caſibus concutitur, cui venia indulgetur. Sæpius excoctum aurum puriùs nitet.

AT idem iam omnium inimicorum ſuorum victoria potitus, cùm deſcribere regni populos iuſſiſſet, quorum numerus fuit virorum fortium de Iſrael octoginta millia, de

Digitized by Google

lia, de Iuda quingenta millia. Videns se præesse tantæ multitudini, mentis elatione peccauit, & continuò (vt discas non differendam esse pœnitentiam) Peccaui, inquit, valde in hoc facto, sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis: Ecce mœret, & penitens se deliquisse confitetur. Cur ergo non vt ante sequitur confessionem venia, cùm præsertim illud, quàm hoc peccatum grauius fuerit? Quia licet deinde quis leuiùs peccet, magis tamen efficitur ingratus, dum post remissam culpam in culpam relabi negligit. Proinde Dominus, cui priùs facilè pepercerat, nunc eûdem de tribus eximijs malis vnius optione onerat, hoc est, vel famis, vel cladis, vel pestilentiæ, ne quis venia pro licentia vtendum putet. 2. *Reg.* 24.

ROBOAM rex Iudæ, & illi quibus præerat, lege Dei contempta, gentilium ritum sequebantur, cùm Sesach rex AEgypti, de improuiso fines eorum irrumpens, oppida multa & loci natura & armis munita expugnauit, illosque qui aduersum se in campum descenderant, in vrbem fugere compulit. Porrò cùm per Semeiam Prophetam audissent: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesaah, dicit Dominus: ab errore conuersi pœnitentiam egerunt. Inde rursum Dominus ad Semeiam ait: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, veruntamen seruient Sasach, vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum. Ergo etiam per pœnitentiam placatus Dominus non semper omnẽ anguſtiam aufert, cùm scilicet hoc illi profuturum nouit cui placatus est. Nam virtus in infirmitate perficitur. 2. *Paral.* 12. *Roboam rex.* 2. *Par.* 12. 2. *Cor.* 12.

ACHAB Samariæ regum pessimus, qui veniâ Naboth Iezraelitæ per ipsius cædem ita occupauerat, vt crudelior tunc an auarior fuerit, nõ facilè dignosci possit: minante sibi Domino per Eliam Prophetam pertimuit, & scissis vestibus texit se cilicio, ieiunauit, in sacco iacuit. Idcirco Dominus malum, quod illi interminatus fuerat, distulit post eum in diebus Ochoziæ & Ioram filiorum eius. Hinc per Ezechielem Prophetam ait: Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. 3. *Reg.* 21. *Achab.* 3. *Reg.* 21. *Ezech.* 33.

Iosaphat rex 2. Paral. 20. IOSAPHAT rex Iudæ irruentibus aduersum se Mozabitis, & Ammonitis & Idumæis, indixit ieiunium atque orauit, omnesque de Iuda steterunt coram Domino, cum paruulis & vxoribus, ac liberis, & in terrâ proni adorauerunt. Cantores præcedêtes exercitum Deo laudes personabant, cùm illi, quos pertimuerant, in seipsos cõuersi mutuis vulneribus concidere, Iosaphat & Iuda diripuerunt spolia, & gratias Deo egerunt, quòd sic pro ipsis depugnassent. *Psal. 20.* Cor enim contritum & humiliatum Deus *Psal. 50.* non spernit. In tribulatione, inquit, inuocasti me, & liberaui te. 2. *Par.* 20.

Ioram rex. 4. Reg. 6. BENADAB Syriæ rege Samariam obsidente, oppidani fame laborabant, ita vt quædam mulieres à filiorum lesu non abstinerent, quando pœnitentia & humiliatione Ioram Samariæ regis, qui cilicio se induerat, die vno sũma inopia in summam versa est copiam. Syri enim horrendo armorum strepitu diuinitus excitato, vehementer perterriti, relictis impedimentis, omniq; suppellectili dimissa, fugã fecere. Samaritę verò egressi direptis castris insperata pręda ditati sunt, & modius similę stetit statere vno, sicuti p̃dixerat Elis. & duo modij ordei statere vno.

Ioachaz rex. 4. Reg. 19 REX Israel Ioachaz cum suis quos præuaricari fecerat subditus Azaheli Syriæ regni, & Benedab filio eius pœnitentiã egit, orauitq; ad Dominũ, & sicut Scriptura ait: Datus est illis saluator, cui' ope liberati sũt. 4. *Re.* 13.

Ezechias rex. 4. Reg. 19 EZECHIAS fide & religione probatus, sed ob plebis & Achaz patris impietatem Ierosolymis obsessus, conscidisse vestimenta dicitur, saccoque se operuisse, ad Tẽplum venisse, ad Isaiam vt pro ipsis oraret misisse, & continuò ab eodem Propheta meruit audire, ne timeret. Deniq; ira in hostẽ conuersa, nocte vna cecidere CLXXXV. millia Assyriorũ, Angelo cædente, & à pernicie liberante pœnitentem. Prophetauerat autem Isaias, dicens: Ca-*Isaiæ 31.* det Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladij. 4. *Reg.* 19.

Idem. 4. Reg. 20 IDEM Ezechias cum ægrotanti sibi diem extremum imminere per Prophetam audisset, flendo atque orando impetrauit vitæ propagationem, vixitque vltrà quàm vixisset,

xisset, si sic non egisset, quindecim annos. Argumento est, verè pœnitentes non esse morti obnoxios, sed vitæ destinatos æternæ, dicente Domino. Nolo mortem morientis: conuertimini, & viuite. 4. *Reg.* 20. *Ezech.* 18.

AT cùm gloriabundus Merodach Babyloniæ regis legatis gazam suam omnem ostentasset, & ob id illam ad Babylonios quoque transportandum Isaia prophetante didicisset, delicti conscientia consternatus, non est ausus mulctam hãc auferri poscere, sed differri. Bonus, inquit, sermo Domini, sit tantùm pax in diebus meis. Itaque in posteros dilatum est malum, fortè etiam ab ipsis differẽdum, si vel non deliquissent, vel continuò illos delicti pœnituissent. *Ibidem.* 4. *Re.* 20.

MANASSES eius filius cùm in regnum successisset, patrijs virtutes vitijs suis æquauit. Coluit enim idola, sõnia obseruauit, artes maleficas exercuit, Domini per os Prophetarum minas denuntiationesque contempsit. Ob hoc ab Assyrijs captus, & catenis atque compedibus vinctus, abductus est in Babylonem. Et tamen postquam eum flagitiorum suorum pœnituisset, precatusque esset Deum quem peccando irritauerat, exauditus est, reductusque est Ierosolymam, & in regnum post liminio restitutus. Tunc simulacra quæ posuerat euertit, arasq; destruxit, & restaurato Alteri Domini, victimas & pacifica immolauit. suisque præcepit, vt colant Dominum Deũ Israel. In bonum denique ex pessimo mutatus est, in liberum ex seruo, in Regem ex captiuo, quia pœnitens ac dolens ad Dominum clamauit, eodem Domino per Isaiam dicente: In indignatione mea percussi te, & in reconciliatione tua misertus sum tui. *Manasses rex.* 4. *Reg.* 21. 2. *Par.* 33. *Isaiæ* 60.

IOSIAE Regi Iudæ, quoniam cùm Legis librum perlegisset, patrum populique transgressione vehementer tristatus est, Olda Prophetis respondit: Hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam mala super locum istum & habitatores eius, quia dereliquerunt me, & sacrificauerunt Dijs alienis. Te autẽ quoniam audisti verba voluminis, & perterritũ est cor tuũ, & fleuisti corã me, colligã te ad patres tuos in pace, ne videant oculi tui mala quæ inducturus *Iosias rex.* 4. *Re.* 22. 2. *Par.* 34.

Digitized by Google

turus sum super locum istum. Itaque propter vnius poenitentiam, communis omnium calamitas, quoad ipse vixit, dilata est. Vixit autem posthac duodecim annos.

Esdras Sacerd. Esdræ 10.

SED plerique sanè peccatum suum doluerunt, Iosias verò, & post illum Esdras, etiam alienum. Nam hic quoque cùm intellexit, quòd ipsi qui secum à Babylone Ierosolymam remigrauerant, miscuissent semen sanctum cũ exteris nationibus cõnubiorum copulatione, scidit pallium & tunicam, vulsit capillos, barbam depilauit, seditque mœrens ante Templum vsque ad sacrificium vespertinum. Tunc demum surgens curuauit genua, expandit manus ad cœlum & flens orauit. Ex eius mœrore cæteri suum metientes crimen, & ipsi fleuerunt, magnoq; diuinæ vltionis metu expauefacti, in tantum illi obedierunt, vt consenserint, & vxores repudiare, & qui de ipsis nati fuerant filios abdicare. Igitur ipso Dei Legem exponente, conueniisse dicuntur in ieiunio & in saccis, puluere conspersi, & ab omni filio alienigena separati, confitentes peccata sua, & iniquitates patrum suorum quater in die, & quater in nocte, & adorantes Dominum Deum suum. Ideo in pace stabiliti pristinæ libertatis statum si-

Ierem. 4. bi recuperarunt, dicente Domino: Si abstuleris offendicula tua, à facie mea non commoueberis.

Daniel Propheta. Dan. 9.

CAETERVM ego non tam miror aliquem proprij reatus grauitate vehementer angi, quàm eum qui alienũ crimen deflet vt suum. Et iam præter modò dictos, video etiam Danielem Prophetam oppidò quàm solicitum atque anxium, non pro suis sed pro populi peccatis, dum ea veluti sibi communia confitetur, & perinde misericordiam Dei implorat, ac si & ipse deliquisset. Video in

Ibid. 10. ieiunijs, in sacco, in cinere illum sponte affligi, per tres hebdomadas lugere, panem desiderabilem non comedere, & neque carnem neque vinum gustare, neque vnguẽto perfundi. Video, inquam, illum pro delictis aliorum talia facientem, & intra me confusus conscientiæ metu concutior, quòd ego miser pro meis quibus obrutus sũ, nihil tale efficio. Contere, Domine, contere duritiem viscerum meorum, & virga directionis tuæ percute cordis

mei

Digitized by Google

mei petram, vt saltem aquam effundat lachrymarum, & ipse plangere possim ea quibus te offendi, cùm Sancti tui sic lugeant etiam ea, quibus te alij offenderunt.

SED interim & reliquorum in pœnitendo solicitudinem persequamur, vt & ipse de mea tepiditate magis erubescam, & alij de peccati sui dolore pleniùs instruantur.

HOLOPHERNE Iudæos inuadente, tutatus est eos Dominus, quoniam inuocauerunt nomen ipsius, & ieiunauerunt, & Sacerdotes induti sunt cilicijs, cinereque capita conspersi, & infantes prostrati ante faciem Templi, & Altare opertum cilicio. Illa quoque, quæ interfecit inimicum, vidua erat, quotidie ieiunabat, lumbos cilicio præcinxerat, cinere caput perfuderat, in secreto domus suæ cubiculo cum ancillis clausa morabatur, & tũc prostrata clamauit ad Dominum, cùm tam audax facinus esset aggressura. Huiusce modi ergo pœnitentię afflictionibus atque angustijs conciliatur Deus, reprimitur diabolus, innocentiæ status reparatur, reparatus conseruatur, conseruatus demum sortem capit æternitatis. *Iudith* 4. *Iudæi. Iudith 4. &c.*

NINIVITAE quoque, cùm vrbẽ suam post dies quadraginta euertendam audissent, prædicauerunt ieiunium, vestiti sunt saccis, rex ipse surrexit de solio, abiecit regia ornamenta, & saccum induit, seditque in cinere, ac iussit ne homines, iumenta, boues, pecora gustent quicquam vsque manè, vtque vnusquisque conuertatur à via sua mala. Id videns Deus auertit omnem perniciem illam, quam eis comminatus fuerat se illaturum. Quis ergo dubitet, quin à diebus Ioannis regnum cœlorum vim patiatur, & violenti rapiant illud, si etiam ante Ioannem hominum pœnitentia mutare potuit Dei sententiam? *Ionæ* 3. *Niniuitæ. Ionæ 3.*

MARDOCHAEVS ad Susa abductus, cùm Aman per se odio in ipsum ac simulatè factum esset, vt rex Persarũ Assuerus edicto iuberet interfici Iudæos omnes, qui Susis atque alibi in regno eius erant, vestimenta scidit, saccum induit, asperfit cinere caput, cum clamore & eiulatu incessit. Illi etiam qui per prouincias erant Iudæi ieiunauerunt, *Mardochæus & Iudæi alij Esther 4.*

uerunt, cilicioque & cinere pro strato vsi sunt, & Deo propitio, cædes quæ in ipsos grassatura erat, versa est in authorem Aman, quodque ipse Mardochæo ac cæteris Israelitis facere intenderat, hoc cum assectis atque assentatoribus suis passus est. Tam citò misericors & iustus Dominus & eos liberat, qui in cõspectu suo se humiliãt, & illos punit qui impiè superbiunt. Mardochæus verò ipse tam præsenti periculo erutus, primum apud regẽ obtinuit dignitatis locum, & quantum pœnitentiæ humiliationibus se submiserat, tantum fuit exaltatus. *Hist. Esth.*

Ibid 7.

Iob.

AT etiam iusti interdũ, quasi qui peccauerint, pœnitẽtiæ districtione se coarctant. Iob, quem diabolus omniũ aduersitatum mole premens vincere non potuit, saccum consui, inquit, super cutem meam, & operui cinere carnem meam, facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meę caligauerunt, & confidenter ait: Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cùm haberem mundas ad Deum preces. Ecce in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis. Quòd si sic corpus suum sponte atterebat vir innocens, & simplex, & timens Deum, ob hoc solum vt humilitatẽ probaret: quid nos facere oportet, qui & in multis offendim', & in nõ paucis adhuc offendere nõ cessamus?

Iob 16.

Idem.

IDEM quia ingentibus oppressus ærumnis Dei iudiciũ aliquantulum fugillauerat, se iustum iactando, & cum Deo disputare concupiscẽdo, à Domino redargutus culpam confitetur, & ait: Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem, & alterum, quibus vltrà non addam: & iterum: Insipienter locutus sum, ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Si iste in fauilla & cinere, qui tam equo animo tantas tolerauit calamitates: in quo illi, qui multo leuioribus affecti mussitant, indignantur, cum Deo non disputare, sed pugnare videntur? Et vt sciamus quale propositũ pœnitudinis esse debeat, meminerimus dictũ: Quibus vltra non addam. *Iob. 39. & 42.*

Iob. 39.

Ibid. 42.

Nabuchodonosor.

NABVCHODONOSOR regis ineffrenatam superbiã contundens Deus regno illum mentẽque eiecerat, ita vt procul ab hominum consuetudine annos septem cum feris per deserta vagatus sit, fœnum quasi bos comederit, æstus,

Digitized by Google

estus, pluuias, ventos patiens absque tecto. Postquam tamen ille ad se reuersus, agnouit mundanam potentiam non suum, sed Dei esse arbitrium, ac proinde confiteretur, neminem esse qui virtuti eius possit resistere, aut dicere ei, quare sic feciſti? veniã meruit, & sanitati regnoq; restitutus, ampliorem honorem adeptus est pœnitendo, quàm fuit quem amiserat peccando. In quo impletũ est illud quod per Isaiam dicitur: Vias eius vidi, & sanaui eum, & reduxi eum, & ipsi reddidi consolationes. *Isaiæ 57.b*

In Zacharia legimus Sathan, accusatione aduersari parantem Iesu filio Iosedech sacerdoti, prohibitum fuisse a Deo, eo quòd ipse Iesus pœnitentiam egisset. Qui deinde sordidis tegumentis, in quibus iam se submiserat, exui, & cidari munda operiri iussus, desiderabilem illam Domini vocem audiuit: Ecce abstuli iniquitatem tuam, & induite mutatorijs. Quã ergo pœnitentiæ virtus? Diabolo os obstruit ne accusare possit, & peccatorum sordes cum innocentiæ puritate commutat. *Zach.3.* *Iesus filius Iosedech.* *Zach 3.*

Et vt feminis quoque aliquod veteris Instrumenti demus exemplum, Maria soror Aaron Sacerdotis, & ipse etiam Aaron Moysi arroganter detraxerant. Sed alter statim commissum doluit, & veniam accepit, altera quia paulo peruicatior fuit, lepram incurrit. Orauit pro ea Aaron, orauit Moyses, & tamen Dei iudicio damnata, extra castra propellitur, nec nisi peracta septem dierum pœnitentia, sanitatem recuperare, & in castra redire potuit. Non tardes igitur (vt Ecclesiasticus inquit) conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindemiæ disperdet te. *Maria soror Aaron.* *Num. 12.* *Eccl.5.*

De Pœnitentia peccatorum per exempla nouorum. Cap. X.

Et si istis (quos quis sãctos, ad infernata tamẽ descẽdere primorũ parentũ cogebat preuaricatio) tãtæ curæ pœnitudo delictorum fuit, quãto magis nobis esse debet, quibus per Saluatoris aduentũ Legis maledicto solutis, pateat aditus Paradisi? Dies quẽ illi diu in tenebris expectarũt, nobis lucet, nec iã in Christo credẽtib⁹ quicquid

quam expectare necesse est. Si pœnitẽdo satisfecerimus, hinc decedentes rectà ad beatitudinem tendemus. Inspiciamus ergo etiam nouitia nostrorum exempla, vt ipsorum sequentes studium, adipiscamur & gratiam.

Ioannes Baptista. Matt. 3.

PRIMA in Euangelio Præcursoris vox est: Pœnitentiã agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Et vt qualiter agenda esset, in se ostenderet: de camelorum pilis textum habuit indumentum, zona pellicea præcinctus erat, locustis syluestríque melle vescebatur: lugubris & asper vestitus peccatorum tristitiam indicat, zona pellicea, carnis mortificationem testatur, ciborum vilitas ieiunium abstinentiamque commendat. *Matth. 3.*

Christus. Matth. 4.

POST Ioannem eadem sanè vox Dominicæ prædicationis initium fuit: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Sola peccati turpitudo ad pœnitendum mouere debuit peccatorem, quanto magis cum etiam ea promittitur merces, qua maior nequit desiderari? Et certè si regnum terrenum offerretur, nullum laborem refugerent mortales, nullum periculum declinarent. Offertur autem cœleste, & à vitijs ad virtutem retrahi non possunt. Retraherentur saltem, quando præmij spe nolunt, pœnæ terrore, quæ manet obduratos, dicente Scriptura: Cor durum habebit malè in nouissimo. *Eccli. 3.* Aut si verbis non credunt, crederent saltem exemplo.

Christus. Matth. 4.

ECCE enim, serue peccator, innocens Dominus in deserto solus manere non dedignatur, quadraginta dierũ inedia ieiunium protrahere non recusat, & vt hominis in Deo naturam agnoscas, postea esurijt. Denique omnia illa quæ passus est, vt te redimeret, non inuitus sustinuit, tu vt illi (quem quotidie offendis) reconcilieris, exiguã pœnitentiæ fatigationem suscipere detrectas, & erga illum ingratus, & erga teipsum impius.

Latro. Petrus. Paulus. Matth. Zachæus. Publican.

RESPICE pœnitentem latronem, de cruce euolat ad Paradisum. Respice pœnitentem negatorem, Princeps constituitur Apostolorum. Respice pœnitentem persecutorẽ, vas efficitur electionis. Respice pœnitentes publicanos, Matthæus de telonio ad Apostolatũ vocatur, Zachæus Iesum hospitio meretur accipere, & ille qui in tẽplo

Digitized by Google

ps pectus pungens planxerat,& flagitiorum con-
ælum ſuſpicere non fuerat auſus, redit iuſtifi-
nquid tantæ iſtorum gloriæ, quantum aſſecuti
rticipem fore diffidis,ſi ipſorum imitatus fue-
centiam?

DAMVS tamen his complures alios, vt ex ipſa po- *Marcel. Papa.*
im frequentia multo ſtultior ac deteſtabilior ap-
obſtinatorum duritia. Marcellinus Pontifex Ma-
,Diocletiano & Maximiano perſecutoribus, tor-
rum immanitate perterrefactus, Dijs thura poſue-
ſtea in Campaniam diſcedens, coram octoginta
pis aſtitit, cilicio & cinere opertus,confitens pec-
ſuum ac petens,pro eo ab ipſis ſibi pœnam indici
decerni. Quibus arbitrium in Præſidem recipere
tibus,ipſe in ſe ſententiam tulit, Pontificatum de-
,corpori ſepulturam denegauit, execrans eos qui
non ſiuiſſent ſuper terram putreſcere ac diſſolui,
feſtim Romam ad Martyrium eſt reuerſus, vltro
ens ſe ſupplicijs quæ modo expauerat. Decollati
er inſepultum iacuit, timentibus Chriſtianis vio-
ontif. interdictũ. Sed Petrus Apoſt. noctu apparens
llo presbytero,illud iuxta corpus ſuũ ſepeliri iuſ-
nũ eſſe aſſerens, vt qui ſecum peccauerat, ſecũ fle-
ſecũ recumbens honoraretur. *Platina in vitis Pont.*

COBVS quoq; natione Perſa, ſed profeſſione Chri- *Iacobus Dearuatus.*
s, dum inter regis Perſarum aulicos honori præci-
aberetur, ad exercendum Idolorum cultum pro-
eſt. Mox penitens, grauiter animo angi cæpit. Et
alàm ſe Chriſtianum eſſe,& Deos vanos falſoſque
ere diceret, ipſius regis iuſſu ſupplicia pertulit,
ratim articulatimque diſſectus. Inde alij denoda-
lij interciſum cognominant, ego potius dearuatũ
em. Nihil tamen refert, quo cognomento appellan-
,ſed magis conſiderare decet,à quanta perditione
enitentiam liberatus, ad qualem peruenerit glo-
vt inclitiſſimis Chriſti Martyribus annumeratus
ob. de Vorag.

NIFACIVS, Aglaæ Romanæ matronæ diſpen- *Bonifac. Martyr.*

sator, diu cum illa inhoneste vixerat, & sub Diocletiani persecutione ad penitudinem ambo conuersi, finem pernicioſæ voluptati statuunt, atque Roma Tharsum peruenientes, cùm omnia, quæ secum habuerant, in eleemosynas pauperum distraxissent: illa in monasterio coronari digna fuit, *Sur. Tom. 3. Breu. Rom. 14. Maij.*

Quidam Monach. MONACHVM qui, æger de Scythionico cœnobio ad ciuitatem curationis gratia profectus, in multo grauiore animæ suæ morbum inciderat, castitatem vertens in libidinem, cum puero quem meretricio coitu susstulerat, reuersum, ac in omnium fratrum conspectu scelus publicè confitentem miserabiliterque lugentem, Moyses Abbas & ipse flens excepit, atque dies aliquot cellæ carcere castigatum, in statum pristinum ordinemque redegit, & is qui mortuus fuerat peccando, pœnitendo reuixit. Potuit quidem, crimine quod occultum erat dissimulato, absque rubore redire, sed maluit tunc manifestus fieri & mundari, quàm postea in die Iudicij multo confusibilius detegi, multoq; infelicius in igne illo inextinguibili sine fine cruciari. *In vitis PP. fol. 1056.*

Victorin. Episcop. VICTORINO Episcopo dum eremum incoleret, diaboli dolis, qui se feminam effinxerat, capto, tanto dolori fuit semel perpetratæ fornicationis crimen, vt manibus in fissura ligni impactis, herba cruda & aqua frigida per triennium se sustentarit. Post hæc miraculis insignis, Episcopatum Amiternensem suscepit, magnificeq; rexit, & Neruæ persecutione Martyrij triumphum reportauit. Magna pœnitentis angustia, magna post pœnitentiam Episcopalis dignitas, sed vtrisque maius, deuicto persecutore, victoriæ præmium. *Homil. 34. in Euangel.*

Dauid Monach. DAVID Monachus in finibus Hermopolis in latrocinijs exercendis ætatem consumpserat, & tandem pœnitentia ductus Monachum se fecit, & de lupo in agnum versus, ita vixit, vt Angelo nunciante omnia peccata sibi à Deo condonata meruerit audire.

Moyses Monach. MOYSES Maurus & ipse latrocinijs AEgyptum agitauerat, sed Anachoretarum inibi vitam contemplatus, monachum se fecit. Pœnitendo igitur mutauit AEthiops pel-

Digitized by Google

pellem suam, & pardus varietates suas. Etenim quinque & septuaginta annos Deo in solitudine seruiuit, sex annos cella inclusus permansit, ad multam noctem stans orabat, pane tantum & aqua sustentabatur. Deinde charitatis operi se accingens, noctu peragrabat solitariorum tuguria, hydriasque eorum aqua replebat, vt procul haustum petentibus laborem eleuaret: peracto officio tacit redibat. Sic faciendis, qui primis homicidijs infamis fuerat, factus est sanctitate clarus; & qui quondam rapinis terram infestauerat, regnum rapuit cœlorum. *Hist. Trip. lib. 8. cap. 1.*

BANONEM quoque in Gallia ex prædone Monachū factum accepimus, & qui in syluis viatores despoliare solitus fuerat, postea in monasterio cella inclusum viuisse, manus ac pedes vinculis ferreis onerasse, hordeaceum panem cinere mixtum esitasse, carne vinoque abstinuisse, cilicium pro strato, lapidē pro puluillo habuisse, sæpè dum laudes Deo diceret, eundem lapidem humero sublatum tenuisse. Quibus corporis fatigationibus grauissimorum quondam criminum reus, catalogo meruit ascribi Sanctorum. *Banon Monachus*

ALBANVM furore percitum patri necem intulisse constat, & peregrinationis perpetuæ labore parricidij crimen diluisse, & cùm Martyrio consumptus esset, corporis eius tactu leprosos mundatos fuisse. Nemo igitur dicat: Maius est peccatum meum, quàm vt veniam mereat. Nullum tam grande flagitium est, quod non deleat persequendo. *Petr. de Natal.* *Albanus Monach.* *Genes. 4.*

IVLIANVS, cognomento Hospitator, errore magis quàm furore parentes interemit. Cùm enim summo mane domum reuersus in suo vxorisque cubili dormientes offendisset, putauit vxorem esse cum adultero, & educto repentè gladio ambos transfixit. Vxor autem antequam ille aduenisset, ad Ecclesiam perrexerat. Re tandem cognita, vbertim fleuit; vtque commissi veniam promereri posset, relicta domo, propè fluminis ripam, vbi multi vado transeuntes deperibant, Xenodochium posuit, & viatores tecto accipere, & nauicula transuectare gratuitò cœpit. *Iulianus Hospitator.*

cœpit. Postremò diuinitus dictum sibi audiuit, quò culpam eluisset hospitalitatis merito. Parentum ergo interfector per pœnitentiam factus est cæli habitator. *Iacob. de Vorag.*

Genebal. Epis. GENEBALDVS Laudunensis Episcopus, cùm vxore (cum qua Religionis causa diuortium fecerat) cognouisset, septem annos in Ecclesia clausus peregit deflens peccatum suum, atque illud tandem sibi condonatum esse, Angelo nuntiante, didicit. Et eiusdem Angeli iussu à sancto Remigio Rhemensi Episcopo in locum suum restitutus, cautiùs vixit, quique ante peccatum innocentior erat, post peccatum sanctior fuit. *Sur. Tom. 1. fol. 192.*

Euagrius Presbyter EVAGRIVM Presbyterum eximiæ sanctitudinis virum, cùm eremum incoleret, nescio quod detractionis verbum semel protulisse tradunt, & pro eo se ita castigasse, vt dies quadraginta sub dio permanserit, nec prius tectum subierit, quàm se satis pro delicto fecisse censuisset. *Psal. 36.* Rectè igitur per Prophetam dicitur: Iustus cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam: vt scilicet pœnitendo resurgat, & resurgendo iusti nomen non amittat. *In vitis PP.*

Mauril. Episcop. MAVRILIVS Andegauensis Episcopus, dum expectaret donec missale Sacrificium peragat, interim puerum quem baptizaturus erat, vita defunctum comperit, suæq; id negligentiæ imputans, vsque adeò doluit, vt relicta Ecclesia nauim conscendens clàm effugeret. Fortè Sanctuarij claues secum tulerat, quibus de manu in mare elapsis, existimauit eo indicio se prorsus Episcopatu indignum, atque inde iam proposuit, nũquam se in Sedem suã reuersurum, nisi inuentus quis ad se retulisset. Transmisso mari, veste seculari indutus, cuidam principi viro operam seruilem locauit, olitor eius factus. Septennio sic peracto à Clericis inuentus & cognitus, nolebat cum illis redire propter clauium illarũ casum. Ipsi ergo (quas Episcopus requirebat) claues in medium proferunt (eas autem in itinere capto pisce & exenterato inuenerant). Itaque iam manifestè Dei voluntati contradicere nõ ausum, cum alacritate secum reducunt, quẽ paulò ante ea-

Digitized by Google

tandem clauium argumento in mari periſſe ſuſpicati fleuerant. Maurilium igitur ex Epiſcopo culpa ſeruum fecerat, ſed rurſum ex ſeruo Epiſcopum fecit culpæ pœnitudo, & poſt pœnitudinem vitæ ſanctimonia extulit ſupra cælum. Fama eſt, cùm reductus eſſet, quamprimum ad pueri illius vrnam proſtratum oraſſe, atque ipſum à morte ſuſcitatum Baptiſmo perfudiſſe: tantam iam virtutem diuina contulerat pietas pœnitentis humiliationi *Fortunat. Sur. Tom. 5.*

METRONEM Confeſſorem (cuius corpus Veronæ poſitum veneratione habetur) cùm pœnitentiæ laborem ſubiret, compede ferrea ſe vinxiſſe traditum eſt, & clauē qua nexus diſſoluebantur, in Atheſim fluuium proiecisse, atque oraſſe, tunc illam repertam conſpiceret, cùm ipſe omni culpæ labe purificatus eſſet. Inde non poſt multos annos, intra capti piſcis ventriculum repertam, eiq́ue reſtitutam. Sic illum compedem depoſuiſſe, vitaq́; defunctum, viuere in cœleſti beatitudine cœpiſſe. O optandas pedicas, per quas à vinculis expediri licuit peccatorum, gratanterq́; exclamare: Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. *Metron. Confeſſor.* *Pſal. 115.*

ARNVLPHVS quoque Lotharingiæ Dynaſtes Caroli Magni Imperatoris auus, cùm relicto dominatu Chriſto in ſolitudine ſeruiret, annulum ſuum in fluuium Moſellam iactauerat, tunc ſe pro delictis Deo ſatisfeciſſe creditur, cùm ille repertus ſibi redderetur. Poſtea Metenſis Epiſcopus electus, cùm diu Eccleſiam optimè rexiſſet, allatus eſt ei piſcis, in cuius inteſtinis inuento annulo Deo gratias egit, nec tamen pœnitentiæ rigorem remiſit, quinimo dimiſſo Epiſcopatu eremum repetit, & ad ſolitudinis anguſtias reuerſus, diem ſuum obiit, nunc amplitudine fruitur Paradiſi. O quàm bona pœnitentis piſcatio, cuius hamo ſuffocatur Leuiathan, & trahitur theſaurus immortalitatis? *Aet. de Nat.* *Arnulph. Epiſcop.*

SI quis autem miretur, quomodo aquatile animal, vel claues illas vel anulum hunc deglutierit, cùm eiuſmodi cibis non veſcatur: legat in Euangelio didrachmam quoque in ore piſcis inuentam, & vtrumque diuino factum *Matt. 17.*

nutu nihil dubitet, quippe alterum procuratū est, vt habeat Petrus quo pro se & Domino tributum soluerēt, alterum, quo isti se solutos à peccatis cognoscerent.

Antonius Abbas.

ANTONIO Abbati Alexandrino in spiritu visum legimus, aliquando se ab Angelis in cœlum ferri, & dum ferretur, malos dæmones iter impedire conatos, obijcientes ea quæ olim ipse in seculo viuens commiserat, sed ab Angelis repulsos asserentibus, ea omnia monachali professione deleta esse, nec quicquam deinde superextare, quod ab ipso perperam factum argui posset. Hoc modo ipsum Satanæ molestia liberatum, cœlos ascendisse, & rursum rediisse ad terram. Si sic excutiuntur tantæ perfectionis homines, qualiter quæso iudicabitur, qui nulla pœnitentiæ genere illa, quæ iure exprobrari possunt, destruere curat, & pœnitendi tempus peccando consumit, de quo dicitur: Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ipse abutitur eo in superbia. *Athanas. in vita eius.*

Iob 24.

Ioannes Apostolus pro quodā iuuene.

HINC est quòd sanctis viris maximæ semper curæ fuit, vt peccantes traherent ad pœnitentiā, quoniam sine illa infelices, & per illam beatos fore, non ignorabant. Ioannes Apostolus (vt quidam tradunt) peregrè proficiscens, iuuenem cōuersum apud Episcopum reliquit, & vt grande quoddam depositum custodiendum commendauit. At cum rediisset, illum discessisse comperit, & commeantium itinera subsidendo latrocinari. Statimque cōscenso equo, perditam ouem solus quæsitum abijt: sed ille venientem conspicatus, præ pudore equum insiliens fugere cœpit. Insequi verò Apost. & succlamare, vt patrem expectaret, qui pro filio rationem Deo reddere paratus esset, si secum modo reuerti vellet. Commotus tanta Apost. solicitudine iuuenis atque erga se pietate substitit, redijt, pœnitentiā egit, & de latrone tandem Episc. fieri meruit, magisq; Angeli in cœlis gaudij sūt super vno peccatore pœnitētiam agente, quā super nonaginta nouē iustis, qui non indigent pœnitentia. *Euf. Hist. li. 3. c. 22.*

Luc. 15.

Andreas Apostolus pro quodā Nicolao.

ANDREAS Apostolus cuiusdam Nicolai iam senis fornicandi innocentiam vehementer dolēs, ab hora tertia ad nonam Deum pro illo cum lachrymis obsecrasse dici-

Digitized by Google

dicitur, deinde cum etiam inedia se conficeret, die tandē quinto de cœlo sibi à Domino dictum audisse: Tua opera, ô Andrea, Nicolaum, quem amiseram, inueni. Quotusquisque est, qui sic suum lugeret delictum, vt Apostolus alienum? *Abdias.*

BASILII quoque Magni studio atque industria is qui diabolo se mancipauerat, peracta pœnitentia, liber euasit. Coacti sunt maligni spiritus reddere chirographum, quo ipsum sibi deuinctum tenuerant, cum pœnitentem tenere nullo modo possent. Et factus est Dei seruus, qui fuerat diaboli. Ita & Basilius ouem de faucibus lupi ereptam gregi Ecclesiæ reddidit, & proximi salutem lucrū suum fecit. *Amphiloch. in vita Basilij.* *Basilius pro quodā*

MVTIVS Abbas cuidam, iam animam agenti, Deum precatus trium annorum spatium ad pœnitendum impetrauit, sanumque secum ad eremum duxit. Et ille cum triennium peccata sua luxisset, in vigilijs, ieiunijs, obsecrationibus, decessit securus. Et cuius ope vitæ terminū protelauerat, eius & manibus sepultus in Domino quieuit, *In vitis PP.* *Mutius Abbas pro altero.*

AEGIDIVS Arelatensis Abbas, dum Missam celebrās pro quodam regis Caroli delicto, quod nulli confiteri ausus fuerat, precaretur, schedulam super altari reperit, in qua reuelabatur peccatum, & Abbatis merito venia cōcedebatur regi, si modo ille se peccasse doluisset. Hinc patet, quantum profuit peccatoribus iustus precator, vt penè desperantibus eius oratio saluti sit. *Fulbert. Carnot.* *Aegidius Abbas pro rege Carolo.*

SIQVIDEM & Odonis Cluniacensis Abbatis monitis quidam ex prædone Monachus factus, dum è vita decederet, beatam Virginem sibi apparuisse dixit, iubentem ne timeret, eo quòd Odonis meritis ipsi peccata omnia remissa essent. Fecit itaque magistri sanctitas, vt discipulus diem suum securior obiret. *Sur. Tom. 6.* *Odo Abbas pro discipulo.*

ANTONIVS Ordinis Fratrum Minorum, sed ipse magnæ virtutis vir, cuidam confitenti, quod ira concitatus patrem calce ferierat, calcem illam abscindi dignam dixit. Ille id pro peccato apponi ratus, domum abiens, pedē sibi amputauit. Postea reuersus, cur claudicaret, cum ab *Antonius pro altero*

ab eodem rogaretur: impleui, inquit, quod dignum iudicasti. Obstupuit hominis patientiam Antonius ac simplicitatem, qui seruandum sibi duxisset, quod increpationis causa dictum fuerat. Et pro illo Deum precatus, membrū quod mutilatum erat, integrum fecit, atque vtroque pede ambulans abijt, qui vno venerat. Profectò qui sic doluit se patri irrogasse iniuriam, dignus fuit & pro quo oraret Antonius, & cuius misereretur Deus. Nec tamē laudamus pœnitentis factum, sed ex facto pœnitentiam pensamus, cui, quod simpliciter credidit, feliciter cessit. *Antonin. hist. par. 3.*

Pacomius Abbas pro fratribus.

PACOMIVS quoque Abbas, cùm aliquem ex fratribus inimici supplantatione in nequitiam deiectum accepisset, conquiescere omninò non poterat, tamdiu pro illo preces offerens Deo, donec ad pœnitentiam conuersū esse certior fieret. *Metaph. & in vitis PP.*

Piamon presbyter pro fratribus.

PIAMON in Scythiotico monasterio spectatæ sanctitatis Presbyter, dum Missæ sacra conficeret, Angelū Domini vidit, qui Monachorum nomina in codice partim scriberet, partim scripta deleret. Visa ergo Monachis explicans, eos peccato obnoxios comperit, quorum nomina subduci vidit. Ac tamdiu cum illis lugens veniam orauit, donec iterum apparens Angelus, etiam illorū nomina conscriberet, quorum antè deleuerat. Illi itaque quantum mœroris priùs conceperant, tantum deinde lętati sunt, cùm post pœnitentiam se quoque conscriptos in cælis ac in libro vitæ repositos agnouissent. *Trip. Hist. lib. 8. cap. 1. Pallad. Hist. 72.*

Theophil. Presbyter

ET hoc sanè quòd modò dicemus exemplum magnæ erga pœnitentem misericordiæ indicium est. Theophilus Presbyter in Cilicia ab officio Archidiaconatus per iniuriam eiectus, diabolo chirographum cōfecerat, quo se illi tradebat, Christo repudiato, si modò per illum dignitatem amissam recuperasset. Cumque pristino honoris loco restitutus esset, ad se rediens, vehementer animo conflictari cœpit, & ad beatam Dei genetricem Mariam Virginem conuersus auxilium cum lachrymis implorare. Igitur dies quadraginta in luctu fugiq; supplicatione pera-

Digitized by Google

pectis, apparens Virgo mœstum consolata est, salutem sperare iussit. Ac post triduum iterum apparens, peccatum ipsi dimissum nuntiauit. Atque ille (ne tanta Dei erga peccatorem pœnitentem pietas lateret) publicè in Ecclesia peccatum suum confessus, visa enarrauit, ac deinceps ita sanctè vixit, vt miraculis nobilitatus sit.

BEATI sunt igitur qui lugent, non mundi aduersa, non persecutiones, non corporis ægritudinem, non suorum mortes, sed sua aliorumque peccata. Nihil ita diluit maculam criminis, vt lachryma pœnitentis. Huius exundans humor animam puram reddit, & spirituali replet suauitate, peccatoris tristitiam mox immensi gaudij spe temperat, vt qui prius gehennæ timore fleuerat, iam auidius fleat beatitudinis desiderio, & incolatum suum prolongari conqueratur, dissolui cupiens, & esse cum Christo. *Beati qui lugent.* *Phil. 1.*

PETRVS negationis culpam amare fleuerat, & tamen idem impetrata venia, & Clauibus regni acceptis, & summi Pontificatus officio sibi delato, post Domini ad cælos ascensum, vix vllo die à lachrymis temperasse dicitur, atque ad eas identidem siccandas, lineum linteolum de manibus nunquam dimisisse. *Clemens in Recogn.* *Petrus Apostolus.*

ARSENIVM Abbatem ob frequentes lachrymas, fluxis cilijs, turgidulis ocellis, suffusisque rubore genis, fuisse ferunt. *In vitis PP.* *Arsenius Abbas.*

VINCENTIVM quoque Prædicatorem ad lachrymas promptissimum extisse legimus, sed tunc præcipuè, cùm salutarem hostiam offerret, Corpori & Sanguini Christi communicaturus. *Petr. Rausan. & alij, Sur. Tom. 2.* *Vincentius Prædicat.*

FRANCISCO Minorum Patri plorandi assiduitas hebetauerat visum, & cùm oculis parcere moneretur, respondebat, haud esse tanti ipsos corporis sensus, vt eorum causa langueſcere debeat deuotæ mentis vigor, qui certè suspirijs alitur, & per lachrymas ad Deum sibi accessum parat. *Bonauent. cap. 5.* *Franciscus Pater Minorum.*

DIVVS Hieronymus præter cæteras pœnitentiæ suæ angustias, quas ad Eustochium scribens enumerat: Quotidie,

 Hieronymus Presbyter.

tidie, inquit, lachrymæ, quotidie gemitus. Quali autem illas consolatione terminare solitus sit, declarat, dicens: Post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar agminibus interesse Angelorum, & lætus gaudensque cantabam: Post te in odorem unguentorum tuorum curremus. *Hieronym. ad Eustoch.*

Bonifac. 1.

Cassius Episcopus.

CASSIVS Narniensis Episcopus, quotidie Missam celebrans Eucharistiam sumpturus, crebro in fletum prorumpebat. Et Dominus cuidam Presbytero per visum apparens: I, ait, nuntia Cassio, vt operi solito constantèr incumbat, natali Petri & Pauli Apostolorum die accepturus laboris mercedem. Perseuerauit Cassius, & anno demum septimo pòst, sed ea qua prædictum fuerat die, vita defunctus, pro modicis lachrymis gaudia percepit æterna. *Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 6. & Homil. 37. in Euangel.*

IESVS Christus.

1. Pet. 2.

Luce 19.

SED quid istos tantopere fleuisse miramur, qui flendi causas dum peccassent habuerunt, cùm etiam Dominus noster Iesus Christus Agnus immaculatus, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, lachrymas interdum fudisse dicatur, risisse nunquam? Fleuit Ierosolymam vallo inimicorum circundandam, funditus diruendam, id est, animam vitiorum septam multitudine,

Ioan. 11.

diaboli prædam futuram. Fleuit in monumento fœtentem Lazarum, hoc est, peccatorem longa delinquendi assuetudine mortuum, & scelerum putredine corruptum,

Iobel. 1.

de quo dicitur: Computruerunt iumenta in stercore suo. Et flendi ergo nobis exemplum reliquit, & cur flere debeamus, simul monstrauit.

Idem.

Luce 13.

INSVPER ijs qui pœnitentiæ iugum subire aspernantur, comminatur dicens: Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, sicut illi octodecim supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos. Rursus idem per Isaiam promissis nos allicit, & ait: Si reuertamini & quiescatis, salui eritis; in silentio & in spe erit fortitudo

Isaiæ 30.

Isaiæ 61.

vestra. Et iterum: Ad annuntiandum mansuetis, inquit, misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem; vt prædicarem

annum

Digitized by Google

animum placabilem Domino, & diem vltionis Deo vestro: vt consolarer omnes lugentes, vt ponerem consolationem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Cùm hæc ita sint, quis tam auersus est, tam sibimet infensus atque iratus, vt pœnitentiæ laborem ferre aut recuset tanta mercede, aut recusare audeat, tanto proposito supplicio?

Fœminæ.

SED iam etiam fœminarum, quæ Christum secutæ sunt, pœnitentiam parumper contemplemur, vt saltem pudeat nos, qui viri sumus, isto virtutis genere à fœminis vinci ac superari.

Peccatrix in Euangelio. Sapient. 1.

MVLIER illa de Euangelio peccatrix in aliena domo quæsiuit Saluatorem, quoniam in suâ non habebat. Non enim habitat Deus in corpore subdito peccatis. Conscientiæ ergo stimulis acta, illuc vbi Iesus accubuerat, irrupit, accessit retro, & pedes eius lachrymis rigauit, capillis terfit, osculata est, vnguento perfudit. Condonanturque ei peccata multa, quia dilexit multum. Aduenerat peccatrix, & pœnitudinis humiliatione abijt sancta. Denique dimittitur in pace, quam turbauerat dolor vitæ nequioris. *Luc. 7.*

MARIA Magdalena. Ioan. 20.

PLORANTI ad monumentum Mariæ Dominus, antequam Apostolis, apparuisse dicitur, quia illa prior consolari meruit, quæ lachrymas vberius fudit. Cùm fleret (vt Ioannes inquit) inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos, vnum ad caput, & vnum ad pedes. Paucis verbis tota pœnitentis ratio comprehensa est. Qui enim ad pœnitentiam conuertitur, primò se peccasse dolet, & compunctus lachrymas emittit, deinde inclinat se dum humiliatur, & in monumentum prospicit, dum anteacta mente voluens quid mali commiserit, quid boni omiserit, conscientiam examinat, & singula quæque diligenter perpendit. Tunc autem Angelos videt, cùm iam constanti animo angelicæ consentit inspirationi, & vnum quidem ad caput, alterum ad pedes, quia consentiens à principio vsque ad finem perseuerare debet. Postquam autem perseuerauerit, restat vt videa-

Digitized by Google

videat Iesum, non in terra sepultum, sed iam deiecta morte in cælo triumphantem, quem sic videre, perfecta consummataque beatitudo est. *Ioan.* 20.

Mulieres plorantes post Iesum.

VT ergo illum in sua patrisque gloria aspicere mereamur, prius eundem imitari debemus in sua humilitate. Idcirco dum crucifigendus duceretur, populi & mulierum turba cum lamentis illum & eiulatu sequebatur, vt scias quia hi verè sequuntur Iesum, qui per pœnitentiam affliguntur, & peccatorum sordes imbre lachrymarum eluere festinant.

Chanan. mulier in Euangelio.

CHANANAEA quoque mulier non mediocris pœnitentiæ nobis exemplum reliquit. Nam & ipsa post Iesum clamauit, misericordiam eius implorauit, repulsa non recessit, despecta se submisit. Quamobrem filia quæ malè à dæmonio vexabatur, salutem (vt voluit) impetrauit. Ita & tu, si animam quam diabolicis infestatam suggestionibus dolisque subuersam liberari cupis, ad pœnitentiam conuersus orando clama, de misericordia Dei ne diffidas, humiliare in conspectu eius, & si te ille statim non audierit, tu tamen perseuera. Cumulatior gratia datur cùm differtur, si tamen interim nec supplicatio cessat, nec spes deficit, nec titubat fides. Vnde huic, quæ prius veluti canis contemnebatur, postremò tanquam optimè de Deo merenti dicitur: Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, hoc est, non tantùm sicut postulasti, sed si vis, etiam melius quàm postulasti. *Matth.* 22.

Monica B. Augustini mater.

PIE quidem fletus quanta vis sit, Monica etiam Augustini mater testatur. Cui, pro filio Manichæa hæresi implicato multum lugenti atque oranti, diuinitus dictum est, vbi ipsa, ibi & illum futurum. Ab Episcopo etiam, quem vt pro illo oraret cum fletu rogauerat, audiuit: Fieri non posse vt tantarum lachrymarum filius periret. Qui tandem Ambrosij Episcopi prædicatione conuersus, non solùm errorem omnem abiecit, sed etiam errantibus viam veritatis monstrauit, obscura quæque declarando, dubia edisserendo, certa confirmando, praua falsaque omnia pleniſſimè confutando, tantum profecit matris pro filio lugentis assidua solicitudo. *August. Conf. l. 3. c. 11.*

ET quo-

Digitized by Google

ET quoniam maius peccatum maiori indiget animadu. Maria
uersione, Maria AEgyptiaca prostibuli voluptatem cum Ægypt.
eremi asperitatibus commutauit, & Deum quę carni seruiendo vehementer offenderat carnis castigatione placauit. Quadraginta annos in deserto vixit, quæ fortasse Alij 47.
tantundem temporis in obscœnitatibus vitæ consumpserat. Antea se ornauerat, vt hominibus placeret: tunc nuda incessit vt placeret Deo. Antea lasciuis cantibus & delicatis epulis indulserat, tunc assiduis precationibus quotidianisque se fatigauit ieiunijs. Hoc itaque quadraginta annorum labore ad æternæ quietis peruenit fœlicitatem, tantumque boni percepit pro pœnitentia, quantum perceptura erat mali pro obstinatione, si pœnitere noluisset. In ea impletum est illud per Ieremiam dictum: Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. *In vitis PP. Sur. Tom. 2.* Ierem. 3.

PELAGIA etiam illa, quæ cunctas Antiochiæ fœminas diuitijs, luxuria, libidine superauerat, Nonij Heliopoleos Episcopi prædicatione conuersa fleuit, peccata confiteri cœpit, & non Pelagiam se, sed pelagus omnium vitiorum vocitandam esse dixit. Denique seruos suos & ancillas manumisit, opes pauperibus distribuit, & relictis omnibus, in monte Oliueti solitaria confedit, sexum vestis nomineque occultans, dicta atque credita Pelagius Monachus. Tantum itaque vitæ austeritate profecit, quantum antè effluxerat delicijs. Sic pœnas effugit inferni, & gaudia comparauit Paradisi, summumque bonum summi mali declinatione inuenit, inuentoque fine fine fruitur. *In vitis PP.* Pelagia.

THAIS Alexandrina Pafnutij Abbatis industria atque exhortatione ad pœnitentiam conuersa, omnia quæ sibi meretricio quæstu parauerat, in foro congesta populo spectante combussit, eiusdemque Abbatis consilio fœminarum Monasterium ingressa, cella se inclusit, lugens peccatum suum, pane tantùm & aqua vitam sustentans, ipsumque Dei nomen proferre non ausa, orabat, dicens: Qui plasmasti me, miserere mei. In tali labore triennio Thais.

exacto,

exacto, Paulus Antonij discipulus in quiete vidit supra cælum positum cubile auro gemmisque refulgens, arte ineffabili ac decore constructum, & cùm rogasset, an illud Antonio esset paratum: accepit, non Antonio, sed Thaidi meretrici. Educta ergo de cellæ carcere, quintodecimo die migrauit ad Dominum, & cælestem thalamum fœliciter possedit, quia terrenum & impudicum aliquando possediſſe dolenter tulit. *In vitis PP.*

Theodora. THEODORA commissi adulterij conscia virum reliquit, & inter Monachos latuit Theodorus dicta, vbi multa diaboli tentamenta vicit, & hoc postremò, quòd cum insimularetur, fœminam quandam de se grauidam peperisse, patienti animo tulit, puerum educauit vt suum, annos septem ante monasterij fores permansit, veluti stupri rea. Recepta deinde cum puero cella se occlusit, atque ipsum viam perfectionis impensè docuit. Biennio post vita defungitur, & à Deo honoratur, quam homines infamauerant. Fœminam autem fuisse antequam decessisse sciretur, Abbas reuelatione cognouit. Vidit enim nuptiarum pompam in cælo parari, ipsamque ab Angelis in Sponsi cubiculum ingenti cum exultatione induci, tripudiante Sanctorum choro, Deoque laudes concinente. O inæstimabile diuinæ largitatis donum pœnitentia, per quam meretricibus etiam & adulteris datur ad sanctarum Virginum gloriam peruenire. *Iacob. de Vorag.*

Aurea Virgo. SED & Virginum lampades extinguentur, si pœnitentiæ oleum in vasis suis habere neglexerint. Aurea Virgo Parisiensis monasterij Præposita, quoniam inter Missæ solennia Diacono Euangelium ineptè admodum legenti, stolam eripiens, ipsa sibi apponere, & eius officio defungi ausa fuerat, semet arrogantiæ accusans dignitatem deposuit, annosque septem à cella sua non discessit. Ibi etiam sedile sibi faciendum curauerat, cuius pars, quæ humero tenus considentem hemicyclo amplexabatur, in summo clauorum cuspidibus ad Psalmorum numerum dispositis horrescebat. In eo sedili illa, cum psallere vellet, sese collocabat, & dextro lateri innixa quinquaginta

Psal-

Psalmos perlegebat, sinistro totidem, & totidem in tergo resupinata, pungentibus quaqua versum ferreis aculeis. Dum ergo paulo insolentioris facti eam pœniteret, sponte passa est præsidentiæ depositionem, cellæ carcerem, legendi laborem, sedendi dolorem, ad hæc quotidiana ieiunia, noctesque peruigiles. Hinc saltem discant ij qui alijs præsunt, quali pœnitentia expiari debeant, si deliquerint. Quia multum quidem imputandum est illi, etiam cùm leuiter peccat, à quo reliqui viuendi exempla petunt. *Audoenus in vita Eligij.*

ET quoniam post lapsum nulla spes est salutis, nisi erigamur per pœnitentiam, præter iam dicta exempla, sacrarum etiam Scripturarum crebræ præceptiones ad illam suscipiendam nos prouocant atque compellunt. Isaias Propheta: Quærite Dominum, inquit, dum inueniri potest: inuocate eum dum propè est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius: & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Ieremias: Reuertere, inquit, auersatrix Israel, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis, quia sanctus ego sum, dicit Dominus, & non irascar in perpetuum. Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras. Laua à malitia cor tuum, Ierusalē, vt salua fias: vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscū in loco isto. Nunquid qui cadit, nō resurget, & qui auersus est, non conuertetur? Per eundem Prophetam ait: Si pœnitētiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt faceré ei, & subitò loquar de gente & regno, vt ædificé & plantem illud. Sin fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum vt facerem ei. Hoc idem in Ezechiele habetur, dicente Domino: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non

Isaiæ 55.

Ieremiæ 3.

Ieremiæ 4.

Ibidem 7.

Ibid. 18.

Ezech. 18.

Digitized by Google

non morietur; omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor, in iustitia sua quam operatus est viuet. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis & viuat? Et rursum: Conuertimini, inquit, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. *Ibid.33.* Et rursum: Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Et Iohele quoque Propheta legimus: Dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit si conuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? De hoc fletu & in Psalmo dicitur: Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Euntes ibant & flebant: Venientes autem venient cum exultatione. *Iohel.2.* *Psal.125.*

SED iam ad largiorem Euangelij gratiam transeamus, vbi pœnitentiæ merces cœpit esse beatitudo regni cælestis. Pœnitentiam, inquit, agite; appropinquabit enim regnum cælorum. Et: Facite fructum dignum pœnitentiæ. Et: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et: Intrate per angustam portam, quia angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam. Ac ne angustijs suis terreamur: Iugum meum suaue est, inquit Christus, & onus meum leue. Neque enim peccatorem ita delectant quies, & otium, & deliciæ, vt verè pœnitentem labor, solicitudo, vitæque asperitas. Hinc namque regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ergo si manus, pes, oculus scandalizat te, abscinde & proijce, id est, omnes corporis affectus ad vitia pronos per pœnitentiam submoue ac repelle. Melius est sine his intrare in regnum Dei, quam cum his mitti in gehennam ignis. Nisi enim conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Non est voluntas, inquit, ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Quis autem pusillus est, nisi qui pœnitentiæ humili- *Matth.3.* *Ibid. 4.* *Matth.5.* *Matth. 7.* *Matth. 11.* *Matth.18.*

Digitized by Google

imitate se submittit? Vnde & procidenti seruo supplici-
terque roganti debitum omne dimittitur. Et: Non ve- Luc.
ni, inquit, vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam,
Beati qui nunc fletis, quoniam ridebitis. Etenim maius
gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam
agente, quam super nonaginta-nouem iustis, qui non in-
digent pœnitentia.

ADHANC nos & Apostolus hortatur, per quam ipse, vt Apostolus fieret, meruit: Abijciamus opera tenebrarum, Rom. 13.
inquit, & induamini arma lucis, sic vt in die honestè am-
bulemus. Et: Expurgate vetus fermentũ, vt sitis noua con- 1. Cor. 5.
sperſio. Et: Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia 2. Cor. 7.
contristati estis ad pœnitentiam. Quæ enim secundùm
Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem
operatur. Secuti autem tristitia mortem operatur. Idem
monet ac dicit: Deponite vos secundùm pristinam con- Ephes. 4.
uersationem veterem hominem, qui corrumpitur se-
cundùm desideria erroris: renouamini autem spiritu
mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secun-
dùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritā-
tis. Idem ignauiatorpentem excitans ait: Surge qui dor- Ephes. 5.
mis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Pœ-
nitentibus quoque quorsum viam suam dirigant osten-
dens, inquit: Deponentes omne pondus & circumstans Heb. 12.
nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum
nobis certamen, aspicientes in autorem fidei & consum-
matorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit
Crucem.

IACOBVS item Apostolus ad pœnitentiam nos inui-
tans: Subditi, inquit, estote Deo; resistite autem diabolo, Iacob. 4.
& fugiet à vobis. Appropinquate Deo, & appropinqua-
bit vobis. Emundate manus peccatores, & purificate cor-
da duplices animo. Miseri estote, & lugete, & plorate, &
risus vester in luctum conuertetur, & gaudium in mœ-
rorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit
vos. Cùm igitur & veteris & nouæ Scripturæ, hinc minis,
inde promissis vrgeamur ad pœnitendum, erimusne vs-
que adeò diaboli laqueis irretiti, vt non protinus his ex-

cussis, ad ipsam poenitentiam curramus? Erimusque ita nobismet irati atque infesti, vt potiùs eligamus breuem vitæ huius voluptatem cum æternis miserijs, quàm breuem poenitentiæ laborem cum æterna foelicitate?

Cōtra obstinatos. QVOD si obturata vitiorum inculcationibus aure, hos monitus hasque exhortationes, quibus saluti nostræ consulitur, pertransierimus: quid reliquum erit, nisi vt iræ & vltionis in obstinatos effundendæ poenas cogamur sustinere? Talibus quippe in Leuitico Dominus comminatur, dicens: *Leuit. 26.* Si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras vsque in septuplum propter peccata vestra, emittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant, desertæque fiant viæ vestræ. Idem in Prouerbijs ait: *Prou. 1.* Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cùm vobis quod timebatis aduenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. In Isaia quoque scriptum est: *Isaiæ 63.* Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Et in Ieremia: *Ierem. 2. & ibidem 32.* Verterunt ad me tergum & non faciem, & in tempore afflictionis suæ dicent: Surge & libera nos. Cùm autem nec afflictionibus ab impietate recessissent. Propheta respondens ait: *Ibidem 5.* Percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. *Ibidem.* Idcirco, inquit, percussit eos leo de sylua, lupus ad vesperam vastauit eos, Pardus vigilans super ciuitates eorum. Rursum per eundem Prophetam alibi Dominus minatur, & ait: *Ierem. 5.* Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. *Ibidem 7.* Et iterum: Locutus sum ad vos, inquit, manè consurgens & loquens, & non audistis: & vocaui vos, & non respondistis. Faciam domui huic, in qua inuocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fidu-

Digitized by Google

fiduciam, & loco quem dedi vobis & patribus vestris, sicuti feci Silo, & proijciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros vniuersum semen Ephraim. Valdè præterea horrendum est, quod pro his ne orare quidem permittit. Sequitur enim: Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Et rursum ait: Manè consurgens contestatus sum, & dixi: Audite vocem meam, & non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam, sed abierunt vnusquisque in prauitate cordis sui mali: Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt, & clamabunt ad me, & non exaudiam eos. In Osee quoque Propheta dicitur: Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt. Deinde infert & ait: Super eos effundam quasi aquam iram meam. Cæterùm cùm nec aduersitatibus concussi in viam iustitiæ redire vellent, exprobrat illis per Aggæum Prophetam, dicens: Percussi vos vento vrente, & ærugine, & grandine omnia opera manuum vestrarum, & non fuit in vobis qui reuerteretur ad me, dicit Dominus. Huiusmodi hominum consuetudinem familiaritatemque fugiendam etiam in Euangelio discimus. De illo enim qui correptus, neque te, neque alterum, neque Ecclesiam audierit, dicitur: Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Væ ergo prægnantibus & nutrientibus in illis diebus, hoc est, qui prauis cogitationibus pleni fouent scelus quod conceperunt, & fœtum alunt cùm ediderint, malefactaque pro benefactis vsurpant. De quibus Salomon ait: Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.

Ieremi. 11.

Osee 5.

Ibidem.

Aggæ. 2.

Matth. 18.

Matt. 24.

Marc. 13.

Prou. 2.

Hi sunt terra illa petrosa, super qua verbi Dei semen sparsum, non habet quo radicem agat, illicoque arescit, & cùm præceptis minimè moueatur, miraculis quoque non adhibet fidem. Vnde in ipsos exclamat Dominus, dicens: Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœ-

Luce 8.

Luce 10.

tes pœniterent. Veruntamen Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio, quàm vobis. Hoc quoque mali habet peruersæ mentis obstinatio, vt nec suis finibus contenta, indies ad deteriora prolabatur. Inde enim spiritus immundus exiens, non inuenit requiem, & dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Hic est ficulnea illa, quam bonus agricola circumfodit, dum sarculo conscientiæ intima scalpit cordis, & mittit stercora, resipiscendi occasionem præbens. Vbi verò nec sic fructum fecerit, Domini iussu succiditur, ne terram occupet; vt sciamus eos qui bonorum operum sterilitate laborant, ne terrena quidem possessione esse dignos. Talem alloquens Paulus Apostolus: Ignoras ait: quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddit vnicuique secundùm opera eius. Dominus quoque in Apocalypsi: Memor esto, inquit, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.

Lucæ 11.

Lucæ 13.

Rom. 2.

Psal. 61.

Apoc. 2.

Quos in pœnitendo imitari debeamus

Genes. 14.

Genes. 4.

Matt. 27.

Nos ergo cùm delinquimus, non sequamur Pharaonis duritiam, ne cum illo mergamur in profundum; nō Cain desperationem, ne misericordiæ diffidentes grauius fratricidio crimen committamus, non Iudæ proditoris immoderatam ex delicto tristitiam, ne præ nimio dolore citiùs ad laqueum, quàm ad petendam veniam curramus. Is enim quem commissi pœnitet, mœrore quidem se afficere debet, quia peccauit; sed à spe veniæ nunquam decidere, quia clementissimus est cui peccauit. Quem igitur in pœnitendo sequi nobis expediet? Sequamur Sanctos, quorum exempla proposuimus. Imitemur prodigum filium, vt cum quo in regionem secessimus vitiorum, bona animi consumpsimus, porcos pauimus, immunditiæ seruientes; cum eodem ad indulgentissimum patrem reuertamur, & ante ipsum humi prostrati dicamus: Pater, peccaui-

Filius prodigus.

Luce 15.

Digitized by Google

cauimus in cælo & coram te: iam non sumus digni vocari filij tui. Tunc ille adhuc aduentantibus occurret, & cùm propiùs accesserimus, amplexabitur, & cùm rogauerimus, osculo pacis excipiet, pristinæ innocentiæ stolam nobis offeret, anulum fidei in manibus, calceamenta Euangelij in pedibus dabit, vitulum etiam saginatum apponet, cuius Caro verè est cibus, & Sanguis verè est potus, cuius pastu viuitur in æternum. Tunc demum Sanctis omnibus ad celebre conuersionis nostræ conuiuium conuocatis dicet: Manducemus & epulemur, quia hi filij mei mortui erant, & reuixerunt; perierant, & inuenti sunt. Postremò & præcinget se, & iam in illo cælesti ineffabili incomparabilique diuersorio faciet nos discumbere, & transiens ministrabit nobis incorruptionem, immortalitatem, lætitiam sempiternam. *Ioan. 6.* *Luc. 15.* *Luc. 12.*

ILLVD interea nobis erit præcauendum, ne postquam misericorditer suscepti, clementem ac pium Dominum oblatis pœnitentiæ muneribus adorauerimus, redire velimus ad Herodem, neue relicta AEgypto, Angelorum iam cibum comedentes, rursus ollas AEgyptias concupiscamus, & iure de nobis prouerbium illud ventiletur: Canis reuersus ad vomitum suum, & sus in volutabro luti. Tu ergo qui templum Dei factus es, vide quæso, ne per lapsum iterum efficiare spelunca latronum. Audi Dominum dicentem: Vade, & noli ampliùs peccare, ne quid deterius tibi contingat. Quanto enim sublimior gratia, tanto cadentis ruina maior. In Ecclesiastico scriptum est: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio illius? sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum ea faciens, quid proficiet humiliando se? Orationem illius quis exaudiet? Veruntamen si contigerit (quoniam natura fragiles sumus) vt iterum & iterum labamur, semper emendum erit vt surgamus. Qui citò surgunt, citò & sanantur: iacentium plaga desperabilis est. Iacent autem, qui per abrupta vitiorum præcipites ire cursu irreuocato contendunt. De quibus dicitur: Conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium. Nos ergo quoties inquinamur, *Cauēdum pœnitenti ne relabatur.* *Prou. 26.* *2. Pet. 2.* *Ioan. 8.* *Eccle. 34.* *Ierem. 1.*

Digitized by Google

toties ad pœnitentiæ nitrum recurramus: quando quidem etiam septuagies septies delinquenti venia indulgetur. Sed & si cum hæmorrhoissa peccatorum fluxu diutius contabuimus, cum illa quoque retro accedentes tangamus pœnitentiæ ac fidei manu Domini fimbriam, & remedij virtutem sentiemus. Quod si vel vndecima hora patrifamilias operam locabimus, forsan ab eo non minùs lucri, quàm qui primo manè laborare cœperunt, referemus. Nunquam sera pœnitudo est, donec pœnitendi tempus supereſt. Sed quia donec superfuturum sit nescimus, cur illam hodie agere cunctamur, cras forsitan iudicandi? Nulla profectò res est, quæ maiore cum periculo differtur, quoniam nullam aut gnauiter actam vberior sequitur fructus, aut negligenter omissam grauius damnum.

Matth. 18. Matth. 9. Luc. 8. Matth. 11.

De peccatorum Confessione. CAP. XI.

POENITENTIBVS verò confessionem peccatorum necessariam esse, cùm veriusque Instrumenti præceptis tum exemplis facilè probari potest. Inde est, quòd illi Ecclesiæ authoritate execrantur, qui saltem semel in anno non fuerint coram Sacerdote confessi peccata sua, confitendi habentes facultatem. Impius est enim, qui quicquam infectum relinquit, quod ad placandam Dei iram nouerit pertinere. Peropportunè igitur de hoc Confessionis genere sermonem facere nunc pergemus.

PRIMOS homines Adam & Euam, cùm deliquissent cibum sibi interdictum comedendo, compulit Deus confiteri peccatum suum: Adam, inquit, vbi es? hoc est, quo excidisti, quantum commisisti mali? Et ad mulierem: Quare hoc fecisti? Post confessionem, electi sunt de Paradiso, subditique laboribus, doloribus, morti. Venit deinde Christus, exoluit pro eis debitum, & reducti sunt vnde pulsi fuerant, angustijs liberati, & ex miserrimis fœlicissimi facti. Tunc ergo gratiam accipit Confessio, cùm satisfactum est pro delicto. *Genes. 3.*

Adam & Eua. Genes. 3.

HOC Sacramentum in Leuitico figuratum est, vbi lepra perfusi, arbitrio Sacerdotis dijudicantur. Qui immundi fuerint, extra castra eijciuntur, donec mundentur.

Leuit. 13.

Quia

Quia peccator, nisi per pœnitentiam & Confessionem fuerit expiatus, non admittitur in consortium Sanctorum. Itaque illi, qui ob lepram separatus est, lex datur, vt habeat vestimenta dissuta, caput opertum, os veste contectum, vtque contaminatum se ac sordidum clamet, & solus habitet extra castra; quæ omnia non nisi magnæ humiliationis signa sunt, dolorem animi luctumque præferentia. Per hanc enim purgantur peccata, lachrymisque & confessione humiliantis se deletur scelus, quod superbiendo contractum fuerat.

Delictorum autem Confessionem tùm in multis diuinæ Scripturæ locis, tum in Prophetæ Nehemiæ libro leginus, vbi dicitur, quòd filij Israel dum de captiuitate reuersi, reædificarent Ierusalem, ieiunantes & operti saccis, & terra conspersi confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorum quater in die, & quater in nocte, & adorabant Dominum Deum suum. Pœnitentiam igitur iungat Confessioni, qui de captiuitate peccati redire cupit ad pristinæ innocentiæ statum, & construere ciuitatem sanctam in cælo pretiosis lapidibus virtutum auroque puritatis. Quoniam non intrabit in ea aliquid coinquinatum. *Nehem. 3.* *Apoc. 21.*

Confitebatur & Iob, dicens: Peccaui. Quid faciam tibi, ô custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi grauis? Cur non tollis peccatum meum? & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in puluere dormiam, & si manè me quæsieris, non subsistam. Instat & vrget, vt citiùs veniam consequatur, incertus an vsque manè vita sibi supperet: certus autem, post mortem non esse veniæ locum, sed iudicio, vt quisque recipiat pro vt gessit in corpore, siue bonum, siue malum. Et si Iob, qui Dei sententia iustus habebatur, non negat se peccatorem, quis existimabit se expertem esse peccati? Aut si ille qui nihil graue commiserat, sic essagitat dimitti sibi, vt vsque manè differri periculosum arbitretur: cui periculum non erit, procrastinare opus, quo veniam ipsam promereri possit? *Iob 7.*

IDEM ait: Vias meas in conspectu eius arguam, & ipse *Iob 13.*

ipse erit Saluator meus: vt ex hoc intelligas, peccatorum Confessionem refugium esse salutis.

d QVID ipse Dauid? nónne statim post Confessionem translatum à se adulterij simul & homicidij crimen
2. Reg. 12. agnouit? Peccaui, inquit, Domino. Et continuò responsum accepit à Propheta: Dominus quoque transtulit
d. 50. peccatum tuum. Sed & rursum in Psalmis clamat: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Delictum meum cognitum tibi
Psalm. 31. feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti
Psalm. 37. impietatem peccati mei. Et iterum: Iniquitatem meam
Psal. 118. annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quòd didici iudicia iustitiæ tuæ. Vias meas annunciaui tibi, & exaudisti me. Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua. Ex his discamus Confessionis virtutem, confitentis humilitatem, cogitantis solicitudinem, ad hæc etiam pœnitentis
Psalm. 6. dolorem: Vbi ait: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Et: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Certè si iugiter considerauerimus, quanto & quali Domino peccauimus, etiam post veniam nunquam deerit nobis flendi materia, donec ille tandem benignitate lachrymas nostras penitus absterget, qua & peccatum remisit.

Ezechias rex. EZECHIAS quoque (cuius pœnitudo & innumeram
Isaiæ 38. hostium multitudinem strauit, & longiora vitæ spatia illi meruit impetrare) docet, quo mœrore delicta meditanda confitendaque sint, dum ad ipsum cui confitebatur, ait: Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. Et quid huiusce modi Confessionem sequatur ostendit subiungens: Tu autē eruisti animam meam vt non periret: proiecisti post tergū tuū omnia peccata mea.

Daniel Propheta. AD Danielem Prophetam, dum populi & patrum peccata confitetur, Gabriel Angelus aduolasse dicitur, & eidem

dem liberationem eorum de Babylonica seruitute mox futuram nunciasse. Ex quo apparet, humiliter confitenti prestò esse Angelorum ministeria, & eundem his internuntijs Deo reconciliari, & de peccati iugo ad innocentiæ libertatem reuocari. *Dan. 9.*

CONFITEBANTVR igitur fideles Israelitæ soli Deo, quoniam nullus adhuc inter Deum & homines medius erat. Postquam autem mediator venit Dominus noster Iesus Christus, non nisi per ipsum nobis ad Deum accessus est. Sicut autem ipse Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, ita cùm cœlum conscenderet, vicarios nobis in terra reliquit Sacerdotes. His ligandi soluendique potestatem tribuit, hos gregis sui Pastor bonus curam habere iussit, his denique claues regni cœlorũ dedit. Per illos ergo vitam nostrã exponamus Deo, & cùm hîc abeis remittentur nobis peccata nostra, tunc remissa credamus & in cœlo. *Israelitæ. Christus. Sacerdotes. Ioan. 20.*

PORRO ijs delicta nostra confiteri nos oportere, iam tum innuebat Saluator noster, cùm leprosis mundatis, vti se sacerdotibus ostenderent, iniunxit. Soluendi quoq; ius ad suos duntaxat vicarios, id est, ad eosdem Sacerdotes pertinere, iam tum significabat, cùm eis vt Lazarum institis & sudario ligatum soluerent, & abire finerent, mandauit, cumque asinam & pullum funiceis vinculis liberare, atque ad se adducere eis præcepit, signis ostendens quod autoritate firmabat. *Christus. Lucæ 17. Ioan. 11. Matt. 21. Marc. 11. Lucæ 19.*

POST hæc sanè & Iacobus Apostolus non ad alios quam ad Sacerdotes nos mittit, dicens: Infirmatur quis in vobis: inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. Ac ne tantum de infirmitate corporis curanda dictum putemus, adiungit: & si in peccatis sit remittentur ei, statimq; infert: Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Itaque & Presbyteros inducere, & peccata confiteri iubet, ne sufficere arbitreris, aut intra te confiteri Deo, aut alteri quàm Presbytero confiteri. Alioquin frustra claues datæ essent Ecclesiæ, si *Iacobus Apostol. Iacob. 5. Nota.*

siæ si sine illis pateret aditus regni cœlorum. Frustra ad solos Discipulos dictum fuisset: Quorũ remiseritis peccata remittentur eis: si & alij quam Sacerdotes confitentium peccata possent remittere. Hinc illud emanauit Ecclesiæ institutum, vt vtriusque sexus fideles proprio Sacerdoti saltem semel in anno confiteantur, & ab eo iniũctum pœnitentiæ laborem perficiant. Hoc vt lubentiùs accuratiùsque exequamur, nostrorum exempla Sanctorũ perquiramus.

Philiber. Abbas. LANGVENTI Monacho, qui iam fari nequibat, Philibertus Rothomagensis Abbas Deum precatus linguam expetiuit, ob hoc solùm ne sine Confessione decederet. Vbi enim confessus est, illicò expirauit. Satis esset in tali necessitate intimus peccatorum dolor, & ipsa cordis cõtritio. Sed sanctus Abbas nescius, an ille conuenienter doleret, à confitente discere voluit, vt pro eius salute cõfidentiùs oraret, simulque ostenderet, quàm necessaria sit Confessio his qui loqui possunt, quãdoquidem & pro muto elaborandum est, vt confitendi causa loquantur. *Sur. Tom. 4.*

Seuerus Presbyter NON solùm muto vocem, verum etiam mortuo vitã aliquãdò restitutam hac de causa fuisse legimus. Seuerus enim Sacerdos (vt in beati Pontificis Gregorij Dialogo relatum est) vocatus ad cuiusdam ægrotantis Confessionem audiendam, cùm paulò tardius veniret, vita defunctum offendit, eaque vehementer angi afflictarique cœpit, se illius interfectorem, se homicidam clamitans. Et dum in his lamẽtis cadaueri incumbens acerrimè fleret, reuixit qui iacebat mortuus, dixitque se, dum ab impijs spiritibus ad horrenda tenebrarum loca raptim traheretur, ab Angelo protinùs dimitti, atque corpori restitui iussum, quòd diceret Deum id Seueri lachrymis indulsisse. Igitur vbi confessus est, peracta septem dierum pœnitentia, iterum obijt, corporis vinculis pariter peccatorumque absolutus. Caueat ergo Sacerdos horam terere cunctando, quoties ad tam necessarium opus accersitur, ne si Seueri fletum imitari nequiuerit, reatum subire cogatur mortui, non confessi. Caueat & æger differre Confessio-

Digitized by Google

fessionem, ne confitendi mora peccandi pertinaciæ impulcetur. Sicuti isti imputata fuisset ad perpetuum supplicium, nisi aliena ei merita peropportunè succurrissent. Hinc est illud in Ecclesiastico præceptum: Confiteberis vivès, vivus & sanus confiteberis, & laudabis Deum: & gloriaberis in miserationibus eius. *Greg. Dial. lib. 2. c. 12.* *Eccl. 17.*

CAVEAT præterea Sacerdos, ne qua nimis acerba increpatione conturbet confitentem, & vulnus, quod leni fotu curandum est, duriùs contrectans exasperet ac suppurare cogat, ne fortè & ipsi contingat, quod contigisse senì cuidam in AEgypto refert Ioannes Cassianus. Qui Monachum adolescentem cum in Confessione audisset, libidinis incentiuis identidem vrgeri, immoderata reprehensione propè ad desperationem compulit, indignũ Monachi nomine contestans, cuius pectus impudicis cogitationibus patère potuerit. Sed mox ipse iusto Dei iudicio eadem tentatione tàm vehementer inquietari cœpit, vt & hic senex, sicut & ille iuuenis, iam ad seculũ redire secum in animo versaret. Cæterùm sapientia ac sanctitate præditus Apollo Abbas, iuuenem vultu demissum cernens, cùm tristitiæ causam didicisset, blanditer consolatus est, docens non esse malum fœda cogitatione impugnari sed vinci; nam se quoq; idem sæpè passum, Deo tamen adiuuante nunquam succubuisse. Deinde senẽ, iam relicto in quo ætatem egerat tugurio, vagum profugumque ad se aduocans, vt rediret admonuit, & iam suam expertus imbecillitatẽ, alienæ misereri disceret, nõ irasci. Post hæc pro illo precatus, tentationẽ oratione abegit. Improuidus igitur istæ confessionis auditor, nonne & se confitentẽ perditũ esset? Nonne cæcus cæcum ducens ambo in foueã corruissent, nisi Apollo, Domini miserantis nutu, manum suam vtrique supposuisset? Sapienter itaq; ab Apostolo præceptum est: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis Legem Christi. *Cassian. Coll. cap. 13.* *Quidam senior.* *Galat. 6.*

QVANTA verò sanctæ Confessionis virtus sit, etiam *Vide Abb.* inde

inde disci potest, quòd Vgoni Boneuallēsi Abbati quidā ex fratribus post mortem apparuisse ferunt, & mox vt peccatum confessus est, pœnis, quibus afficiebatur, liberatum dixisse. Hanc autem confitendi faculeatem idcirco sibi reseruatam, quoniam absente Abbate decesserat, deliberatum habens illi confiteri cū redisset. Etenim fratrum absolutio, ex monastico instituto, ad solum Abbatem spectabat. Expedit igitur etiam cùm abest cui cōfitendum sit, confitendi semper habere propositum. Pro confesso erit, qui quamuis copiam confitendi nōn habeat, non habuerit voluntatem.

Serapion Abbas. ILLO quoque exemplo vis patuit Confessionis, quod in collationibus Cassiani proditum est de Serapione Abbate. Hic iuuenculus adhuc sub Theona Præposito, edacitatis morbo tentatus, post Nonæ refectionem, praximacium furto sublatum, vesperi latenter comedere cōsueuerat. Sed tandem conscientiæ stimulo agitatus, coram Abbate prosternitur, peccatum confitetur, & cum pœnitentiæ mœrore veniam exposcit. Vix dum verba finierat, & flamma de sinu eius, in quo praximacia recondere solitus erat, promicans, intolerabili fœtore cellam, in qua erant, repleuit. Ille nunquam postea tali edendi auiditate se pulsatum sensit. Vincebatur quamdiu occultum tenuit facinus, portò vbi confessus est, ita victor euasit, vt ad eandem pugnam redire vltrà necesse non fuerit. Illā quippe diaboli flammam penitus extinxit humilitas cōfitentis. *Cassian. Col. 2. cap. 11.*

Institutū Monastic. RECTE itaque quibusdam in Monasterijs præceptum constitutumque esse legimus, ne iuniores quicquidmente conceperint, pigritentur illud repente Præpositis manifestum facere, vt nihil ipsi dijudicent, nihil sibimet ipsis credant, sed semper Seniorum regantur arbitrio, Seniorum sententijs stare assuescant. Ita fiet, vt in eis neque prauæ cogitationes moram faciant, neque dubiæ errorem inducant, neque vllus vnquam aduersario superit fallendi locus.

Femina. NE verò nihil de feminis dixisse arguamur, tametsi omnia ferè quæ ad virtutem spectant, vtriquè sexui communia

munia fiat, vnum tamen earum exemplum promam. Ferunt mulierem quãdam peccata sua in volumine descripta, Basilio Magno porrexisse,, supplicantem vti pro eorum remissione Deum deprecaretur. Orauit ille, & omnia deleta apparuêre præter vnum cæteris grauius. Cuius causa dum ad Effren Eremitam missa mulier nihil profecisset, inde rediens, Basilium iam diem suum obijsse comperit, fleuitque vbertim; mox chartam illam super iacentis pectus deponens, cùm tandem sustulisset, id quoque in ea quod residuum erat, abolitum deprehendit. Hinc nosse licet, quantum profit confitenti bonum ac sanctum habere auditorem, cuius merita sibi ad veniam facilius pleniusque assequendam suffragare possint.

Arreptitij.

QVOD verò (vt dictum est) per sacram Confessionem abolitio fiat peccatorum, etiam quotidianis experimentis discimus. In ijs vtique, qui malignis arrepti spiritibus quandoque occulta aliorum facinora manifestant, ea palam obijcientes, quæ illi, quibus obiecta sunt, mox vt cõfessi Sacerdoti fuerint, & ad eum qui arreptus est reuersi, nihil vltrà quod sibi exprobrandum sit audiuit. Quinimo ipse in homine loquens, affirmare solet dæmon, nequaquam esse eos illos qui paulo antè fuerant, sed alios omnino. Tanta ergò res est Confessio, vt diabolo statim os obstruat, ne hominem accusare possit, quem priùs in multis damnare ausus fuerat.

Exhortatio ad cõfitendum.

ET cùm hoc ita sit, quis adeò impudẽs est, vt in ijs quæ foeda atque turpia sunt, diabolo prodente deprehendi mauult, quàm ea secreto vni homini confitendo antè delere? Aut quis econtrario tam verecundus, vel potiùs tam vecors est, vt illud Sacerdoti dicere erubescat, quod in conspectu Maiestatis diuinæ (cui omnia aperta sunt) facere non erubuit? Pudere quidem debet peccatorem, sed eatenus vt & peccasse confundatur, & nihil subtrahat in Confessione, cùm scriptum sit: Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. Altera quippè crimen suum quantum potest celat, nec ta-

Eccli. 4.

men

men ab eo discedit: altera verò detegit cui oporteat reuelat,& confitendo pœnitendoque diluit, atque iterum
Prou. 28. eò delabi, vbi cõfundi necesse est, cauet. Qui ergo (vt Salomon sapientiâ plenus ait) abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea,
Ibid. 10. misericordiam consequetur. Idem dicit: Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. Et Ioannes Apostolus, cui futurorum arcana spiritalibus oculis licet
1. Ioan. 1. intueri: Si confiteamur, inquit, peccata nostra, fidelis est & iustus vt remittat nobis. Quid autem opus est celare hominem, quod nõ latet Deum? Quòd si ea quæ malè nequiterque egisti, vni nunc Sacerdoti absconderis, postea certè in die Iudicij toti publicabuntur mundo, amicis, inimicis, viris, mulieribus, omnibus Angelis, omnibus
Luc. 12. Sanctis videnda coràm exponentur. Nihil tunc absconditum erit quod non reueletur, nihil occultum quod nõ
Luc. 2. sciatur, nisi quod antè Confessione ac pœnitudine fuerit abolitum. Pandentur ex cordibus multorum secretæ co-
Num. 3. gitationes, dicta factaque in aperto erunt, dicente Domino per Prophetam: Reuelabo pudenda tua in facie tua, sed omni etiam reuelatæ turpitudinis confusione intolerabilior sequetur vltionis pœna. Quam quidem Osee
Osee 13. Propheta puerperæ cruciatibus (vt omnium maximam) comparat, dicens: Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius, dolores parturientis venient ei: sed vehementiam expressit angoris, non diuturnitatem. Parturientis enim labor breuis est, at verò inconfessis & impœnitentibus perpetuum infinitumque supplicium paratum est.

De sacrosancta Communione.
CAP. XII.

POST Pœnitentiam Confessionemque peccatorum restat vt ad Mensam Domini accedamus, Corpori & Sanguini eius communicantes, qui est Caput nostrum, sine quo nos, qui membra sumus, viuere omninò
Ioan. 6. non possumus. Ait enim: Nisi manducaueritis Carnẽ filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitã

in vo-

in vobis. Cuius nunc Sacramenti veritatem, excellentiã, fructum exemplis astruere conabimur, quantum in nobis erit, authoritateque Scripturarum, ne cui fortè incredibile videatur, quod supra omnem naturæ vim fieri audierit, & ibi magis eius vacillet fides, vbi credentibus certior beatitudo promittitur.

DOMINVS igitur noster Iesus Christus acceptum panem & vinum benedixit, dicens: Hoc est Corpus meum, & : Hic est Sanguis meus. Non fallit ipse qui veritas est, & si multa hominibus credimus, cùm scriptum sit : Omnis homo mendax, non credimus Deo qui verax est, imò veritas ipsa? Aut non fuit illi possibile panis vinique mutare substantiam, cui possibile fuit creare cuncta? Sed panis & vini, inquies, formam permanere cerno : quomodo vis, vt aliud esse, quàm quod video, credam? Eodem profectò modo quo animal aliquod ex ære lapideve effigiatum conspicis fucatumque coloribus, & tamen non animal esse intelligis, sed æs aut lapidem, aut materiam. Rursum dices: Ista quidem animalis effigies visum possee decipere, odoratu tamen & gustu, tactu deprehenditur, non esse id quod videtur. At in Sacramento isto panis & vinum sicut oculis videntur, ita & sensibus cæteris pariter percipiuntur. Statuarius ergò in æris vel lapidis materia potuit obijcere oculis tuis animalis speciem : non poterit Christus in corpore suo panis & vini, sicuti oculis, ita & naribus, & palato, & tactui? Non vis plus Deum posse, quàm hominem : & cunctorum auctorem, quàm creaturam? Quod si ille artifex efficere potuit, vt aliud cernas, quàm quod est, non poterit artificis Dominus & plasmator omnium efficere, vt aliud etiam gustes, odoreris, tangas, quàm quod est? Si vnum ex sensibus homini subdis, subde & reliquos Deo, aut confitere inter Deum & hominẽ nihil differre, quod prorsus Deũ esse, negare est. Adhæc nónne inest hydromeli vini sapor & color, cũ mel & aqua sit, non vinum? nonne etiam vsu venit, vt quædam vel vetustate vel vitio alienum odorem imitentur, suum amittant? Aquæ cùm gelãtur, corpus nõ liquoris, sed vitri habent. Vides igitur quibusdam in rebus inter-

Matt. 26. Marc. 14. Ioan. 22. 1. Cor. 11.

Psal. 115. Veritas corporis Christi sub specie panis & vini.

Digitized by Google

interdum contingere alterius rei saporem, colorem, odorem, tactum, nec tamen ideo reris illas esse alias quam quæ sunt: & de Christi corpore dubitas, quia quæ panis & vini sunt in se conseruat, nō quæ Carnis & Sanguinis, cùm tamen Caro & Sanguis sit? Imò idem ille qui natus est de Virgine, qui pependit in cruce, qui surrexit de sepulchro, qui ad dexteram Dei sedet in cœlo? Denique noli sensibus tuis credere, qui falli decipique possunt: crede illi, qui nec falli nec fallere potest; quo nihil est verius, nihil certius, à quo vel minimum dissentire pernitiosissimus error est. Et quid mirum, si ille tibi in panis & vini

Ioan. 20. figura apparet, qui Magdalenæ in forma apparuit hortu-
Luce 24. lani, & Discipulis ad Castellum Emaus pergentibus in forma peregrini, & quidem ab ijs noluit statim agnosci; tibi verò, quoties panis & vinum à sacerdote consecrá-
Luce 22. tur, dicit: Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus. Et:
Ioan. 20. Beati qui non viderunt & crediderunt, hoc est, qui sacrá hostiam illam, quam vident, Christum Iesum esse credunt, quem non vident. Latet Diuinitas, latet Humanitas, sed vtrunque sola intuetur fides, dum de vtriusque præsentia nihil hæsitat. Credendum ergo est, & citra omnem rei ambiguitatem firmiter tenendum, panis vinique substantiam in substantiam transire Corporis & Sanguinis Christi, & hoc quidem virtute verborum Christi, quę per illos duntaxat proferuntur, quibus ipse dixit: Hoc facite in meam commemorationem: Iam tum Sacerdotes constituens, per quorum ministerium ipse nobiscum esset vsque ad consummationem seculi. Quoniam sine illo ieiuni & esurientes deficeremus in via, veluti defecerunt, quibus Manna in deserto fastidio fuit.

Quare species nō mutatur. CVR autem panis & vini neque forma neque formæ accidentia immutentur, ne scilicet manducare potareq; exhorrescas. Si enim species illas in Carnem & Sanguinem, sicuti sunt, ita versas cerneres: respueres profectò,

Num. 21. & stomachans atque auersus cum illis fortasse, qui credere noluerunt, diceres: Nauseat anima mea super cibo isto leuissimo, Ipse itaque qui mãducari potariq; voluit, sapere etiam sumentibus se ita voluit, vt omnem prorsus excu-

Digitized by Google

excusationis occasionem de medio auferret, qua dicere quis posset, sibi horrendum fuisse, ori ac dentibus admouere Corpus Christi viuum, ideoque sibi iungi communicarique noluisse. Sic igitur se nobis offerens, infirmitati nostræ prudenter cessit, & simul saluti clementer consuluit, ne cibum sumere timeremus, cuius pastu immortalitatem, incorruptionem, beatitudinemq; consequimur æternam.

Quæ miranda in Sacramento, sed credenda.

QVOMODO autem Christus & in cœlo cum Angelis, & in terra nobiscum sit, quomodo vnus in multis hostijs sicut & in vnaquaque earum, vel qua ratione fractis illis & communicatis ipse semper integer illæsusq; persemeret: quomodo etiam qui quotidie à fidelibus sumitur, non consumatur: Vel qualiter sub tam angusta forma totus sit: Vel quo pacto is qui supra cœlum est, illicò vt dicta fuerint consecrationis verba, in altari adsit: mirari potiùs, quam scrutari licet. Sed quanquam diuina humanis intuibilia q; visibilibus nequeant comparari, quæramus tamen aliquas rerum similitudines, quo magis credibilia videantur quæ veriora sunt, quàm vt de illis quicquam dubitare fas sit.

Quòd & in cœlo & in altari sit.

SIC igitur in cœlo simul & in Altari est Christus, quemadmodum radij Solis, cùm oritur, in Oriente pariter & in Occidente apparent; nec tamen lux illa substantia Solis est, cùm in sacrificio Altaris in eadem substatia Christi sit, quæ in cœlo est.

VNVS quoque Christus in plurimis hostijs est, nec minus in vna quàm in omnibus, nec plus in omnibus quàm in singulis, sicuti eadem vox & in ore sermocinantis, & in omnium auscultantium auribus est: aures multæ, vox vna. Auris tamen alia magis alia minus vocis capax est, vtraque autem Sacramẽti species æquè capax Christi est. Quem quidem haud ineptè Solis luci atque loquẽtis voci comparauimus, quia ipse & Sol iustitiæ, & lux mundi, & verbum Patris est.

Quòd fracta species nõ frangatur

PRAETEREA fractio illa manducatioque in specie panis & vini, non in substantia Christi fit, quæ diuidi separariq; non potest, veluti fracto speculo non frangi-

tur Corp⁹. tur, intuentis imago, sed etiam cuique fragmento eadem imago, quæ speculo integro inerat, inest. Attamen in Sacramento non imago Christi est, sed substantia eius: imago autem panis & vini est, quamuis ipse Christus imago Dei inuisibilis sit.

Quod sæpe sumptã nõ cõsumatur

QVOTIDIE enim à nobis sumptus non consumitur, sicut nec amor erga me tuus idcirco minuetur, si alijs quoque quamuis multis communicatus fuerit. Potest quidem omnibus impertiri, & semper apud te integer permanere. Sicut etiam lucernæ vnius lumen nõ ob hoc minus fulgoris habebit, cùm ab ea plurimæ aliæ accensæ fuerint. Et si ijs rebus nihil infertur detrimenti ex communicatione, multò minus Christo, qui & verus amor est, diligens electos suos vsque in finem, & lucerna semper lucens omnibus qui in domo sunt.

Ioan 13. Matth. 5.

Quòd sub modica specie tot⁹ Christ⁹ sit.

TOTVS autem Christus sub tam exigua latet specie, quemadmodum intra pupillam oculi oppidum aliquod videtur, vel mons. Repræsentatio tamen ibi est sicut in speculo, non veritas: in Sacramento autem tota substantiæ Christi magnitudo est, quam non loci spatio metimur, sed vi naturæ. Ac ne fortè ideo spatium illud quo hostia circunscribitur, vacuum putes, sua specie plenum est: species in loco, substantia in natura est.

Quod sine mora è cælo ad Altare adsit.

E cœlo quoque ad Altare, id est, ad terram vsque delabendo, moram non sustinet, sicut nec oculi nostri acies cælum & sidera suspiciendo, cùm hæc à nobis tam distẽt procul. Verum obtutus noster non ita perfectè absolutéque longinqua, vt proxima, cernit: Deo autem omnia pariter proxima sunt, pariter præsentia, neque locorum intercapedine præpediri, neque temporis puncto retineri potest, quin statim ibi sit vbi vult, & quali forma videri voluerit, tali repentè appareat: denique omnia potest, per quem facta sunt omnia.

Quod dicẽdo omnia nõ possint explicari.

NOS profectò (vt in Ecclesiastico scriptum est) multa dicimus & deficimus, nequaquam valẽtes explicare sermone quod fide tenemus. Igitur quoniam ibidem præcipitur, ne laboretis, non enim comprehendetis: imitemur turbam illam quam pauit Dominus, vt quod capere possumus

simus capiamus, reliquias dimittentes in cophinos eorũ recondendas, quibus datum est nosse Mysterium Dei: sed tamen cum illis pariter credentes, vt pariter cum illis saluemur. Quam quidem fidem, vt nobis magis certam probatamque redderet Dominus noster, signis manifestissimis interdum dignatus est roborare, ne credere dubitemus etiam illud, quod intellectu non percipimus.

Miraculũ Viterbij.

VITERBII (quod oppidum Piceni est) Sacerdos quidam dum Missam celebraret, hosti am sacram sumpturus dubitauit, essetne illa vera Caro Saluatoris, & cùm de more manibus confregisset, cruor inde manare cepit, ita vt album panniculum, quod Corporale appellant, sibi subiectum magna ex parte inficeret, frustraque tentatum est maculam illam elui aquis. Atque ob miraculi fidem, pannus ipse in sacrario Viterbinæ Ecclesiæ adhuc seruari dicitur. Eam potissimè ob rem, quartus Vrbanus Pontifex (cùm forte ibi adesset) diem Corporis Christi festũ constituit, qui peractis Pentecostes officijs Feria quinta proxima solennis est. Pontificis maximi testimonio credat, annuæque celebritati ab eo indictæ, quisquis vel miraculo non interfuit, vel pannum sancto Sanguine perfusum non vidit. *In vitis Pontificum.*

Edwardus rex.

EDVARDO Anglorum regi sanctitate magis quàm regno celebri, dum Missali sacrificio interfuisset, in manibus sacrificantis presbyteri Christum ea corporis forma, quam de Virgine matre sumpsit, ferunt apparuisse. Non quòd sanctus rex quicquam de veritate Sacramenti ambigeret, sed vt ambigentibus ipse (cuius verbis habebatur fides) visa prædicaret. Eo attestante crediderunt, quibus veritatem persuadere ratio nequiuerat. *Osberti Sur. Tom. 1.*

Gregorius Pontifex.

IN beati quoque Pontificis Gregorij vita legimus, cũ Corpus dominicum cuidam feminæ sumendum offerret, quæ panes ipsos quos ille consecrabat, facere consueuerat, incredula renuebat accipere, quod diceret, nequaquam esse illud Corpus Domini, sed panẽ quem ipsa suis manibus formauerat, ipsa coxerat. Tunc Pontifex ægrè

ferens infidelitatem mulieris, orauit Dominum, & panis ſpecies verſa eſt in ſpeciem carnis. Rurſum orauit, atque vbi priſtina Sacramento facies redijt, credenti iam ac pœnitenti illi obtulit. Experimento credidit mulier, quod ſi absque eo credidiſſet, multò maius fidei ſibi meritum acceſſiſſet. Beati enim qui non viderunt, & crediderunt. *Ioan. 20.* *In vita Greg lib. 2. cap. 42.*

Stephan. Presbyter

STEPHANVS Presbiter Conſtantinopolitanus, caput feminæ Hoſtia ſacra contingens, ab ea dæmonem, à quo vexabatur, expulit. Quæ liberata, dixit, ſibi tunc viſum fuiſſe, quòd ille puerum nudum ac viuum vertici ſuo imponeret ſuo. Dubitari poſſet ne commentum confinxerint, ſi ſecuta ſanitas non faceret fidem. Panem quippè malignus ille ſpiritus minimè timuiſſet, ſed ipſum ferre nequiuit, qui panis figuram nobis præfert. Puer ergo terruit dæmonem & fugauit, vt ſi feminæ verbis non credimus, operibus Chriſti credamus. *Niceph. rerum Rom lib 22.*

Maria de Oegnies.

MARIAE etiam cognomento de Oegnies eundem pueri figura viſum perhibent, dum Sacerdos inter ſacrificandum de more manus ſuſtuliſſet. In quo hoc quoque mirum & ineffabile, quomodo eodem tempore, in eodē corpore alij aliam effigiē viderint, illa pueri, alij panis: illa quod erat, alij quod eſſe videtur, & nō eſſe creditur. Cur autem ita ei, niſi ad ſubmouendum ſcrupulum dubietatis, non ab ipſius mente quæ ſancta & fidelis erat, ſed illorum qui dubitaſſent, ſi tantę opinionis mulierem mentiri poſſe arbitarentur? At quare non cæteris, ſicut & ipſi vni, puer apparuerit? vt ſcilicet credentes quod non vident, videre mereantur quod credunt. *Iacob. de vitr. Sur. Tom. 3.*

SATIS hæc de veritate Sacramenti, nunc eius excellētiam dignitatemque tractemus.

De excellentia Sacramenti.

INDE primum tanti Myſterij panditur magnitudo, vbi in veteri Inſtrumento figuræ eius præceſſerunt, & ſi inſignis nobilitas inerit figuris, quanto maior ineſt veritati? In typum ergo huius prima libatio fuit panis & vini. Et ne vulgare Sacrificium putes, qui libabat, & rex *en. 14.* erat, & Sacerdos, & quidem talis, vt Sacerdotium ſignificaret

carat Christi, cui per Prophetam dictum est: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Psal. 106.*

AGNVS quoque filijs Israel immolari iussus, cùm de seruitute Pharaonis liberati sunt, prænuntiabat Sacramentum istud, quo nos à seruitute diaboli liberamur vniti Deo. Si ad agnum respicis, absque macula est: Si ad diem quo immolabatur, celebritatem nullam apud Hebræos maiorem Phase inuenies. *Exod. 12.*

HOSTIA etiam illa quæ in Lege offerebatur pro peccato, quæ sanctificabat quicquid tetigisset, quæ Sancta sãctorum dicebatur, cuius sanguis inferebatur in tabernaculum testimonij ad expiandum in Sanctuario, nonne per omnia innuebat hostiam hanc, quæ pro peccato in ara Crucis offerenda erat, quæ verè Sancta sanctorum est, cuius carnem manducantes sanctificamur, cuius sanguinem potantes mundamur. *Leuit. 7.*

ET de hostia pacificorum scriptum est: Qui fuerit mũdus, vescetur ex ea: anima polluta, quæ ederit de carnib⁹ hostiæ pacificorum quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. De hac autem, quæ de cœlo descendens pacem attulit terræ, concilians ima summis, per Apostolũ dicitur: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui .n. manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. *Ibidem.* *1. Cor. 11.*

MANNA etiam illud, quo populus Israel vixit in deserto, figurabat cibum hunc, quo nos in seculi huius deserto sustentamur. Alioqui fragiles & imbecilli deficeremus in via, neque diabolo resistere neque concupiscẽtijs repugnare possemus. Et tamen ad illos dicitur, Patres vestri manducauerunt Manna, & mortui sunt. Qui verò comederit panem hunc, viuet in æternum, vt scias quantò figuræ præcellat veritas. *Exod. 16.* *Ioan. 6.*

MVLTÒ ergo validior est panis iste pane illo subcineritio, qui in manu Gedeonis ducis euertit castra Madiã. Multò sanctior illo, quẽ ipsi Dauid & ijs qui cũ eo erãt edere non licuit, nisi cum se mundos à mulieribus esse confessi sunt. Multò plus vigoris conferens comedenti, *Iudic. 7.* *1. Reg. 21.*

quàm ille, in cuius fortitudine ambulauit Elias xl. dieb. & totidem noctibus, vsque ad montem Dei Oreb. Multo
3. Reg. 19. 4. Reg. 4. suauior farina illa, quæ ab Elisæo in ollam missa pulueri amaritudinem vertit in dulcorem. Nullum denique sacrificium, hulla oblatio huic oblationi conferenda, quæ quidem lux est, non vmbra: veritas, non typus: & indulta in Euangelio gratiæ plenitudo, non in omnibus Legis cæremonijs suspensa futuri expectatio.

Isaiæ 25. HOC enim est illud conuiuium, de quo Isaias Propheta ait: Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. Hæc
Malac. 1. est illa oblatio, de qua Dominus ipse per Malachiam gloriatur, dicens: In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus. Hanc Zacharias quoque in spiritu cernens & admirans, bonum & pulchrum Dei appellat, di-
Zach. 9. cens: Quid bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Esto sanè: bona etiam & pulchra pro tempore fuerint legis sacrificia: nunquid tamen aliquod eorũ virgines germinare dictum sit? Vnde apparet, non terrenum, sed cœlestem esse cibum, quo aliti homines angelicam vitã viuere cœpere professentes castitatem. Etenim cibus quoq; ipse caro est de Virgine sumpta, Deoq; ita vnita, vt Deus & homo non duo sint, sed vnus Christus. Christum ergo in Altari sumimus, quo quid vnquam dici aut cogitari potest præstantius, magnificentius, sublimius?

Iuo Presbyter. IGITVR haut temerè Iuoni Presbytero Missam celebranti, dum sacram hostiam reuerenter offerret, igneus globus super verticem astitisse visus est. Quæ res tantæ admirationi fuit, vt quod ipse manibus extulerat, ijs etiã qui priùs dubitauerant, diuinũ esse appareret, adorarentque deinceps in Sacramento, non quod videret, sed quod esse crederent. Neque enim ad species illas visibiles dirigenda adoratio est, sed ad substantiam Christi, quæ sub ipsis occultatur. *Sur. Tom 3.*

Dominic. SIC nempe faciens Dominicus ille Prædicatorũ Pa-

ter,

tegendum inter sacrificandum tanti Sacramenti maiestatem secum cogitaret, nimio interdum stupore attonitus, exterius obrigescebat, interius ineffabiliter consolabatur. Quantus hic ergo & qualis est, qui contemplatione sui totum occupat hominem, & manentē in corpore, à corpore facit alienum? & nec sic profectò gloriam suam totam pandit, quam ne Angeli quidem comprehendere possunt, cùm incircumscripta atque infinita sit. *Ioan.*

Onophrij solitarium.

ET ne tam admirabilis Sacramenti homines mortales tantùm ministros esse putemus, nonnunquam etiam ab excellentiore, hoc est, spiritali creatura ministratum hominibus est. Ferunt Onophrium, in vasta AEgypti solitudine Deo seruientem, dominico quoque die illud Angelo deferēte acceptauisse, cùm Sacerdotis copiam procul ab humano cultu degens habere non posset. *In vitis PP.*

Maiorus Episc.

MAIORO etiam Episcopo in Britannia Paschali die oranti Angelum ter apparuisse, terque sacram Communionem porrexisse, prædicantem quòd propediem decessurus esset. Sed qui tali vsus est ministro, tantoq; donatus viatico ad vitæ finem gratanter cucurrit, vt vitam, quæ finem non habet, inchoaret.

Marcus Scriptor.

MARCVS quoque Scriptor apud AEgyptios, ita cognominatus, quoniam curæ illi fuit Anachoretarum AEgyti vitas describere, cùm aliquando genibus prouolutus Eucharistiam à Sacerdote popoposcisset, apparuit manus ea sibi porrigens, nec dubitauit ille accipere, quod diuinitus offerri credidit, neque ambigitur, quin Angelus fuerit, qui præripere ausus sit officium sacerdotis, magisque incussit hominibus reuerentiæ erga se metum panis ipse Trinitatis, cùm tam mirabiliter etiam ab Angelis porrigi visus est. *In vitis PP.*

Faustinus & Iouita.

NON minori admiratione dignum, nec minùs ad huius Sacramenti spectans dignitatem illud fuit, quod in vita Faustini & Iouitæ Martyrum legimus. Hi namque cū Secundum militem Mediolani conuersum baptizassent, & communione quoque membrum Ecclesiæ facere voluissent, nec haberent panem ex quo Sacramentum cōficerent, à columba alite rostro delatum accepere, eiq; su-

mendum porrexerunt, sacrum esse minimè dubitantes, qui sic afferebatur. Quoniam autem in columbæ figura Spiritum sanctum apparere solitum Euangelia testātur, hoc ideò contigisse potuit, vt credamus, sicut credimus ibi Deum Patrem, ibi Spiritum sāctum esse, vbi Filius est, cum trium Personarum simplex vnicaque substantia separari non possit. Quem ergo honorem toti Trinitati exhibendum censes, huic vni Sacramento deferre ne dubites, non visibilem eius figuram tantummodò oculis attendens, sed sub visibili figura inuisibilem veritatem alta mente contemplans. *Ado. Sur. Tom. 1.*

Honor Episcopus. Eiusmodi autem honor quāti meriti sit, Honorati Ambianensis Episcopi exemplo disci potest, qui Missam celebrans, cùm ante se in altari sacram hostiam attentiùs considerasset, iam sumere volens, manibus contingere hæsitabat. Itaque depictæ ibi imaginis Christi manu sublatam, sibique porrectam hausit, sumere non recusans quod diuinitus dabatur, & certè dignus fuit à Christo cōmunicari, qui se tactu etiam eius indignum iudicauit. Non negamus, & Iudam à Christo communicatum. Sed quia irreuerenter simul & impiè accesserat, post buccellam diabolo ad se aditum præbuit, & vitæ auctorem inhonorans, mortis laqueo se infeliciter implicauit. *Hil. Arelat. Sur. Tom. 1.*

Tharsit. Martyr. AT non ita Tharsitius martyr Romæ passus. Qui cùm Sacramentum hoc sub veste tectum ad quendam fidelem ægrotantem ferret, in impios Gentiles fortè incidens, quid sub veste haberet quærentibus non indicauit, magisque ab his rei, quam ferebat, contemptum aliquē, quā sibi necem timuit. Itaque illi fustibus cæsum interimūt. Et cùm iam exanimis vestimenta excussissent, Sacramentum nusquam comparuit: ipsi autem lymphatico pauore conuulsi diffugerunt. Non ergo licuit sacrilegis illud polluto contactu prophanare, cuius honorem Tharsitius vitæ suæ antetulit. Illi infidelitatis errore prolapsi ad inferos corruerunt, hic armis eorum fortior, cùm martyrij palma cœlum petijt, ipsum in sua ibi specie perpetuò visur', quē hic in aliena dignè coluit. *Ingestis Steph. PP.*

Ha cte-

Digitized by Google

Hactenus de excellentia Sacramenti, reliquum est, vt aliquid de vtilitate ipsa quam ab eo haurimus, fructuque dicamus, tametsi nihil de illo pro dignitate dici queat, cùm omnia diuina humani captu ingenij maiora sint. *De vtilitate Sacramenti.*

CHRISTVS igitur panis viuus de cælo descendens, cùm ex omni parte perfectissimus sit, haud dubium quin se piè fideliterque sumentibus, & præsentis vitæ conferat perfectionem & futuræ. *Christus.*

CONFERT primùm peccatorum purgationem. Si enim (vt Apostolus inquit) sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Christi? Et certè hic ille est, quem varijs morbis affecti tangere cupiebant, quia virtus (vt Euangelista ait) inde exibat, & curabat omnes. Et si ipsi solùm tangendo curabantur, nos non curabimur sumendo? Sed qui primi sic sumpserunt, eos idem ille quem sumebant, exteriùs lauit, vt ostenderet intimas quoque eorum sordes lauisse se, & ipsos sicut corpore ita & animo puros nitidosque reddidisse, quam in illo virtutem nequaquam ignorauit, qui eum digito demonstrans, dixit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Heb. 9.* *Luce 6.* *Ioan. 1.*

CONFERT deinde spiritalis boni appetendi copiam, exercendique facultatem, vt animus noster vitijs eradicatis virtutibus exuberet. Quod Osee Propheta præuidens, inquit: Viuent tritico, & germinabunt quasi vinea, memoriale eius sicut vinum Libani. Vnde & Discipuli statim post salutare conuiuium, montem conscendunt Oliueti, iam altiora & fructuosiora petentes, quàm antè petierant. Et Zachæus quidem, cùm ipsum Dominum suo susceptisset hospitio, reddit quadruplum pro eo quod antè fraude interuerterat atque dolo, & in pauperes sua incipit effundere, qui rapuerat aliena. *Osee 14.* *Discipuli.* *Zacheus.*

Præstat quoque contra illicitas animi cupiditates resistendi robur, vt seipso fortior fit, qui cælestis cibi pabulo fuerit saginatus. Quemadmodum enim illi qui in mari fluctibus agitabantur, cùm Iesum vndas pedibus con- *Discipuli Matthæi.*

Digitized by Google

culcantem in nauicula susceperint, viderunt posuisse ventum, & turbinem procellarum versum in tranquillitatem: ita nos in pectoris nostri nauicula eundem piè susceperimus, malarum cogitationum violenti çstus cessabunt, & omnis turbatæ mentis tempestas lenietur illicò atque conquiescet. Quoniam (vt in Euangelio legimus) mari & ventis imperat, & obediunt ei.

IDEM aduersus improbissimi hostis assiduas pugnas vincendi spem viresque nobis confert ac suggerit, iuxta illud Prophetæ: Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Nihil quippe magis terrori diabolo esse potest, quàm Sacramentum istud. Et si Dauid parui lapidis ictu prosternere potuit Goliam illum magnum, Deo hominibusque infestum: profectò facilius frangetur diaboli audacia lapide isto, qui de monte absque opera manuum abscisus contriuit statuam Nabuchodonosor, & factus mons ingens orbis terræ regna occupauit: lapide, inquam, qui in capite anguli positus, vtrunque parietem vnum fecit, super quo ædificata Ecclesia, nec fluminum impetu subruitur, nec ventorum flatu concutitur: qui & super se cadentem confringit, & super quem cadit, conterit, vsque adeò nihil illo neque solidius est, neque grauius iungamur illi, & appropinquare non audebit Belial, vbi manere viderit Christum.

Psal. 22.

1. Reg. 17.

Daniel. 2.

HOC præterea præstantissimum Sacramentum discutit ignorantiæ tenebras, & altioris intelligentiæ nobis lumen infundit. Lux enim vera est illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Hominem, inquam, non mundum, quia mundus eum non cognouit, & sui eum non receperunt, dicentes: Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo. At verò illi, quorum in Emaus pergentium oculi caligabant, & Maiestatis Dominum agnoscere non poterant, nónne in ipsa panis fractione ipsum dicuntur agnouisse? & mysteria quæ ignorabant, ipso aperiente, didicisse? Et de viro iusto per hæc ipsa Sacramenta à Domino sapientiæ luce illustrando, nónne scriptum est? Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum.

Ioan. 1.

Num. 12.
Discipuli.
Luc. vlt.

Eccle. 15.

Ac

Ac ne plura enumerando nimius sim, hæc verissima Sanctorum Communio est, hoc felicissimum glutinum, quo Domino nostro copulamur, & (vt ita dicam) inserimur atque incorporamur, veluti capiti membra. Ait enim: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo. In illo manentes viuimus in æternum, quia Panis vitæ est: & qui manducat me, inquit, & ipse viuet propter me. *Ioan. 6.*

Quàm autem manducatio ista potusque nobis necessarius sit, declarat, dicens: Nisi manducaueritis Carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et nemo venit ad Patrem, nisi per me. Igitur cùm tam fructuosum sit, ardenter accedamus: cùm tam necessarium, nunquam negligamus. Cumque ipse qui & conuiuium & inuitator est, vocet nos atque hortetur, solerter obsequamur. Scit enim quo indigeamus, & quid expediat nobis. Venite, inquit, & comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Qualiter autem venire debeamus, instruit subiungens: Relinquite infantiam & venite, & ambulate per vias prudentiæ. Hoc sanè pœnitudo (de qua superiùs locuti sumus) vitæque correctio efficiet. *Ibidem.* *Prou. 9.*

Nos interea istud ipsum, quod postremò de vtilitate sacræ Communionis differuimus, diuinarum nixi testimonio Scripturarum, idoneis quoque Sanctorum exemplis more nostro confirmemus.

In Actis Apostolorum legitur de illis, qui primi ipsis euangelizantibus credidere. Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & Communicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor. Sicuti ergo quotidie cælestem panem hunc illis gustare mos fuit, ita & cælestium desiderio flagrantes, assidui factores verbi erant, non auditores tantùm, in oratione soliciti, in timore Dei humiles, in charitate feruentes, vnde sequitur: Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia cómunia. Ad tantam perfectionem quid, quæso, illos adduxerat, nisi fides Christi, & frequens Christi communicatio? Quæ postquam à posteris *Actor. 2.* *Primitiua Ecclesia.*

desita

defita est frequentari, vitæ quoque integritas languere cœpit. Panis enim, qui quotidianus fuerat, factus est annuus.

Cassius Episcopus. CASSIO Narniensi Episcopo (vt in Dialogo Gregorius testatur) quotidie hoc Sacrificium Deo offerenti Presbyter eius retulit, dicens: Per visum sibi à Domino fuisse iniunctum, vt ei diceret: Age quod agis, nec solitum opus intermitte, natalitio Apostolorum Petri & Pauli die venies ad me, recipiesque mercedem. Ille itaque anno quidem septimo, sed tamen die quo prædictum fuerat, cùm Missam celebrasset, percepta Communione vita decessit. Beatus qui per quotidianam Agni immortalis immolationem ad cœnam nuptiarum eius vocari meruit, celebritate æterna in cælo fruiturus, quia temporalem in altari nullo die intermisit. *Dialog. lib. 4. cap. 56. & Homil. 37. in Euangel.*

Liberalis. LIBERALIS Heliodori Altinensis Episcopi discipulus, hunc vitalem cibum singulis Dominicis diebus percipiens, reliquos dies absque esu potuque peregisse dicitur. In fortitudine ergo cibi huius peruenit vsque ad montem qui Christus est sublatus in cælum, cùm se de terris transferri postulasset. Quem enim sumendo assiduè cernebat per speculum & in ænigmate, ipsum iam facie ad faciem videre concupiuit.

Banon Clericus fortasse Bano. BANON quoque Gandauensis cœnobij Clericus (multa licet vitæ sanctitate præditus fuisset) cùm ægrotaret, noluit sine tam salutari viatico decedere, statimque vocari, qui illud sibi afferret, Presbyterum iussit. Is verò qui missus fuerat, viæ ignarus, ab Angelo ad Presbyterum vsque perductus est, vt iam Angelos ei quamprimum suffragari scias, qui Domino communicari expetierit. Cui Banon ipse communicatus, nunquam postea ab eo discessit, & nunquam discedet, receptus in Paradisum.

Ambrosius Episcopus. AMBROSIVS item Mediolanensis Ecclesiæ Antistes, doctrina simul & sanctitate insignis, cùm è vita decederet, & communicari Domino exoptaret, sed fari iam non posset, mox Honorato Vercellensi Presbytero Eucha-

ristiam

rissam afferente, lætus accepit. Qui Presbyter vt hoc faceret, tertia iam vice vocatum se dixit, dum dormiret, neque à quo vocaretur scire potuisse. Quid hoc est, nisi quia Christus fideles famulos suos absque se duce ad cœleste regnum transmigrare non permittit, ne viam aberrent, si ab ipso, qui veritas est, non continuò dirigantur. *Paulin. in vita Ambros.*

Hieronymus.

ET D. Hieronymus diem agens extremum, sacrum Christi Corpus dari sibi petijt. Illud verò sumpturus de lectulo humi se deponi fecit, saccoque operiri. Tunc genibus prouolutus lachrymas fudit, pectus pugno percussit, & sic sanctam oblationem hausit, gestu habituque se illa indignum contestans, illam tamen sibi necessariam hauriendo docens. *Euseb. in vit. Hieronym.*

Eadmundus Episcopus.

QVOD autem & intelligentiam pié sumentibus præstet, Eadmundus Cantuarienſis Episcopus testis est. Qui die crastino de Trinitate disputationem initurus, noctu in somnijs vidit, se Sacramentum istud accepisse, columba offerente, & cùm manè in auditorium veniſſet, præter spem magna omnium admiratione disseruit. Siquidem illi tunc spiritaliter communicauerat, qui Dei sapientia est, & Dei virtus. *Of. Sur. Tom. 1.*

Presbyter Centumcellens.

HAEC insuper immortalis & ineffabilis hostia, si in altari pro mortuis offeratur, maximo illis adiumento erit ad commissa in Purgatorij locis diluenda. Gregorius Pontifex refert, quendam Centumcellensium Presbyterorum, dum in thermis lauaretur, homini ignoto, qui tamen ipsi officiosiùs ibi inseruiret, panes aliquot referendæ gratiæ causa muneri obtulisse, illum verò noluisse accipere, quòd sibi eis non opus esse diceret vita hac iam defuncto. Se enim loci illius Dominum aliquando fuisse, & eo deinde labore expiari culpam ibi iussum. Quamobrem si sibi gratificari vellet, illos panes pro se consecratos Deo offerret. Quod cùm ille fecisset, die octauo ad Thermas reuersus homine non inuento, noxa absolutum agnouit. Ille ergo primùm poscendo, deinde non comparendo, quanto hoc sacrificium defunctis emolumento sit, patefecit. *Gregorius Dialog. lib. 4. cap. 55.*

IDEM

Digitized by Google

Gregorius PP. IDEM sanctus Pontifex tradit, dum adhuc Abbatis officio fungeretur, monacho sui monasterij, cui Iusto nomen erat, & ægrotanti, fratrum colloquio se interdixisse, & defuncto cœmiterij sepulturam, eo quòd tres aureos apud illum absconditos deprehenderat, qui omnibus communes esse debuissent: hac seueritate in languentem primò, deinde in mortuum vsus, vt sanos viuentesque ab eiusmodi vitio coerceret. Cæterùm, & saluti illius consulens, Missas triginta pro eo celebrare, Pretiosum monachum iussit. Iustus ergo trigesimo die pòst fratri suo Copioso apparens, pœnis quibus pro delicto afficiebatur, se demum absolutum dixit. Itaque idem dies & oblationum finem statuit & supplicij. *In vita Gregor. lib. 1. cap. 15.*

Quædam mulier. QVAEDAM mulier (vt apud eundem auctorem legimus) pro viro ab hostibus capto, & in vinculis coniecto, per Sacerdotem sacram Deo hostiam statutis diebus offerre consueuerat, & cum illo postliminio reuerso didicisset, dum captiuus teneretur, identidem se reuinctum comperisse, neque scire potuisse, quomodo id sibi contingere soleret, dies quibus id ei contigerit scisciтans, eosdem ipsos fuisse animaduertit, quibus oblatum fuerat Sacrificium. *Ibid. lib. 4. cap. 57.*

Agathus Episcopus. IDEM testatur, Agathum Episcopum Panormitanum, cum Romam versus nauigaret, ad Insulam quæ in Tyberis ostio est applicuisse, & Sacrificium Missale obtulisse pro nauta suo Baraca nomine, quem in scapham descendentem, dum nauis plenis velis ferretur, rupto fune in medio mari reliquerat, & fluctibus obrutum perijsse putabat. Cùm autem ad Romanum portum peruenisset, egressus in litore Baricam sibi obuium habuit, & vehementer miratus audiuit, eum dum scapham regendo, partim labore, partim inedia iam deficeret, obdormisse, & dormienti sibi visum à quodam panem accepisse, atque eo gustato se refocillatum sensisse, deinde expergefactũ nauigio iuxtà prætereunte susceptum Romamque delatum. Rem ergo curiosiùs exquirens, comperit ea ipsa die illum pane eo refectum fuisse, qua Sacrificium fuerat oblatum,

Digitized by Google

labores & Deo gratias egit, quia hic ille panis esset, de quo per Ieremiam dicitur: Inebriaui animam lassam, & omnem animam esurientem saturaui. *Dialog. lib. 4. cap. 57.* *Ierem. 31.*

Fœminarum quoque sanctarum hac in re curam studiumque indicabimus, vt ex eo simul & vtilitatem monstremus. Maria Magdalena vitam agens in deserto cœlestium spirituum societate fruebatur: & tamen cùm sibi vitæ finem imminere cognouisset, Maximinum Episcopum iussit accersiri, & percepta ab eo Communione, ad cœlum migrauit. Non fuit illi satis cum Angelis iter hoc ingredi, nisi Dominum Angelorum ducem habuisset. Sic olim ad sepulchrum eius lugens, dimissis Angelis quos viderat, illum solum quæsiuit quem lugebat, & tunc demum consolata abijt, cùm ipsum resurrexisse cognouit. *Iacob. de Vorag.* *Fœminæ. Maria Magdalena.*

PETRONILLA Virgo cupiens iam ad cæleste de terreno transferri habitaculo, ne sine viatico discederet, à Presbytero Nicomede panem Trinitatis accepit. Itaque sponso æterno copulata cælum adijt, ne frustra illum procis mortalibus præposuisse videretur, si eidem & in terris posita communicare neglexisset. *Sur. Tom. 3. & alij.* *Petronilla Virgo.*

LVCIAM Virginem nec inter flammam constrictam, nec perfosso à sacrilegis iugulo lethaliter vulneratam mori potuisse accepimus, donec sacram sibi Communionem à sacerdote oblatam sumpsisset. Tunc enim Martyrij corona cælum læta petijt, cùm eum, pro cuius amore supplicia contemserat, sibi iunxit itineris ducem. *Aloys. in Hist. SS.* *Lucia Virgo.*

SI ergo sanctis hominibus tantæ curæ fuit, ad hanc sacrosanctam Communionem etiam corpore accedere, à qua spiritu & voluntate nunquam discedebant: quantò magis nos, qui peccatores sumus, idem oportet facere? His enim magis opus remedio est, qui grauius ægrotant: hoc autem remedio à peccati morbo conualescimus, ab inquinamentis mundamur, ab errore in viam iustitiæ dirigimur; denique de morte transimus ad vitam, de tenebris ad lucem. *Exhortatio.*

IN

IN primis tamen videndum, quo animo, qua mente accedatur. Aptis ad sumendum corporibus medicina prodest, malè autem disposítis, si sumatur, exitio est. Et si Philisthini, quòd Arcam Domini captam in templo idoli Dagon posuissent, aduersa passi sunt, & Bethsamitę ab eis restitutam suscipientes, quòd parum reuerenter habuissent, penè internecione sublati: quanto deteriùs afficiendus erit, quisquis vel prætermissa quæ Deo debetur adorationis ratione, vel non absterſit priùs à se quantum potest, inuidiæ, odij, luxuriæ, cæterorumque vitiorum spurcitijs, mundissimum Domini Corpus præsumpserit accipere? In Iudam, quia malignis cogitationibus æstuans illud sumere non timuit, post buccellam Satanas introisse dicitur. Ideoque non à peccato mundatus est, sed potiùs peccatum peccato cumulauit, venditionis crimen veniæ desperatione, & cùm malè pœnitendo sibijpsi præ dolore mortem conſciuiſſet, in abyſſum corruit tormentorum.

Philisthini. *1. Reg. 5.* *Bethsamita.*

NOS ergo cum Magdalena lachrymis priùs lauemus pedes Domini, & cum Centurione clamemus: Domine non sumus digni vt intres sub tectum nostrum. Comparantesque aromata pœnitentiæ & humiliationis, exemplo sanctarum feminarum, ad vngendum illum in odore vnguentorum eius festinemus, vnctum tandem, ritu pijssimi Ioseph, syndone conſcientiæ nostræ pura mundaque inuoluamus. Et cùm sic inuolutum in monumento pectoris nostri nouo reposuerimus, Passionis eius pœnas mente recolentes, ad Resurrectionis quoque eius gloriam nos peruenturos speremus, viſuri quidem illum, non iam sub diuersarum specierum velamento, sed facie ad faciem, in eandem imaginem (vt Apostolus inquit) transformandi à claritate in claritatem, tanquam à spiritu Domini, semper cum illo futuri.

Matth. 8. *2. Cor. 3.*

LIBER

LIBER QVINTVS.

De nemine temerè iudicando. CAP. I.

SED plerique aliena nimis auidè iudicantes, ipsi errore incauto in culpam labuntur, dum vel incerta pro certis affirment: vel si certa sunt, iudicare ad eos non pertineat: vel si pertinet, occulta pro manifestis iudicent: vel etiam si manifesta sunt, quo animo fiant ignorent, & veluti malè facta persequantur. Huiuscemodi autem iudicia, quoniam temeraria sunt, à Domino prohibentur dicente: Nolite iudicare, & non iudicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Igitur hoc loco colligere exempla decreui, quibus instructi circumspectiores esse poterimus ad noxam hanc deuitandam, Deoque obediendum, ne quis, in alterum quomodo non licet sententiam proferendo, seipsum damnet. *Matth. 7.*

AARON & Maria Moysen probro iactauerant, ob vxorem eius (vt inquit Scriptura) AEthiopissam, & quæ tam audacis petulantiæ caput & causa fuerat, in lepram incidit, vt corporis morbo mentis vitium puniretur, quoniam ab homine reprehendi non debuit, quem Deus suis colloquijs suaque familiaritate dignum iudicabat. Hinc discere licet, quanti periculi sit seculo seruientibus, vt quicquam sinistrum indecensve sentiant de seruis Dei. Fit enim plerumque, vt quod illi reprehendendum iudicant, apud Deum laudabile fit. Idcirco & Apostolus clamat, dicens: Tu quis es, qui judicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit. Et ne de cadente etiam desperemus, ait: stabit autem. Potens est enim Deus statuere illum. *Aaron & Maria. Num. 12.* *Rom. 14.*

QVOD autem ad coniugatos spectat, quamdiu adul- *Mulier suspecta.*

Digitized by Google

Num 5. terij crimen latet, suspicari fortasse licet, credere non licet. Et veteri quidem lege mulieris suspectæ causam per sacrificium zelotypiæ viro discutere permissum erat, nunc nefas est accusare nisi deprehensam. Sed si deprehensam etiam lapidari vetuit Dominus, nisi ab eo qui sine peccato esset, cùm nemo sine peccato sit: vix dici potest, quàm grauiter delinquant, qui suspectam veluti deprehensam lapidant ictibus detractionis, & infamiæ dentibus lacerant fortasse innocentem. Et profectò de ijs quæ latent, qui iudicat, etiam si euenerit vt verum iudicet, mentitur, dum se scire affirmat quod nescit.

Presbyteri in Susannam. Dan. 13. QVI Susannam accusauerant, falsitatis conuicti lapidibus obruti sunt, ipsa post mortis quoque sententiam absoluta. Quisquis igitur insontem sceleris alicuius insimulauerit, ab ipso iudice, quem nihil omnino latere potest, tantidem condemnabitur, quanti damnari accusatus debuit, si deliquisset. Vnde mendacem testem talione punit Lex, vt quantum pœnæ quis in proximum praua delatione molitus fuerit, tantum pro impietate ferat. Non misereberis ei, inquit, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

Deut. 19.

Ibidem. AC ne facilè delatoribus credamus, aut rumoribus incertis ad iudicandum compellamur, diuina sancitum est Lege: Non stabit testis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit, sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Contra Dei ergo Legem agit, qui contra aliquem vnius tantùm verbi fidem adhibet.

Filij Israel. Iosue 22. SED manifestum quoque aliorum opus, quod ita bono vt malo animo agi potest, qualiter accipiendum sit, sequenti exemplo satis patebit. Diuisa promissionis terra, victisque hostibus Iosue duce, & iam militiæ missione accepta, Tribus Ruben & Gad, & dimidia Tribus Manasse de Silo, vbi tabernaculum fixerant, ad Galaad possessionem suam, quæ vltra Iordanem erat, reuertentes in ripa fluminis citeriore altare construxerunt, ob hoc duntaxat, vt posteris fidem facerent, se commeandi ius habere ad

re ad offerendum in Silo, nequando separati à reliquis Tribubus sicuti possessione ita & religione viderentur. At verò cæteri filij Israel rati illud ad sacrificandum dijs alienis ædificatum, Dei sui iniuriam armis vlciſci parant. Mox vbi missa legatione ponendi altaris causam didicissent, probare factum cœperunt, quod incusauerant, & quos morte dignos iudicabant, laudibus extulerunt. Quòd si fem paulo accuratiùs non inquisissent, falsa decepti opinione, pios pro impijs trucidassent, & non leuius crimen foret inconsultum iudicium, quàm ipsa, cui infensi erant, diuinæ legis præuaricatio. Itaque semper magnopere cauendum est, ne quid in alijs continuò detestandum putemus, quod sub specie aliqua mali & bonum esse queat, ne propheticum illud in nos retorqueri possit: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponêtes amarũ in dulce, & dulce in amarum. Semper quidem tutius est, honesta potiùs quàm turpia de ambiguis coniectari. *Ioſ.22.* *Iſa.5.*

QVOD cum quidam terræ Hus habitatores minùs obseruarent, simplicem illum & rectum, Deoque probatum virum Iob, eo quòd calamitatibus opertus fuerat, iudicarunt iniustum. Ipsi Dominus inter aduersa patientiæ meritum exaggerat: sed falsi rerum existimatores, non habentes in quo eum manifestò arguant, occulti criminis reum putant, quia in miserijs vident, digni illi talia ob culpam perpeti, qui talia passum vanissimo argumento delictis obnoxium censuerunt. Ex vitæ moribus, non ex casuum angustijs, qualis quisque sit iudicari debet, iuxta Euangelicum illud: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. *Iob 4.* *Matth.7.*

SED etiam illud inter temerarias iudicationes ponendum, quòd Annam Elcanæ coniugem, Domino in Silo ardentiùs deuotiusque supplicantem, cùm considerasset Heli Sacerdos, temulentam putarit. Vsquequo ebria eris inquit: digere paulisper vinum quo mades. At ipsa à Domino exaudita, sterilitatis opprobrium fœcunditate deleuit. Exteriorem corporis gestum notauit Heli, & ebrietatis obiecit vitium; sed Deus intima respexit cor- *Heli Sacerdos.* *1. Reg. 1.*

Digitized by Google

dis, & compotem voti fecit. Sic eum sæpe falli necesse est, qui ex facie hominis animi occulta iudicat. Et quia solius Dei est nosse mortalium cogitationes, qui quis eas in altero coniecturis explicat, Dei iudicium sibi vsurpat. Dumque in dubijs malè de proximo sentit, charitatem offendit. Quod vt solicitiùs declinemus, meminerimus à
Ioan. 7. Domino præceptum esse: Nolite iudicare secundùm faciem, sed rectum iudicium iudicate.

Hanon rex. Inconsulti quippe iudicij iustissimas pœnas dedit Ammonitarum rex Hanon, qui Dauid regis legatis ad se de
2. Reg. 10 obitu patris sui consolandum missis, obiecto quòd terram suam exploratum venissent, partem barbæ abradi fecit, vestesque ad nates vsque succidi, & hac ignominia affectos abire iussit, quos quidem honore prosequi debue-
1. Par. 19. rat, si Dauid erga se animum, ita vt erat, pensasset. Peruersa igitur de amico suspicione in suam abreptus perniciem pro barbis rasis capitis diadema amisit, pro succisis vestibus regnum. Hinc quoque patet, quantæ stultitiæ sit, eius amorē despicere, cuius odio pares esse nō possumus.

Michol. Peruersum autem iudicium & in Michol vxore Dauid diuina vltione punitum est. Cùm enim regem ephod li-
2. Reg. 6. neo accinctum, & præ gaudio subsilientem coram Arca Domini vidisset, despexit atque contempsit, leuitati adscribens, quod humilitatis erat & magnæ in Deum pietatis. Ille ergo quantum se humiliauerat, tantùm gloriæ adeptus est. Ipsa verò perpetuæ sterilitatis contumeliam tulit, vt se eius coniugio indignam agnosceret, quem scurris comparandum existimauit. *2. Reg. 6.*

Salomon rex. Videant & ipsi Iudices quali examine illos, quibus præsunt, iudicare debeant. Si enim rex Salomon, Deo of-
3. Reg. 3. ferente quicquid petijsset, nihil sibi magis necessarium duxit, quam in decernendo sapientiam: Dabis seruo tuo, inquit, cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum, quis adeò sibi confidit, vt in iudicando errare non formidet? Qui quidem error nisi grauissimus esset, non pro eo vitando Salomon magis solicitus fuisset, quàm pro vitæ spatio protelando, pro diuitijs cumulandis, pro inimicis domandis, imperioque

rioque propagando. Et quoniam his rebus iuris dicendi scientiam prætulit, plus etiam quàm postularat accepit: Sapientis vtique opinionis præmium referens, opes & gloriam. 3. *Reg.* 3.

AT Assuerus Persarum rex, malignis inuidi Aman delationibus plus æquo credulus, Iudæos qui in regno suo erant, veluti pacis turbatores, edicto omnes perdere iusserat. Mox innocentia eorum cognita, sententiam vertit in accusatorem. Quos autem neci tam addixerat, honore affecit. Laudabiliùs egisset, si non præcipitasset iudicium. Sed neque in eo laude sua fraudandus, quòd iniustè decretum, iustè reuocare non tardarit, in illum animaduertens, cuius suggestione deceptus fuerat, tam æquus iniqui hominis vltor factus, quàm sæuus fuisset innocentum interemptor, si antè dictam internecioni diem id quod erat non resciuisset. Quàm itaque rectè Iob: Causam, inquit, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. *Assuerus rex. Esther 3. & 8.* *Iob 19.*

SVNT qui suis de rebus alios consulunt, sed cùm sibi rectè consultum est, contemnunt, quosque antè amauerant, odisse incipiunt, si illos quicquam secum dissentire animaduertunt, eorum iudices facti, quorum iudicijs vsuri videbantur. Horum peruersitatem secuti Iohanan Careæ filius & qui cum illo erant, cùm post Babylonicam captiuitatem in terra Chanaan iuxta Bethlehem resedissent, & Chaldæos timentes, quò fugam vertere sibi expediret, Ieremiam Prophetam consuluissent, illeque Deo reuelante ibi tutò mansuros dixisset, & si ad AEgyptum (vt parabant) transfugerent, perituros: malè de Propheta suspicati sunt. Et mendacium loqueris, inquiunt: non misit te Dominus, sed Baruch Neriæ filius, vt tradat nos in manus Chaldæorum. Transeuntes ergo in AEgyptum, vbi se putabant tutiores, ibi crudiùs à Chaldæis oppressi sunt, & qui mendacem Prophetam iudicauerant, sibi magis quàm illi credentes, in interitus sui foueam corruerunt. Quòd nos defugientes, fidelium ac prouidorum consultorum monitis discamus acquiescere, non ea temere dijudicare. Salomonis quoque sententia est: Audi consilium, *Iohanan. Ierem. 42 Ibid. 43. Prou. 19.*

Digitized by Google

& suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis.

Iulai. NVNC Euangelicæ institutionis exempla, quæ ad propositum quicquam spectare videbuntur, colligemus. Dominus noster Iesus Christus Iudæorum in iudicando malitiam arguens: Venit, inquit, Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus Publicanorum & peccatorum. Tales sunt qui de omnibus malè sentiunt, & quicquid egeris, vitio vertunt. Humilem appellant hypocritam: simplicem, fatuum: ieiunantem, phreneticum: non ieiunantem, gulosum: delinquentes corripientem, durum & asperum: quieti studentem, desidem & ignauum. Nullum denique bonum agitur, quod hi malignis peruersisque suggillationibus denigrare non contendant. Propterea meritò *Psal. 30.* sanè de illis dicitur: Erubescant impij & deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa. Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem, in superbia & abusione.

Luce 7.

Simon Pharis. Luce 7. SIMONEM quoque Pharisæum Saluator, apud quem discubuerat, falsæ existimationis conuincit. Putauerat ille, non esse Prophetam qui se à peccatrice muliere tangi permitteret. At misericors Dominus hospitem suum ab errore volens reuocare, & secretas eius cogitationes arguendo in medium protulit, & mulieri peccata palàm dimisit: Vt se non solùm Prophetam, sed etiam Deum probaret. Peccatricem denique illi prætulit, humilitatis officijs, dilectionis signis, fidei argumentis. Caueat igitur peccator peccatorem contemnere, ne dum alium accusat, ipse accusabilior appareat, sed potiùs peccatricis hujus more humilior; vt dum ipse ab alijs reprehenditur, à Domino defendi mereatur.

Iudas Iscariotes Matt. 26. Marc. 14. SED quorundam iudicium sub honestatis velamento malignitate plenum est, Iudas Iscariotes vnguentum, quo perfunditur Dominus, perditionem vocat. Vt quid perditio hæc facta est? inquit: Poterat vnguentum istud venundari plus quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus. Officiosæ erga Iesum veneration[i] callidè obtrectat,

præ-

Digitized by Google

prætendens in egenos pietatem, non quòd egenis ipse misereri solerat. Quomodo enim in pauperes pius esse poterat, qui in Dominum suum tam impius fuit? Proh indignum facinus! eleemosynam commendat, qui sacrilegium facit: misericordiam effert, qui proditionem meditatur. Non ergo ideo commendat eleemosynam vt commendandam puter, sed vt animi sui auaritiam tegat, qua vnguenti effusionem non in suum versam lucrum tristatur. Itaque mulier, quam ille accusat, à Veritate defenditur. Bonum, inquit, opus operata est in me: quid ei molestus es? At eleemosyna etiam bona est; bona vtique. Sed qui bonum alterius boni comparatione malum appellat, tam falsus atque peruersus est, vt ne illud quidem quòd approbat, satis amet.

SCRIBAE quoque & Pharisæi se Legis diuinæ zelato- *Scribæ & Pharisæi.*
res ostendunt, & Sabbatum obseruant: Christi quidem miraculis eo potissimùm die fieri solitis inuidentes, non Deo gratum facientes, cùm nullum omnino tempus sit, *Matt. 12.*
quo benefacere non liceat. Eundem in Beelzebub eijcere *Marc. 3.*
dæmonia dicunt, ne in eo Dei virtutem confiteri cogantur. *Lucæ 11.*
Et cùm se ille à dextris virtutis Dei sedentem in nu- *Matt. 26.*
bibus iterum venturum respondisset, blasphemare in- *Marc. 24.*
quiunt. Atque ipsum qui mortuos viuificauerat, reum esse mortis iudicant. Adeoque nihil verè videre potest liuor, vt innocentem & iustum crucifigi, homicidam & se- *Ibid. 15.*
ditiosum dimitti, exposcant. Barrabas liberatur, Iesus oc- *Lucæ 23.*
ciditur. Quàm autem execranda talia iudicia sint, Salomon aperit, dicens: Et qui iustificat impium, & qui con- *Prou. 17.*
demnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.

QVAM etiam iniquum sit aliorum vitia cernere, suorum obliuiscì, docet ipse Saluator, dum huiusmodi hominem reprehendens, ait: Quid tu vides festucam in ocu- *Matth. 7.*
lo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quo- *Lucæ 6.*
modo dicis fratri tuo: Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo. Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Tunc ergo alios decètiùs corripere poteris, cùm priùs nosmetipsos correxerimus: cor-

Digitized by Google

ripere, inquam, non condemnare, vt charitas conseruetur, & semper declinetur impietas.

Accusatores adulterae. Ioan. 8.

ILLI quippe qui nimis arroganter adulteram accusauerant, mox Domino in terra scribente, cùm suum legissent scelus, alienum vlcisci erubuerunt. Qui sine peccato est vestrûm, inquit, primus in eam lapidem mittat. Non solùm autem lapidem in accusatam torquere nequiuerunt, sed nec iusti iudicis ferre præsentiam. Ad lapidandum conuenerant, sed parua mora, ipsi quasi lapidibus acti, fugam fecerunt. Tamque indigni erant qui alios arguerent, vt adulterij crimen ab eis delatum facilè veniam inuenerit. Nos itaque si nostra peccata ante oculos posuerimus, aliena post tergum relinquemus, nec alterum accusare audebimus, magis ipsi accusandi.

Moyses Abbas.

MOYSES Abbas in deserto Scythiæ nominatissimus, cum accerseretur, vt sententiam diceret in fratrem qui peccauerat, venit saccum arena plenum in tergo baiulans, & rogatus quid illud esset: Peccata sua esse dixit, quę vix ferre prę ualeret, ne dum aliena iudicare posset. Quod Præpositi Monasterij audientes, fratri pœnitenti veniam indulgere, quàm pœnam infligere maluerunt, dum considerant, ne se quidem sine peccato esse. Nec tamen ideo

Exod. 23. & 34.

delinquentibus ignoscendum est, ne coquatur hœdus in lacte matris suæ. Sed ipsi qui præsunt, ita seueritatem in puniendo exerceant, vt semper se quoque infirmos esse meminerint. *In vitis PP. & Iacob. de Vorag.*

Monachus quidam & Pastor Presbyter.

Eiusdem loci Presbyter Pastor, Monacho qui se de Cœnobio discessurum dixerat, quòd se cum Fratre manere, de quo malè audisset, pigeret: Ne facilè malum credideris, inquit, quod audisti. Cumque ille id sibi à viro fideli relatum asseueraret, respondit: Si fidelis esset, non tibi dixisset. Postremò proposuit ei trabem & festucam de Euangelio, vt semper aliena peccata festucam putet, sua trabem; se priùs condemnans, quam alios iudicans. Quotandem consilio ipse vsus, ibidem habitauit vnde recedere decreuerat, malè de altero obloquentibus credere destitit, malè agentes sibi præferre cœpit, & si quis etiam manifestè deliquerat, non iam ei iudicandi occasionem, sed ma-

ſed magis humiliandi præbebat. Et nos ergo Paſtoris vocem audiamus, vt mites & quieti potiùs cũ agnis in partem dexteram concedamus, quàm laſciuientes & curioſi ad ſiniſtram cum hœdis declinemus. Laſciuiunt autem, qui præſumptionis ſpeculam inſcendentes, áliorum actus auidè explorant, ſuos non ſatis conſiderant, & dum alios nimis licenter iudicant, ipſi grauius Dei iudicium incurrunt. *Iacob. de Vorag.* *Matt. 25.*

Percuſſor Vitalis Monachi.

SICVTI de illo legimus, qui Alexandriæ Vitali Monacho de proſtibulo egredienti obuiam factus alapam incuſſit, quòd ab eo libidinis cauſa infamem locum frequentari diceret. Et ſtatim ipſe à dæmonio arreptus, malè torqueri cœpit. Aſſiduus quippe ibi erat Vitalis, non tamen libidinis cauſa, vt ille putauit, ſed vt eas quæ ſe libidini proſtituerãt, à tam turpis vitæ propoſito reuocaret. Ad ſingulas enim penetrans, oblata pecunia noctem paciſcebatur, neque quicquam tota ea nocte aliud quàm dolenter ingemiſcere, & Deum pro ſalute perditæ mulieris deprecari: ita alias ad Deum conuertere, alias ſaltem eo tempore vt à ſcelere ceſſarent, compellere. Quæ res tunc clariùs patuit, cùm poſt vindictæ diuinæ in percuſſorem miraculum, illæ ipſæ mulieres, apud quas aliquando pernoctauerat, palàm confiterentur, atque idem percuſſorem ſuum miſeratus, oratione ſanitati reſtituiſſet. Nos tam anceps iudicium facilè vitabimus, ſi Ioannis Alexandrini Epiſcopi prudentiam imitari voluerimus, qui ipſius Vitalis delatoribus ita fidem adhibuit, vt ſanctum virum ne in luſtris quidem impudicè verſari crederet. Tutius namque conſilium, æquior deliberatio, certius iudicium, ſemper bene præſumere de ijs, quos nunquam in crimine nouimus deprehenſos. *In vitis PP.*

Ioannes Epiſcop.

IDEM ſanctus Ioannes Epiſcopus illos etiam, qui publicè peccauerant, abſentes carpi taxariique prohibuit. Fieri enim poſſe, vt peccatum pœnitendo diluiſſent, & iniquum eſſe id ab homine petulanter exprobari, quod à Deo clementer fuerit condonatum. Itaque domeſticos ſuos grauiter increpuit, cùm quendã virginis raptorem morte dignum dixiſſent. Et qui ſcitis, inquit, ſi ille iam

Digitized by Google

peccare desistit, cùm vos fortasse non cessetis? Iure quidē
Bede.9. ista Ioannes: Cùm enim Scriptura diuina dicat: Nescit homo vtrùm amore an odio dignus sit: qua ratione homo in altero sciet, quod in se nescit? vtrùm scilicet aliquis odio vel amore, dignus sit? *In vitis PP.*

Francisc. BEATVS verò Franciscus etiam obliquæ suspicionis culpam in fratre castigauit. Cùm enim pauperculo quodam sibi obuiam facto, nuditatem eius dolens identidem ingemiscceret, & frater quo cum vna iter agebat, dixisset: Pater, & si ille rebus pauper est, fortasse rerum concupiscentia diues est: continuò ipsum tunicam suam exuere, & pauperem operire iussit, vt quem lingua læserat, ei beneficio satisfaceret. Prauæ igitur suspitiones, cùm præsertim de crimine nihil constat, sedulò vitandæ sunt. Et licet semper vitari nequeant, quoniam homines sumus, ibi saltem commoriantur vbi ortæ fuerint. Linguam cōtineamus, si cogitationes non possumus. *Bonauent. cap. 8.*

Lupus Episcop. QVIS enim de Lupo Senonum Episcopo non malè opinaretur, si eum præcessoris sui filiam virginem iam adultam (quam iuxta se educabat) tenerrimè diligere conspexisset, & quanta ille sanctitate polleret, ignorasset? Sed profecto neque nota sanctitas obstitit, quin aliquando domestici eius ipsum nimij in puellam amoris inter se taxarent. Quod ipse rescíens, coram omnibus euocatā osculo excepit, dicens: Non offendunt obloquentiū verba, quem propria non inquinat conscientia. Quoniam autem virginis animum in Dei amorē propēsum cognouerat, eā ardenter quidē, sed corde syncero diligebat. Nihil prauum de ipso conijcere debuerūt, quē irreprehensibilē totius reliquæ vitæ institutio testabatur. *Sur. Tō. 1.*

Daniel Abbas. AB hac impudicitiæ nota Daniel AEgyptius Abbas miraculo se expediuit. Cùm enim rogatus, rustici cuiusdam domum adijsset, vxori eius diu infœcundæ ac sterili sobolem oratione à Domino impetrauit. Vicini verò tumescente ventre mulierem cernentes, quam olim de marito nunquam grauidam factam nouerant, de Abbate cōcepisse putauerunt. Post quam ergo peperit, Daniel omnibus ad spectaculum conuocatis, infantulum per Deum obse-

obsecrat, vt quis pater eius esset, palàm diceret: & statim ab osculo illo, à quo nihil aliud adhuc nisi vagitus audiebatur, verba proruperunt, quibus cognitum est, mulieris maritum esse pueri patrem. Mutata igitur sententia, omnes Danielis sanctitatem laudibus extulerunt, cuius precatione factum esset, vt & sterilis generaret, & puer mox vt natus est, loqueretur. Itaque tota criminis suspicio in admirationem versa est virtutis. *In vitis PP.*

Briccius.

IDEM contigisse Briccio Turonensi Episcopo, sed non eodem successu, legimus, Mulier professione, non opere religiosa, quæ indumenta & linteamina eius lauare consueuerat, illicito cum quodam coitu prolem edit. Briccius commissi reus agitur, afferri puer nõdum menstruus iubetur, qui Briccio in nomine Christi interroganti respondit, ipsum non esse patrem suum, quis autem esset, non indicauit. Itaque ne sic quidem conquieuit aduersũ Episcopum concitata plebis indignatio, magicæque arti deputantes, quod virtute fiebat diuina, in illum inclementiùs fremebant. Ipse vero vt se altero quoque signo (quando vnum non erat satis) innocentem probaret, prunas in sinum congestas per vrbem tulit, dicens, quod sicut vestimentum suum non vrebatur, ita se à libidinis flagitio alienum esse. Illi tamen prorsus increduli, suspectũ ab Episcopatus officio vi deponunt, & alium in locum suum cõstituunt. Cęterùm tam insontis infamiam Deus non ferẽs, duobus iam successoribus eius paucorum dierum spatio vita defunctis, ipsum in Sedem suam per summum Pontificem restitui fecit, ne plus potuisse videretur malorum obstinata suspicio, quàm iusti manifesta miracula. *Greg. Turon. in Catalog. Episc. c. 31.*

Syluanus Episcop.

Quomodo autem id quod apertè non viderint, iudicãtes non fallet, si etiam visa interdum fefellerunt? Diabolus namque Syluani Nazarathẽsis Episcopi integritatẽ cũ peruertere nequisset, infamia dehonestare decreuit, & formam eius habitumque assimulans, matronam quandã noctu adijt, atq; ad concubitum vrgere cępit. Pudica mulier vim timens, domesticorũ opẽ protinus inclamat: ille latebram sub lecto petijt, sed vt volebat à concurrẽte familia

Digitized by Google

milia inuentus, verberibusque & contumelijs affectus, extra ædes eijcitur. Interim rerum insçius Syluanus, vbi manè tandem percepit se vulgò diffamari, & pro scelere, quod ne cogitarat quidem, iam ad vindictam expeti, furori cedere satius ducens, properè Bethlehem se contulit. Sed cùm ibi quoque vitæ suæ insidiarentur, quidam ipsum ferire volentes, versis mucronibus ipsi sibi morté
Hieron. consciuere. Post hæc cùm ad tumulum D. Hieronymi mulier dæmoniaca curationis gratia adducta est, plurimique eò simul confluxissent, apparuit Hieronymus, & dæmoni vt ab ea exiens, quibus præstigijs Nazarethanos aduersus Syluanum ludificasset, palàm faceret, imperauit. Illico mulier sanatur, & præsente Syluano, Syluanus alter iuxta illam cernitur, qui rem ordine confessus disparuit, & vulgato miraculo cessauit innocentis infamia, versipellisque impostoris offuciæ magno omnibus tunc stupori fuêre. Quàm igitur circumspectos, quàm vigilantes nos esse decet, ne quid malè de sanctis viris, etiam cùm in crimine deprehensos esse credimus, nimis
Fortunat. Episcop. citò affirmemus? *Inter Epist. August. 206. cap. 5.*

IDEM quippè callidissimus hic veteranæque malitiæ veneno imbutus serpens beatum quoque Fortunatũ Tudertinæ vrbis Episcopum infamiæ probro lacessiuit. Per ipsum namque ab homine expulsus, peregrini formã assumpsit, & cum clamore incedens, passim queri cœpit, quòd Fortunatus Episcopus (qui ab omnibus hospitalis ac pius existimabatur) se ab hospitio suo cum iniuria exturbasset. Hunc quidam malignis rumoribus nimis credulus, ac simul vt munificentiorem Episcopo se ostenderet, domi suæ accepit. Sed dum vnà cum illo ad ignem sedens (frigus enim erat) Fortunato licentius detraxisset, animaduertit confessorem suum nusquam comparere, & filium paruulum iam ab eo possessum vertiginoso volutatu inter prunas deijci, vitaque destitui. Vnici tandé orbitate didicit infelix pater, quantum scelus sit, & quale crimen, sanctorum hominum vitam vel cauillari, vel
Effrẽ Sotarim. cauillantibus facilè credere. *Gregor. Dial. lib. 1. cap. 9.*

MAXIME quidem lentos continentesque in iudican-

dis

dis aliorũ moribus nos esse oportet, cũ etiã perfectioris vitæ viri in ea re aliquando lapsi fuisse ferantur. Effren Eremita columnam ignis ad cœlum vsque porrectam viderat, audieratque talem esse magnum Basilium Episcopum, & hac visione illectus Cæsaream venerat, vt tãtæ existimationis hominem oculis quoque consideraret. Sed cùm solenni Epiphanię die pontificali pompa in magno Clericorum cœtu fulgentem conspexisset, ipsum elatæ superbiæ columnam esse censuit, non ignitæ charitatis. Postquam verò ab illo accitus eiusmodi cogitationis errorem sibi obijci audiuit, cognouit Deum esse in homine, qui aliorum árcana illi reuelaret, & ostẽtis quã magnus apud se esse testaretur. Prostrauit ergo se, & peccatum confitens veniam petijt, atque ita iam deinde, vt erat, de ipso definire cœpit: quanto scilicet exteriori apparatu elatior videretur, tãtò interiùs humiliorem esse. *In vitis PP. Sur. Tom. 1.*

Quidam Eremita.

Alium quoque eremi cultorem in Basilio deceptum tradunt, qui cùm festo quodam die in Ecclesia multò cõpositum ornatu, atque in loco editiore sedentem cerneret, nõ hoc (vt quidem debebat) Episcopali dignitate imputauit, sed cuidam inanis glorię fuco atque oblectamẽto. Quamobrem voce ad se de cœlo lapsa audiuit, multò plus ipsum voluptatis capere solere, felem bestiam, quã in cella habebat, manu demulcendo, quàm Basilium Episcopum sacris indumentis se ornando. His exemplis docemur, non ex signis, quæ foris apparent, animum, qui intra hominem latet, iudicare debere, eius præsertim, quẽ multorum opinio commendat, sermo celebrat, obsequiũ honorat. *In vita Basilij.*

Bernard. Abbas.

Sed hic iudicij error ijs ferè contingit, qui paupertatis & humilitatis vitam professi, putant si quis inter ipsos paulò cultiorem qua vtatur rem habuerit, propositi prę-uaricatorem esse, quasi non eos tantùm beatos vocet Dominus qui spiritu pauperes sunt, aut etiam gloriæ cupiditas sub sordido & squalenti amictu latere non possit.

Hinc ergo Carthusiensis cœnobij Præpositus Bernardo Abbati, cùm ille ad ipsum visendum equo vectus ad-

uenis-

Digitized by Google

ueniſſet ephippio nimis eleganti vſum exprobrauit. At tamen qui Deum magis quàm equi phaleras animo uoluebat, quale ephippium illud eſſet, cui inſidens à Clarevalle iter egerat, penitus ignorabat, & ab ijs qui ſecum venerant, quale eſſet quærere cœpit. Tunc haud dubiè apparuit, magis illi curæ fuiſſe qualem animum eo afferret, quam qualem ſuppellectilem. Itaque non ſemper ex vtẽ filium aliquo decore mens hominis erit metienda, ſed ex operibus potius vitæque conuerſatione. Neque enim qualis quæque arbor ſit, folia oſtendunt, ſed fructus. *In vita Bernardi lib. 3. cap. 1.*

Mæthetes Abbas.

MACHETES Abbas in AEgypto (ſicut à Ioanne Caſſiano traditum eſt) fratres incuſare ſolitus, quòd vuam in faucibus tumentem tolerare non poſſent, ſed præciderent, quod in cellulis ſagum haberent, quòd ſecularibus hominibus oleum pro medicamento conſecrarent: duo prima ad impatientiam referebat doloris & paupertatis. Tertium quandam animi arrogantiam virtutisque oſtentationem præ ſe ferre aiebat. At verò quicquid dudum in alijs reprehenderat, mox ipſe egit inuitus. Nã in morbũ vuę incidens, præ dolore eam præcidi non ſolùm paſſus eſt, ſed rogauit. Deinde corpori ex valetudine frigeſcenti ſagum admiſit. Poſtremò ſecularium hominũ moleſtijs victus, oleum benedixit. Et confeſſus eſt, ſuopte iàm exẽplo ſe didiciſſe, Monachum in quo alios labi iudicauerit, ipſum in eo lapſurum vel nolentẽ. Veram enim eſſe Domini ſententiam dicentis: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Nam ſi noſmetipſos (vt Apoſtolus inquit) iudicaremus, non vtique iudicaremur. *Caſſian. lib. 5. c. 30.*

Mat. 7. 1. Cor. 1.

Femine. Ancilla in Saram.

AC ne feminas prætermittendo ab hac iudicandi culpa vindicare videamur, Raguelis ancilla Saram eius filiã, ſepties viduam & adhuc virginem, virorum ſuorum interfectricem auſa eſt appellare. Quos tamen Deo volente à dæmonio prefocatos tradit Scriptura, vt illã tandem Tobiæ Deum timenti integra inuiolataque ſeruaretur. Hanc ergo Deus ita diligebat, vt à prophanis contingi non ſit paſſus: & eandem ancillæ temeritas parricidio pollutam dicere non dubitauit. Pudeat nos vilis ancillulæ pro-

Digitized by Google

læ procasitatem sequi velle, vt hominum mores ex casibus ponderemus. Non semper quicquid aduersi euenerit, ad culpæ meritum est referendum. Viros amittebat Sara, non quia peccauerat, vt viduitate puniretur: sed quia non peccauerat, vt intacta digniori viro copularetur. *Tob. cap. 3. & alijs.*

AD hæc tamen illi inconsultiùs errant, ne dicam impudentiùs, qui etiam bonum aliquod opus, ne bono animo factum videatur, cauillantur.

GERMANA Monasterij Thebaidis soror, sorori Euphraxiæ per hebdomadam interdum perducta ieiunia, quæ admirari debuerat, vitio dedit, ausa dicere, ijs ab illa nihil aliud quam viam affectari vt cæteris præsit, eo quòd hoc ieiunij genus nulla antea præter Abbatissam attentasset. Tantam in iudicando temeritatem Abbatissa nequaquam impunitam dimisisset, nisi Euphraxia de se obloquenti protinus veniã suis precibus exorasset. Qua sanè erga æmulam benignitate ostendit, quàm quoque sincero in Deum animo ieiunaret. Tanto tamen Germana malè iudicans discessit confusior, quantò Euphraxia malè audiens patientior. Et profectò inexpiabilis pœnæ inuidiæ crimen est, ob hoc virtutem aliquam in altero mordere, quòd eam ipse assequi posse desperes. Nam etiam Spiritui sancto iniuriam facit, qui donum eius in illo cui datum est, petulanter suggillare conteudit. *In vitis PP.* *Germana in Euphraxiam.*

SED nos ab huiusce modi fatuitate abhorrentes, imitemur Bernardum illum de Quintaualle, beati Francisci in terris olim laboris socium, nunc in cœlo gloriæ consortem, regnique cohæredem. A cuius oculis, veluti duabus lucidissimis stellis, miri splendoris radios promicare in visu conspexit Leo frater, & accepit ipsum ideo habere fulgentes oculos, quod neminem quondam intuitu fuerat, quem se meliorem non iudicaret. Fertur enim, si quem vili veste tectũ aspiceret, sibimet dicere solitus, hic patentius paupertatem tolerat quam tu Bern: & si quem pretiosiùs indutum, hic fortè sub veste delicata melior est, quã tu Bernarde sub tunica rudi. Meritò igitur oculi illi *Bernard. de Quintaualle.*

Digitized by Google

illi radiarunt, quorum aciem nulla vnquam temerarij iudicij hebetauerat lippitudo, & ſemper integram purâque conſeruarat veræ ſanctæque collyrium humilitatis. *Bonauent. cap. 7.*

Rom. 2. PORRO aduerſus eos qui ſecus iudicant, vas electionis Paulus Apoſtolus ad Romanos ſcribẽs, exclamat: Inexcuſabilis es, ô homo, omnis qui iudicas. In quo enim alterum iudicas teipſum condemnas. Scimus enim quoniam Iudicium Dei eſt ſecundùm veritatem in eos qui *Ibid. 14.* talia agunt. Exiſtimas autẽ hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, quia tu effugies Iudicium Dei? Et rurſum: Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum aſſumpſit. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? *1. Cor. 2.* Quòd autem ad Corinthios idem ſcripſerit: Spiritalis iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur: oſtẽdere voluit, quantum differat ſpiritalis homo ab homine animali. Alteri enim ſpiritaliter viuenti ad res diſcurrendas intellectus acuitur, multaque interdum occulta diuinitus reuelantur. Alter verò, quem animalem vocat, carnis nõ ſpiritus affectibus vacans, id eſt, voluptatibus deditus, ne illa quidem quæ videt, quæ contrectat, rectè vereque diiudicat. Animalis, inquit, homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritaliter examinatur. Spiritalis ergo qui iudicat omnia, iudicet ſanè, ſed aperta ac manifeſta, & de quibus dubitare non eſt, quo animo fiant, cuiue fini dirigantur. Quæ verò bonæ malæque intentioni communia ſunt, quæque vel adhuc occulta latent, vel futura neſciuntur, ea diuinare niſi ex reuelatione non præſumat. Quod ſi cælitus inſpiratus, iam cum Paulo dicere poterit: Nos autem ſenſum Chriſti habemus: iudicet omnia. Ita demum ipſe omnia iudicans, à nemine iudicabi-*Ibid. 9.* tur, hoc eſt, iure reprehendi poterit. Propterea idem Apoſtolus: Mihi autem pro minimo eſt, inquit, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: ſed neque meipſum iudico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Diſcamus in Apoſtolo magnam animi modeſtiam.

Digitized by Google

stiam. Nullius conscius culpæ, non audet se iustum dicere. At nos, qui quotidie aliquid delinquimus, saltem alijs velle præponi erubescamus. Et cùm ipse subsequenter dicat. Qui autem iudicat me, Dominus est: desinamus nosipsos ita iudicare, vt proximos putemus contemnendos, quandoquidem & illorum, & nostrum, & omnium Iudex & Conditor vnus Deus, vnus & Redemptor Iesus Christus. Nolite, inquit, ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Interim verò qui se existimat stare, videat ne cadat. Perspicuum autem est, eum labi & ruere, qui se ijs quos iudicat, arbitratur meliorem, Iacobo Apostolo dicente: Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit Legi, & iudicat Legem. Siquidē etiam in Lege scriptum est: Non eris susurro, nec criminator in populis. Pulchrè itaque Apostolus continuat, dicens: Si autem iudicas Legem, non es factor Legis, sed iudex. Vnus est enim Legislator & Iudex, qui potest perdere & liberare. Tu autem quis es qui iudicas proximum tuum? Nimis itaque audax est, & plus quàm dici potest temerarius, qui suo iudicio æternum Iudicem præuenire non formidat. Christus venturus est vt iudicet mundum: qui præuenit, non Christus, sed Antichristus est. Antichristum autem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Ergo & illos, qui de incertis, confidenter, de occultis, asseueranter: de ambiguis, indiscussè: de nihil ad se pertinentibus, arroganter: de omnibus denique prauè impieq; iudicauerint, simul disperdet. *Iacobi 4.* *Leuit. 9.*

De Patientia iniuriæ. CAP. XIII.

CVM igitur ratio constet, nostris iudicijs neminem lædi debere: quò ab eis facilius abstinere possim', læsi quoque pati potiùs offensas, quàm vindicare, discamus. Nihil est enim quod ita animi tranquillitatē conciliet atque conseruet, vt omnium aduersitatum, quę iccidere nobis possunt, toleratio stabilis & firma. Et proprium quidem Christiani est, vt non inferre iniuriā,

Re ita

Digitized by Google

ita illatam obliuiſci; vt non amare diuitias, ita rei amiſſæ damno non moueri, non mala valetudine concuti, non tyrannorum minis terreri, ſed à vita priùs quàm à iuſtitiæ cultu diſcedere. Opportunè itaque eorum nunc proponemus exempla, quos in perferenda iniuria fortes fuiſſe accepimus, deinde de reliquis Patientiæ generibus ſuo ordine dicturi.

Ioſeph. Geneſ. 42. IOSEPH fratrum in ſe inuidiam beneficiorum relatione compenſauit. Fame qua laborabant interiiſſent, niſi ille eos aluiſſet, in cuius necem conſpirauerant, quem in ciſternam, vt ibi extingueretur, deiecerãt; quem mox vt ſeruus potiùs quàm liber moreretur, inde redemptum, alienigenis vendiderant; non eſſet magna in illo patientiæ & benignitatis virtus, niſi & magnum in illum ſæuientium fratrum exſtitiſſet odium: tantò plus laudis meruit, quantò maiorem iniuriam remiſit. *Gen.* 42.

Moyſes. MOYSES illatam ſibi non leuem verborum contumeliam, & fratri Aaron ſtatim ignouit, & pro Maria ſorore *Num. 12.* deprecatus eſt. Quamque Deus lepræ morbo pro crimine petulantiæ corripuerat, ipſe vt ſanaretur, orando impetrauit.

Idem. Exod. 32. IDEM cùm vituli adorationem vlciſcens Deus populum internecione delere pararet: Aut dimitte eis, inquit, aut dele me de libro tuo quem ſcripſiſti: & tamen ſibi inſultantes in deſerto ſæpe expauerat, ita vt diceret: Adhuc *Exod. 17.* modicum & lapidabunt me. Diffidijs enim & ſimultatum oblitus, niſi impunè dimittantur, ſimul optat mori. Ac ne forte ideo illis gratiam ab eo quæſitam putemus, vt ſuperſint quibus ipſe præſit, iam Dominum audierat pol- *Exod. 32.* licentem ſibi: Faciam te in gentem magnam. Sed maius exiſtimauit pro malo reddere bonum, quàm præſidere plurimis.

Saul rex. 1. Reg. 10. SAVLIS quoque Regis illa patientia commendatur, qua rex factus cùm à quibuſdam ſuorum contemptui haberetur, non diſſimulauit. Deinde victis Ammonitis, cùm triumphans rediret, milites qui eam contumeliam armis vlciſci moliebantur, coercuit: Turpiſſimum ratus, ſi ab eorum obtrectantium inuidiam ferre nequiuiſſet, qui

tot

cõt millium bellatorum exercitum potuit superare. Magni profectò animi vir, si vitijs postea non fuisset depra-uatus, ita vt idem & patientiæ & impatientiæ exemplum sit. 1. *Reg.* 11. 1. *Reg.* 11.

Innocentissimum namque Dauid, & semper optimè de se meritum, capitali odio persecutus est, ob hoc tantũ quia sibi militaris virtutis gloria eum præferri audiuit. Sed quanto ille aduersus Dauid extitit infensior, tantò ipse erga eum se gessit submissius. Necis in persecutorem suum non semel potestatem nactus, semper illæsum dimisit, fugiendo iniuriam declinare malens, quàm vlciscendo. Denique ipsum, qui viuus vitæ suæ insidiabatur, ab hostibus læsum fleuit. Hanc tantam in eo patientiam, tantam animi mansuetudinem magis ego miror, quàm belligerandi præstantiam: cùm multo magnificẽtius sit, seipsum quàm hostes vincere; seipsum autem vincit, qui perturbatæ mentis libidinem rationi cedere cogit, & iniuria lacessitus non excandescit. *Dauid rex.* 2. *Reg.* 16.

EVNDEM cum de Ierusalem fugeret, filij Absalonis factionem timens, & Bahurim vsque venisset, inde egressus, Semei Geræ filius de cognatione Saul, per montis crepidinem ex latere incedens, ausus est maledictis & lapidibus incessere, virum sanguinum ac virum Belial compellans, aliaque multa in illum congerens tam petulanter quàm temere. Qui cum rege erant, ad vlciscendam iniuriã concitantur, sed ab ipso cui irrogabatur, inhibiti sunt. Et dimittite eum, inquit, vt maledicat. Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: Et quis est qui audeat dicere, quare sic fecit? Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam: quãto magis hic filius Gemini maledicet mihi? Dimitte eum vt maledicat iuxta præceptũ Dom. si forte aspiciat Deus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Quid hac patientia humilius? quid humilitate patientius? Rex erat, & quidẽ fortissimorũ virorum grandi agmine stipatus, & tamen vnius priuati hominis tantas cõra acceptas contumelias dimisit impunitas. Neque eũ spes illa frustrata est, qua sibi pro maledictis pro- *Idem.* 2. *Reg.* 16.

Digitized by Google

2. Reg. 22. piciaturum Deum dixit. Post hæc enim ab omnium inimicorum suorum molestijs liberatus gratias egit, dicés: Accinxisti me fortitudine ad prælium, incuruasti resistentes mihi subtus me.

Iob

Iob 31. IOB quoque confitentem audimus, ab omni prorsus vindictæ appetitione semper fuisse alienum. Ait enim: Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quòd inueniisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animã eius. Molliter igitur ferendo inimicos vsque adeò fortis euasit, vt nullo deinde calamitatum genere ad aliquod impatientiæ signum impelli potuerit. In maximas quidem incidit ærumnas, sed omnibus ærumnis maior in illo tolerationis virtus fuit. Denique qui non est gauisus ruinis inimici, idem nec suis vinci potest.

Iesus Christus. SED quibus tandem verbis, quo ore Domini nostri Iesu Christi patientiam explicabimus? Profectò maior est, quàm vt pro dignitate exprimi queat. Dei filius ab hominibus, probris, flagellis, morte efficitur, iustus ab impijs, Dominus à seruis, & ab ijs quidem quos saluare venerat, ac de maledictione, cui addicti ab initio erant, in benedictionem gratiamque vindicare. Poterat in vno oculi ictu simul perdere omnes, ne quid mali ab eis pateretur, sed vltro obtulit sese, vt nos per sui Corporis sacrificium cõciliaret Deo. Irridebatur itaque, & tacebat: accusabatur, & nihil respondebat: verberabatur, & sustinebat: crucifigebatur, & pro crucifigentibus ad Patrem orabat. Quis tam durus est, vt hæc secum considerans, ad ignoscendum ijs, à quibus lusus fuerit, non molleſcat? Indignè ille passus est, quicquid passus est, quia delictum nõ fecit. Nobis nulla prorsus iniuria indignè inferri potest, qui peccatores sumus. Feramus ergo æquo animo quicquid in nos committunt homines, quia nos ante peccauimus Deo. Quicquid patimur, nõ est offensa, sed vindicta.

Idem. IDEM omnis patientiæ & exẽplar, & magister, & remunerator Iesus Dominus, cùm à Samaritanis non fuisset in vrbem receptus, tam leniter tulit, vt Iacobum & Ioannem vlcisci iniuriam volentes increpuerit. Vis, inquiunt,

Luc. 9.

Digitized by Google

quiunt, dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos? & responsum accipiunt: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Nos igitur si spiritus Christi esse cupimus, si parêre voluntati eius optamus: curemus ne quem impatientia nostra irritando perdamus, cùm ille sustinendo pro salute omnium voluerit mori.

Elias Propheta. 4. Reg. 1.

Dicet aliquis, cur ergo Elias quinquagenarios Ochoziæ regis, qui ad se comprehendendum missi fuerant, igne de cœlo excito afflari consumique imprecatus sit? Cur respondebimus, quòd alij etiam Prophetæ multis in locis diuinæ Scripturæ itidem fecisse videntur, nec tamen irati (vt equidem reor) sed Spiritu sancto inspirati, futurum prædicentes, non malum alicui exoptantes, aut vindictam appetentes. Itaque nec Elias iracundia commotus, sed numine actus, in impios illam sententiam dixit, quam æquam iustamque esse repentinus probauit euentus. Vel aliter dicendum est: Nondum Christus aduenerat propitiatio nostra, qui veteris Legis rigorem nouæ benignitate mitigauit. Vnde: Dictum est antiquis, inquit, *Matt. 5.* Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuũ. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite ijs qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & super iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.

Paulus Apostol. Act. 23.

Sed hîc etiam illud quærendum nobis occurrit: Quare etiam in noua lege Christi Apostolus Paulus in faciem cæsus ea ægrè tulit, vt Ananiæ Sacerdoti, qui ipsum cædi iussit, maledixerit, dicens: Percutiet te Deus, paries dealbate, & cùm argueretur iniuriæ in Sacerdotem? Nesciebam, inquit fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices. Igno- *Exod. 22.*

Digitized by Google

rationem ergo excusauit, non officij, sed hominis. Numquid autem si etiam Sacerdos non esset, maledicere illi debuit? Nequaquam. Non igitur maledicendi affectu hoc dixit, sed Spiritu sancto excitatus, iniquo homini pœnam denuntiauit: Vel etiam prophetauit, quia vetus Iudæorũ Sacerdotium percutiendum, hoc est, repellendum erat nouo Euangelij Sacerdotio. Vnde alij codices scriptum habent; percutiet, non percutiat: vt quod futurum erat, significet, non quod ex indignatione futurum optet. Excusat autem, ne quis eo exemplo putet, in malo Sacerdote dignitatis rationem non habendam, cùm etiam malo & discolo honor deferendus sit. *Actor.* 23.

Martyres Apoc. 6. SED quo tandem argumento illud in Apocalypsi absoluemus, vbi sancti Martyres ad Deum clamant: Vsquequo, Domine, sanctus & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra? Hoc quidem perinde est, ac si dicerent: Da iam, ne vltrà sanguinem nostrum sitiant persecutores nostri, sed ad te cõuertantur, & salui fiant. Itaque vindicta ista, quam implorant, non impatientiæ est, sed amoris: non inimicitiæ, sed pietatis. Quod ita esse vt dicimus, vel ex eo facilè persuaderi potest, quia plurimi inter illos, qui Martyrũ cruore manus fœdauerant, mox credentes, & ipsi Martyrio coronati sunt. Quam gratiam nequaquam assecuti fuissent, si in eos aliter vindicandum Sancti postulassent. Vnde Dominus in Psalmo: Vltus sum in eos. Quod exponés Augustin. Vindicaui me, inquit, de inimicis meis. Quomodo me vindicaui? occidendo in eis errorem, suscitando fidem. Atque inde nos admonens, ait: Quãdo te persequitur homo noli attendere illam figuram quã fecit Deus, aut animã illã quã inspirauit Deus, non te persequitur quod fecit Deus, sed malitia quam fecit homo. In malitiã ergo hominis irasci licet, in hominem non licet.

Psal. 117.

Martinus Episcop. BEATVS Episcopus Martinus, dum asello veheretur, fortè obuiam sibi quibusdam equitibus: eo viso territi equi, saltibus in diuersum actis, suum quisque sessorem dorso excussere; & illi casum indignantes, Episcopo immodestiùs insultarunt, ita vt nec in manibus temperarent.

rent. Sed rursum conscensis equis, cùm loco eos, & calcaribus & flagris vrgendo, mouere non possent, diuinam in homine virtutem (quem improbè vexauerant) animad uertunt, & repètè ante ipsum suppliciter prouoluti, peccatum confitentur, & veniam exposcunt. Tunc ille pro iniuria beneficium referens, eos amicè amplexatus est. Equis autem, vt dominis suis obedirent, imperauit; qui, quasi vinculis carceribusve soluti, statim abiere, iter cœptum maturantes. Meritò bruris beluis imperare potuit, qui superborum hominum offensam tam moderatè tulit: meritò miracula fecit, qui læsus irasci nesciuit. *Seu. Sulp. in vita Mart.*

LVPVS Trecasinæ vrbis Episcopus, Attila ciuitatem obsidente, interrogauit quis hic esset, qui sic in se arma lacesseret, Vbi accepit, Attilam flagellum Dei esse, ingemiscens ait: Et ego Lupus vastator gregis Dei dignus flagello eius. Portas eis reserari iussit: Ingressi autè hostes, rectà vrbem pertransiere, nihil hostiliter agentes, ne respicientes quidem ad quenquam oppidanorum, quasi neminem vidissent. Hanc tantam tutandæ ciuitatis gratiam Deus contulit Lupo, vt qui se dignum flagello confessus fuerat, à flagello liber esset. *Sur. Tom. 4.* *Lupus Episcop.*

BENEDICTVS Abbas Florentinum Presbyterum, vitæ suæ insidiantem, patientissimè tulisse perhibetur. Panem veneno infectum sibi ab illo, muneri missum, (licet dolos cognouisset) benignè accepit, ne recusando scelus hominis (quod cæteros latebat) proderet. Cæterùm abeuntibus qui panem attulerant, coruo aliti præcepit, vt illum rostro sublatum, eò transportaret, vbi contingi à nemine posset: & protinus volucris illa iussis eius obediuit, cuius sanctitati homo inuidebat, vt appareat inuidos homines bestijs minus rationales esse. Decipi autè Dei seruus non potuit, Spiritu sancto insidias reuelante: eas tamen ipse nosse tunc dissimulauit, ne malitiam inimici palàm faciendo, suam vltus iniuriam argui posset. Eccl. 18. timés illud, Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam. *Greg. Dial. lib. 2. cap. 7.* *Benedict. abbas.*

FLORENTIVS verò in flagitio perseuerans, quem occul-

occulta fraude vincere nequiuit, apperto bello aggredi decreuit. Meretriculas ergo de prostibulo conuocatas, in hortum Monasterij adduxit, quæ impudenter inter se lasciuiendo monachos ad libidinem prouocarent. Abbas autem cùm iam non vitæ suæ vnius, sed animabus cunctorum qui secum erant, periculum verti vidisset, loco cessit, & vnà cum suis longiùs inde demigrauit. Ac hic scelestus infelicissimę pugnæ victor, quòd eos fugere cōpulisset, exultans domum redijt. Sed cùm lætabundus tripudiaret, repentino pauimenti collapsu elisus, expirauit. Benedictus verò exitialis inimici tristem exitum vehementer dolens, discipulum suum Maurum, quòd eo nuntio lætari videbatur, puniuit, vt doceret, ne persecutorum quidem malo quenquam gaudere debere, cùm etiam inimicos diligere, & pro eis orare, Domini præceptū sit. Sed eodem exemplo timeant tandem & improbi iustos insectari, qui quamuis ab vltione sui se contineat, suum tamen vltorem Deum habent. *Ibidem cap.* 8.

Matt. 5. *Luce* 6.

Bernard. Abbas.

BERNARDVS Abbas Presbytero cuidam monachū profiteri volenti refragatus est, quòd eū etiam inter suos perfectum esse posse diceret. At ille repulsam ægerrimè ferens, atque iræ impatiens, eidem cui dudum supplicauerat, pugnum in faciem incussit. Fratres vindicare volebant Abbatis iniuriam, sed ab ipso inhibiti sunt, obsecrante atque obtestante, ne vindictæ animum intenderet, sed eum potiùs, à quo se læsum scirent, impunitum dimitterent. Æquissimum enim esse, alteri parcere ipsū, qui quotidie à Deo sibi parci expeteret: cùm præsertim veritas affirmet, dicens: Nisi dimiseritis, non dimittetur vobis. Ferre igitur, non referre verba illum oportet, qui ad pacis æternæ quietem peruenire contendit. *In vit. Bern. lib. 3. cap. 6.*

Christophorus Martyr.

Vnde & Christophorum Martyrem, cùm à præfecto Sami colaphum accepisset, dixisse ferunt, repercussissem te, si Christianus non essem. Proprium ergo Christiani esse existimauit pati, nec vindicare iniuriam. *Sur. Tom.* 4.

Gregorius Papa.

GREGORIVM quoque Pontificem ne summa quidē dignitas ad iniuriæ impatientiam compulit. Mauritio

Augu-

Augusto filijsque eius se persequentibus dicitur scripsisse: Quoniam ego peccator sum, vos tanto magis (vt opinor) Deum vobis conciliatis, quantò magis me illi ignauiter seruientem affligitis. Post hæc Imperator, cùm solus esset in conclaui, vidit monachum ad se intrantem, strictoque ense ferociter minantem, nisi à Pontificis persecutione protinus cessaret. Eo visu territus, incunctanter & veniam ab eo, cui vehementer infensus fuerat, petijt, & odium in amicitiam commutauit. Itaque ipsum, cui multorum bellantium exercitus resistere nequiuisset, vnius hominis toleratio fregit: Victusque est patientia, quem arma vincere non valuissent. *In vita Gregor. lib. 4. cap. 17.*

AGILIVS Monachus Columbani Abbatis discipulus, cum manum arefactam ei, qui se in itinere educto gladio ferire voluerat, sanitati restituisset: Theodoricum regem ad quem ibat, Abbati suo Columbano iratum, antequam audisset, fama miraculi præueniente, placauit: ita vt quem ille dudum à monasterio expulerat, protinus reuocaret. Igitur in Agilio benignæ patientiæ virtus malum alterius malè affectam sanauit, regis iram molliuit, Abbatem in gratiam reduxit. Qui si pro inimico orare neglexisset, nihil horum procul dubio efficere potuisset. *Agilius Monachus.*

LIBERTINVS Fundensis Cœnobij Monachus, ab Abbate irato in faciem scabello grauiter percussus, ne gemitum quidem edidit, sed tacitus in cellam suam se recepit. Postero autem die negotij causa, quod sibi iniunctum fuerat, ad ciuitatem iturus, Abbatem adiens eundi potestatem de more petijt. Ille ob acceptam iniuriam discessurum ratus, cur id peteret interrogat: sed cum causam didicisset, animaduertit ipsum, tametsi liuidam adhuc & tumentem ex verbere faciem præferret, iniuriæ tamen omnino non recordari, & patientiam eius admiratus, genua submisit, se peccasse confitetur, veniam poscit. Libertinus verò & ipse in terram procidens, imò se peccasse asserebat, & sibi magis veniam poscere conuenire. Sic patientis discipuli humilitas magistri fregit *Libertinus Monachus.*

Digitized by Google

duritiam, & cui murmuranti iracundus senex plus fortasse mali intulisset, ei malum illatum modicè ferenti se subiecit. *Gregor. Dialog. lib. 1. cap. 2.*

Idem. Insuper Libertinus quò volebat dimissus cùm peruenisset, & vnde liuorem in facie haberet rogaretur, se in scabellum impegisse respondit. Etenim quoniam patienter ictum pertulerat, sapientiæ donum accepit, vt rationem inueniret, qua & Abbatis crimen celaretur, & quod verum erat, sciscitantibus referri posset, vt idem tam expers mendacij foret, quàm erat impatientiæ perturbatione alienus. *Ibidem.*

Pauli Abbatis discipulus. PAVLVM in partibus AEgypti Abbatem Cassianus tradit, magno Monachorum & suorum & alienorum cętu discumbente (qui tunc eò fortè conuenerant) suo cuidam discipulo adolescenti, quòd tardiùs ferculum apposuisset, colaphum infregisse, ita vt & illi qui non viderant ferientem, ictus tamen sonitum audirent. At verò ipsum, qui percussus fuerat, tanta patientia vsum, vt non mutiret, non tristitiam fronte præferret, non vultum demitteret, non colorem saltem mutaret. Omnes tantam adolescentis constantiam admirati, tandem didicerunt, Abbatem quoque patientiæ illius conscium, id ex industria, non ex culpæ castigatione egisse, vt scilicet ipsa patientię virtus cęteris (quibus adhuc incognita erat) exemplo foret. O inuicti animi iuuenem! Percussus in maxilla ita stetit, vt præbere videretur & alteram, ac tacitus dicere: Posui faciem meam vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar. *Cassian. Coll. 19. cap 1.*

Isaiæ 50.

Pafnut. Presbyter. IDEM Cassianus Pafnutij quoque Presbyteri impubis adhuc patientiam commemorat, dicens: Quòd cùm inter fratres Scythioticæ solitudinis persanctè versaretur, quidam inuidiæ stimulis agitatus, excogitauit quemadmodum illum delicti insimularet, & captata occasione, dum Dominico die Pafnutius cum cæleris ad Ecclesiam conuenisset, cellam eius clanculò adiens, codicem suum inibi absconditum reliquit, cumque mox & ipse Ecclesiam esset ingressus precatione solenni peracta, questus est codicem sibi esse furto ablatum. Nouum erat id criminis inter eos

ter eos audire, & cunctis mirantibus ipse qui detulerat petijt, ne quis antè ab Ecclesia discederet, quam missis fidelibus viris cellulæ singulorum excuterentur. Missi seniores, codicem vbi suppositus fuerat, inter palmeas Pafnutij fiscellas inuentum referunt. Diu attonitus hoc audito stetit Pafnutius, neque ausus est negare quod tam apertò affirmabatur iudicio, & vt sibi pœnam qua satisfaceret imponerent, rogauit. Inde verò egressus, per duas hebdomadas ieiunijs ac fletu sese afflixit, nec interim ad Communionem accedere præsumpsit, sed tandem in limine Ecclesiæ coràm prostratus, veniam petijt cùm innocens esset. Tunc demum Dei iudicio factum est, vt eius ignominiæ author, dæmone arreptus, nequitiam suam ac dolos confitendo proderet. Qui cum diu multúmque vexatus à sanctissimis viris curari nequiuisset, postremò ipsius Pafnutij oratione curatus est. Sicque mitis ac modestus adolescens iam labefactatam honestatis & sanctimoniæ famam patientia sua reparauit, pietate auxit, dum, & inculpatus tolerat, & offensus miseretur. *Ibidem, Coll. 18, cap. 15.*

Eulogius Presbyter.

SED ne quis ab ingratis saltem per impatientiam subtrahenda esse beneficia existimet, Eulogius Presbyter Alexandrinus leprosum quendam domi susceptum iam per annos quindecim benignius, quàm dici potest, aluerat, & tandem pro tanto pietatis officio conuitia excipiens, & ab eo, cui pro amore Christi, contempto contagiosi morbi periculo, luis ipse manibus ministrabat, contumelijs assiduè affectus, iam quid ageret nesciebat. Antonium ergo Abbatem consuluit, vtrùm illum dimittere deberet, à quo talia patiebatur? Vtrique consultum est, modicum adhuc sustinerent, donec alter, sicut pietatis, ita & patientiæ meritum impleret, alter ingratitudinis vitium emendaret, ne grauiorem animi quàm corporis lepram incurreret. Itaque cùm admoniti tranquillius manere simul cœpissent, Eulogius dies quadraginta supervixit, leprosus die tertio post eum obijt. Pius ergo ac patiens Eulogius, consilio saniore vsus, gemmis tandem virtutis diademate meruit coronari: Quod nequaquam meruit

meruisset, si illum, quem languentem misericorditer acceperat, ingratum impatienter repulisset. Iunxit patientiam pietati, & duplum adeptus est felicitatis præmium. *Pallad. Hist. 26.*

Alexius Romanus.

ALEXIVS quoque Patritius Romanus sicuti voluntariæ paupertatis perpetuus obseruator, ita ad tolerandas iniurias patientiæ extitit assiduus cultor. Mendicus (vt Christum lucraretur) sponte factus, cùm in Syria diu de eleemosynis vixisset, Romam redijt, & in paterna domo pro inope susceptus, annos decem & septem nulli cognitus mansit. Toto eo tempore à seruis patris indigna passus, dureque acceptus, non se prodidit, neque de aliquo conquestus est. Rideri, verberari, fœda colluuione perfundi à mancipijs patienter sustinuit, vt Christum suum (cuius paupertatem secutus fuerat) tolerantiæ quoque humilitate exprimeret. Quis autem esset, qualiterque vixisset, diuinitus tandem reuelatum est, tunc scilicet, cùm è vita discederet, ne tantæ patientiæ exemplum ignorata generis claritate in obscuro foret. Neque enim satis magnum erat, si & ipse (vt videbatur) seruilis conditionis fuisse crederetur. Maximum verò fuit, & omni admiratione dignum, filium familiâs, patre Consulari natum, ita se domesticis submisisse seruis, vt illis omnibus magis infimus appareret. *Metaphrast.*

Florentinus Solitarius.

FLORENTINVS Nursiæ prouinciæ Solitarius, in illos qui sibi vrsum bestiam interemerant, inuidentes quod syluestre animal homini seruiret, dixisse fertur, sperare se in eos Deo vlciscente commissum luituros. Inde ergo vrsinæ cædis rei repentino lepræ morbo confecti, paucos post dies versis in saniem corporibus contabuêre. Tunc qui vrsi necem doluerat, horum inopinatam mortem mœrore ac lachrymis inconsolabiliter prosequi cœpit, seipsum reprehendens, quòd pius in beluam impius in proximos fuerit, quòd illi vrsum, illos ipse peremerit, quos ita ac seipsum diligere debuerat. Postremò in tantum eum pœnituit verba vindictæ protulisse, vt si fieri posset, sua morte illorum, qui consumpti fuerant, vitam redempturus videretur. Itaque semper flebat, fle-

Digitized by Google

bat, Petro ipso ostendens, ne mentionem quidem vindictæ esse faciendam. Nos ergo cùm læsi fuerimus, linguam quoque à maledicto coerceamus, quando vox paulo acerbior aduersum iniuriæ authores emissa, hinc Dei seruo tantæ inquietudini tantoque angori fuit. *Gregorius Dialog. lib. 3. cap. 15.*

Paulus Simplex.

OB hoc sanè Paulus cognomento Simplex vxorem suam cum adultero deprehendens, ne tantam iniuriam vlciscì cogeretur, statim auersus abijt, domo excessit, & se Monachum fecit, magnique Antonij dignus euasit discipulus. Denique manus illas, quas à vindicanda ignominia continuerat, ad Deum porrigens, nihil petijt quod non impetrauit, maximeque in faciendis miraculis insignis fuit. *Pallad. Hist. 28. & Hist. Trip. lib. 1. cap. 11.*

Machar. Alexandrinus.

MACHARIVM verò Alexandrinum Scythioticæ solitudinis cultorem tradunt, dum culicis ictu percitus palmæ percussione illam corpori allisisset extinxissetque, mox facti pœnituisse, atque afflixisse se, ita vt sex menses nudus per eremi loca deambulans, vltro culicum morsibus se exposuerit, tuleritque multarum iniuriam, qui vnius non pertulerat. Vsque adeò igitur sanctissimi viri omne prorsus vindictæ horrebant genus, vt à bestijs, nedum ab hominibus offensi, perpeti quàm vlciscì satius putarent, illud semper animo versantes: Mihi vindictam & ego retribuam, dicit Dominus. *In vitis PP.* *Rom. 12.*

Quidam senex.

Vnde Cassianus de sene quodam Christiano hoc patientiæ virtute prædito testatur: Cùm apud Alexandriam infidelium turba constipatus maledictis impulsibusque agitaretur, & ab eo quærerent quid vnquam miraculi fecisset Deus eius Christus? ipsum respondisse: vt ijs, quas infertis, atque maioribus non mouear, neque offendar iniurijs. Rectè id quidem: neque enim ventorum flatu concuti, aut fluminum illisu euerti potest domus quæ supra petram fundata est. Petra autem est Christus. Denique qui confidit in Domino, sicut mons Sion, non commouetur in æternum, in persecutionibus gloriatur, in aduersis gaudet, in omnibus Deo gratias agit, & illi soli peni- *1. Cor. 10. Psal. 124.*

Digitized by Google

Ii penitus inhærens, offensas non sentit improborum. *Cassian.*

Mutius abbas.

IDEM author Mutij Abbatis patientiam scriptis commendans, ait: Cùm suscepto religionis voto filium quoque paruulum secum ad Cœnobium adduxisset, de industria puer malè à fratribus accipiebatur, coram patre subinde cæsus, ac sæpe per capillos tractus, ob hoc solùm, vt patris in eo constantiæ periculum facerent. Ille ergo neque fratrum verberatione, neque vnici filij iugibus pènè lachrymis moueri poterat, vt vultu saltem tristitiam præferret, quin potiùs gaudebat, eum quoque quem genuerat, quòtidianis castigationibus ad patientiam erudiri. Itaque nunquam cur sic durè attereretur quæsiuit, nunquam ad flentem respexit, nesciebat se eius patrem quem dedicauerat Deo. Adhæc etiam (vt alibi diximus) in proximum flumen illum proijcere iussus, promptè voluit obedire, nihil nõ faciendum ratus, quod ab Abbate esset iniunctum. Igitur post probatam primò tolerationis deinde obedientiæ virtutem, Senior Cœnobij ipsum cunctis præponens sibi successorem reliquit, præfuitque omnibus, qui omnium patientissimus obsequentissimusque fuerat habitus. *Cassian lib. 4. cap. 27.*

Femina Sara. Tobiæ 3.

Prosequamur modò infirmioris quoque sexus in perferendis iniurijs æquanimitatem. Sara Raguelis filia ab ancillis probro petita, quod interfectrix esset virorum, non ad vindicandam ignominiam animum applicuit, sed ad Deum preces porrexit, vt sicut crimine se carere nosset, ita infamia liberam faceret. Inde illa, quæ iam septem maritis orbata fuerat, in octaui Tobiæ thalamo fœliciter conquieuit, multoque inter se rerum successu diu lætati sunt: Tantum profuit non vindicasse contumeliam, sed pro abolenda orasse. *Tobiæ cap. 3. & 7.*

Chananæa. Matth. 15.

CHANANAEAM mulierem in Euangelio patientia voti compotem fecit. Cùm repelleretur, non indignabatur, & canibus comparata, magis se submisit. Quod ergo confidenter petierat, efficaciter obtinuit, dum contempta atque despecta mitis modestique animi constantiam non dereliquit.

EVPHRAXIA

EVPHRAXIA Virgo (cuius sæpe mentionem fecimus) coram illa, à qua contumeliam indignè acceperat, ad genua procidens veluti quæ offendisset veniam petijt. Abbatissæ quoque in illam animaduertere volenti, vt missam faceret supplicauit; nihil ei mali referre cupiens, à qua passim iniuriam fuerat, vt patientiæ remunerationem à Deo sperare posset. *In vitis PP.* *Euphraxia Virgo.*

ET Paula Gracchorum stirpe nobilis, sed nobilior vitæ humilitate, cùm ne ipsa quidem, quæ omnia contemserat, propter Christum morsu hominum carere posset, nihil quicquam molestè ferebat. Cumque audisset se quorundam iudicio stultam ac mentis emotæ reputari: Theatrum, inquit, facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus: nos stulti propter Christum, sed stultum Dei sapientius est hominibus. *Hieronym. in Epitaph. Paulæ.* *Paula Vidua.* *1. Cor. 4.*

ELIZABETH Pannonum regis filia postquam, amisso viro distractisque fortunis, Deo in paupertate seruire cœpisset, fortè per semitam pergens hinc inde lacunosis silicibus voraginosam notæ cuidam fœminæ, & in quam non pauca quondam beneficia contulerat, facta est obuiam. Quæ contemptim admodum superbeque occurrens, ipsam quam antea coluerat obseruaratque, tunc per iniuriam aduersò impulsam latere euertit in lutum, atque præterijt. Multo ergo deturpata cœno, Christi ancilla nihil indignationis præ se tulit, sed tacita tantum subrisit, gaudens se ab hominibus despici, vt placeret Deo. *Conrad. Concion.* *Elizabeth Vidua.*

Quamobrem quædam vltro etiam quæsiere, vbi huiusmodi patientiæ virtutem exercerent. Sicuti illa nobilis Alexandriæ matrona, quę (vt tradidit Cassianus) Athanasium Episcopum adiens, petijt sibi dari vnam ex viduis, quæ Ecclesię impensis alebantur, cui ipsa benefacere posset. Cæterùm cùm petenti optima concessa esset, queri deinde cœpit, non ex animi sui sententia viduam sibi datam. Ea igitur restituta, deterrimam omnium accepit. Et dum illi benignè humaniterque deseruiret, nihil ab ea nisi contumelias maledictaque referebat, verbera quoque interdum excipiens, ne quid ad exercendam ani-

Quædam matrona Alexandrina.

mi te-

mi tolerationem deesset. Inde læta gratias egit Athanasio, quòd eam tandem sibi delegisset concubernalem, cui pro malo bonum, pro iniuria beneficium reddere assuesceret. Nam sic ab illa priore (quoniam mitis & mansueti ingenij erat) officijs fuisse superatam. Sancta ergo ac prudens fœmina, eam sibi conscíuerat sociam, quam non tantùm liberaliter alendo pietatis meritum consequi posset, sed etiam constanter perferendo patientiæ adipisci mercedem. Quota quæque est quæ talem non abdicàsset filiam, qualem ista alienam adoptauit? Quæ cum tali manens, se perditum iri non timeret, qualem ista, vt vberiorem beatitudinem promereri posset, elegit? *Cassian. Coll. 18. cap. 14.*

Scripturarum sententia.

PRAETER hæc iam dicta exempla, operæ pretium est præceptorum quoque idem iubentium meminisse, vt quod rectè ac sapienter factum credimus, auidiùs imitemur. Scriptum in Leuitico est: Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Et in Prouerbijs: Qui dissimulat iniuriam, callidus est. Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas. Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Ne dicas, reddam malum pro malo: expecta Dominum, & liberabit te. In Ecclesiaste quoque dicitur: Cunctis sermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum, ne fortè audias seruum tuum maledicentem tibi. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti alijs. Et in Ecclesiastico: Humilia valdè spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij ignis & vermis. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Tale est & illud Prophetæ in Psalmis: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me. Obmutui & humiliatus sum. Quod vnde assecutus fuerit, alibi confitetur & ait: Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Pax multa diligentibus Legem tuam, & non est illis scandalum. Ac se demum

Leuit. 19.
Prou. 15.
Ibid. 19.
Eccle. 7.
Prou. 26.
Psalm. 38.
Psal. 118.

Digitized by Google

demum talem ostendens: Cum ijs, inquit, qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. In Euangelio quoque clamat Dominus: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Profectò talia ac tanta patientiæ præmia quisquis dignè perpenderit, facilè contemnet omnia, gaudebit in persecutionibus, & contumelias ducet pro delicijs. Et si idem mala etiam, quæ iracundis & impatientibus proposita sunt, considerauerit: tantò remissiùs iniurias perferet, quanto maiore in periculo se intelliget constitutum, cùm præmij amittendi, tum subeundi supplicij. Omnis, inquit, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Quòd si is, qui tantùm verbo offenderit, ad gehennam destinandus sit: quanto magis qui referendo iniuriam facto atque opere læserit? Ideo nempe Paulus Apostolus ad Romanos scribens: Benedicite, inquit, persequẽtibus vos, benedicite & nolite maledicere. Nulli malum pro malo reddentes, sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Idem suo exemplo Corinthios ad patientiam informans atque instituens, ait: Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. Ac hanc eandem virtutem capessendam, Thessalonicenses inuitat, dicens: Patientes estote ad omnes, & videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini inuicem, & in omnes. Ac ne quis aduersantium molestijs carere se glorietur, ad Timotheum, inquit: Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.

Psal. 119. *Matth. 5.* *Rom. 12.* *1. Cor. 4.* *1. Thess. 5.* *2. Tim. 3.*

Digitized by Google

Ex quo potiùs timendum est illis, ne non satis religiosè viuant, quos nemo neque persequitur, neque aliquando persecutus est. Quamobrem idem scribens ad Hebræos,

Hebr. 10. protestatur & ait: Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem. Sic

Act. 14. ipsum & in Actis legimus docentem: Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Proinde Petrus quoque improborum in nos malitiam non

1. *Pet.* 2. tribulationem sed gratiam appellat, dicens: Hęc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniustè. Quæ enim est gratia, si peccantes & colaphizati suffertis? sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. Et si exprobramini in

1. *Pet.* 4. nomine Christi, beati eritis. Satis multa de toleratione iniuriæ: nunc ad illam, quæ dispendij & iacturæ est, accedamus.

De Patientia damni. CAP. III.

RERVM iacturam fortiter feremus, si nihil accidere absque diuino nutu posse crediderimus. Cùm autem ita Dei voluntas fuerit, quis est qui resistat ei? Si peccauimus, vult vt castigati ad pœnitentiam conuertamur. Si non peccauimus, vt sustinendo humilitate proficiamus. Non est ibi querelæ locus, vbi exercendi occasio datur virtutis.

Iob. IOB inter omnes Orientales magnus (vt scribitur) pe-

Iob 1. corum vtique copia & seruorum familiæque nobilitate. At verò his repentè amissis, non solùm inter Orientales, sed etiam Occidentales magnus fuit. Patientia eius in aduersis vbique terrarum prædicatur atque extollitur. Dum autem prosperitatibus frueretur, in patria tantùm notus erat. O verè magnum & omnibus seculis memorandum virum! cùm die vno tot opibus, tot seruis, tot liberis orbatum se cognouisset, corruens in terram Deum adorauit. Et nudus egressus sum, inquit, de vtero matris meæ: nudus illuc reuertar. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

Quia

Digitized by Google

Quia certè vel ab ijs peccare Deo, maius damnum maioremque miseriam esse existimauit, quàm cuncta quæ habuit simul amittere.

EZECHIAS cùm omnes diuitias suas nimis iactanter ostentasset legatis regis Babyloniorum, omnes pariter Babylonem Deo pupiente transferendas audiuit. Cùm ergo tantam iacturam se facturum didicisset, non est turbatus. Sed quia peccauerat, libenter & peccati pœnam admisit, dicens: Bonus sermo Domini quem locutus est, sit tantum pax & veritas in diebus meis. Qua patientiæ humilitate meruit, vt illa regiæ gazæ direptio ad successores suos Ioachim & Sedechiam vsque differretur; quando etiam populus ipse ob delicta ductus est in captiuitatem. Non sensit damnum, qui eo se dignum confessus, animum statim ad sustinendum, parauit. Qui verò sæpe aduersa passi vitam corrigere neglexerant, amissis tandem omnibus, iugum quoque tulere seruitutis. Et qui leuiora malè tolerauerant, grauiora ferre compulsi sunt. *Ezechias rex. 4 Reg. 20*

SIC in Euangelio Geraseni illi porcorum damnum pluris facientes, quàm beneficium quo homines, & quidem ciues ipsorum, à dæmonum læsione liberati fuerant, rogauerunt Iesum, vt inde à finibus suis discederet, & discessit. Indigni quippe erant præsentia ipsa Saluatoris, qui sua magis quam se saluari concupiscebant. *Gerasæi. Matth. 8.*

AT contrà sanctissimi Apostoli cæterique discipuli, vt soli Christo adhærerent, omnia quæ habebant, constanti erectoque animo reliquerunt. Neque Matthæus pecuniosum teloneum dimittere distulit, neque Zachæus dimidium bonorum dare pauperibus, & ijs quibus imposuerat, reddere quadruplum tardauit. Quia multo plus lucri se in vno Iesu facturos confidebant, quàm in omnium quæstu quæ vbique sunt diuitiarum atque opum. Quòd si à posteris quoque nisi in paupertate Christo fideliter seruiri non potuit, cur nos dolebimus aliquo rei familiaris detrimento, ob quod ad Dei cultum efficimur aptiores? Ad quem quisquis conuertitur, fragilium bonorum amissionibus non mouetur, dicente Scriptura: Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit. *Apostoli: Marci 2. Matthæus. Zachæus. Luc. 19. Prou. 12.*

Christus. Luc. 6. PORRO ipse etiam Dominus ad seruandum huiusmodi patientiam nos compellit, dicens: Ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere, & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Noli prohibere, inquit, ne scilicet prohibendo magis irrites raptorem, & illum ad necem tui accendas, cui, ne rem auferat, obsistis, atque idem & tibi ingentioris damni & illi grauioris peccati causa fias. Idcirco etiam ablata postea repeti Dominus vetat, vt potiùs patientia sustinendi, violentum vsurpatorem ad miserandum prouoces, quam vlla repetendi molestia ad iram. Talis præcepti ratio magis elucebit additis eorum exemplis, qui illud, cùm casus tulit, obseruarunt.

Libertinus. IGITVR Fundensis Monasterij Præpositus Libertinus, viam pergens, fortè incidit in quosdam equites Gothos. Cumque equum sibi quo vehebatur abstulissent, etiam flagellum eis porrigere cœpit: Tollite & hoc inquiens, quod vobis ad agendum iumentum vsu erit. Illi verò abeuntes, cùm ad Vulturnum peruenissent, nulla vi equos, vt fluminis vada intrarent, cogere potuerunt, & memores iniuriæ quam Dei seruo intulerant, regressi sunt, vt equum suum sibi restituerent. Sed cùm ipse omnino abnueret recipere, ac diceret, eo sibi opus non esse, inuitum superimposuere, & protinus remeantes, locum vbi priùs substiterant, recto cursu pertransierunt. Quia ergo Libertinus, non modò non repetere ablata, sed nec recipere restituta volebat, recipere meruit vel inuitus. *Gregor. Dialog. lib. 1. cap. 2.*

Monach. Olitor. Eiusdem Monasterij Monachus, cui excolendi hortos cura erat, cernens in eo olera partim pedibus conculcata, partim sublata furto, & reperto aditu quo fur ingredi consueuerat, serpenti præcepit, vt illum custodiret, nec inde nisi iussus decederet. Proh pudor! irrationale animal seruo Dei obediuit, homo damnum irrogare non dubitauit. Fur ergo reuersus cum serpentem conspexisset præ timore se retro ferre voluit, & pede vepribus implicato pronus pependit, donec ab ipso olitore superueniente expeditus fuit. Tum ab eodem amicè admonitus est, ne

Digitized by Google

est, ne vltrà furto tolleret, quod ipse petenti gratuito concessurus esset. Itaque non olerum damno monachus angebatur, sed furantis peccato. Quippe qui illi sic deprehenso nihil se denegaturum quod popoſcisset dixit, & iam pœnas pro delicto soluenti, dum per pedes penderet, incunctanter succurrit. *Ibidem, cap.* 3.

Isaac Solitarius.

ISAAC quoque apud Spoletanam vrbem Solitarius per spiritum præscius fures ad hortum suum venturos, sarcula & rastros ibi apposuit, atque illi cùm noctu hortum ingressi fuissent, instrumentis protinus arreptis, vsque manè nihil aliud agere potuerunt, quàm terram vertere, & herbas infructuosas conuellere, donec Isaac aduenies eis prandium attulit pro opera, insuper exhortans, vt à furto abstinerent. Semper enim quicquid eis opus esset, se libenter indulturum, & tunc primùm omnis generis oleribus oneratos amicè dimisit. Itaque & cùm abesset, à flagitio illos cohibuit, & cùm adesset, rebus donauit; maius damnum reputans proximi peccatum, quàm sui hortuli, quo vitam sustentabat, vastationem. *Ibid. lib.* 3. *cap.* 14.

Quidam Sacerdos & Monachi.

IN Valeriæ prouinciæ partibus, cuiusdam Monasterij greges in proximo stabulabantur. Fur noctu eò accedens, veruece sublato, cùm rediret, quia per cœmiterium transitus erat, super sepulchrum, vbi illis diebus sanctus quidam Sacerdos conditus fuerat, fixis vestigijs hæsit, & neque progredi, neque regredi potuit, nec prædam quam tenebat dimittere, donec facto iam die à monachis deprehensus, peccatum confitens, veniam popoſcit. Illisque orantibus, dimisso veruece, abeundi facultatem impetrauit. Sacerdos ergo ostendit grauem culpam esse furtum, reum viuum ipse mortuus mirabiliter retinendo. Monachi ostenderunt nihil se turbari damno, pro illo deprecando qui damnum inferre venerat. *Ibid. cap.* 22.

Stephanus Presbyter.

TALIS & in Stephano venerabili apud Reatinam ciuitatem Patre patientiæ virtus enituit. Qui cùm ex agello (quem vnicum habebat) messem ad aream congessisset, & quidam bonorum persecutor igne suppositio ignem incendisset, accurenti discipulo ac succlamanti, væ væ

Digitized by Google

Pater Stephane, quid tibi accidit? imò væ illi, inquit, fili, per quem accidit, nam mihi nihil accidit mali. Etenim nihil omnino malum esse arbitrabatur præter peccatum. Itaque illi qui damnum intulerat, indoluit, non sibi qui passus fuerat: cùm præsertim nihil aliud ad victum ei superesset, nisi quòd à Domino nunquam se desertum iri confideret. *Niceph. rer. Roman. lib. 22.*

Medard. Presbyter.

MEDARDVS Presbyter Tornaci Galliæ oppidi vineæ suæ vastatorem vuas collectas exportare frustra conatum, cùm deprehendisset, absoluit, dimisitque illæsum. Alium mella ex aluearijs suppilantem, sed apum aculeis ita affectum, vt inde se mouere non posset, recepto furto pœna liberauit. Quidam etiam milites, qui vicum eius solemniacum deprædauerant, loco pedem efferre, nisi præda omni reddita, non valuerunt. Suarij item illius porcorum gregem procul abigere molientes, cùm nocte tota iter fecissent, mane ibidem vnde recesserant inuenti sunt, & ipse peccatum confitentibus ignouit. Quia ergo semper in eos, qui se incommodo aliquo afficere tentauerant, mitis & clemens extiterat, ab omni prorsus incommodo tutatus est illum Deus, & eundem Episcopum primò Nouiomensem deinde Tornacensem fecit, super multa constituens, quia super pauca fidelem fuisse nouerat. *Sur. Tom. 3.*

Matt. 25. Luc. 19.

Odo Abb.

ODO Cluniacensis Cœnobij Pater, ei qui equum suum noctu abegerat, & in eo sedens die lucescente comprehensus fuerat, cùm nec desilire interim nec discedere quiuisset, veniam petenti indulsit, atque insuper nummos quinque dari iussit, gaudens vtique non quia equum recepisset, sed quòd equi raptorem ad pœnitentiam conuersum cernebat, & iam ab eo Deum timeri, qui priùs contemnere consuesset. *Sur. Tom. 6.*

Hieron. Abb.

D. quoque Hieronymus illos, qui asellum Monasterij furtim abduxerant, & inuiti rursum restituerant, cùm veniam rogatum aduenissent, dimissa offensa, conuiuio excepit; & admonitos, vt suis rebus contenti aliena non appeterent, multa cum benedictione dimisit. At illi, quòd ab eo quem læserant tam benignè accepti fuissent, quotannis

nnis Monasterio eius non paruam olei copiam missita-
unt, vt iam non solùm alieni auidi non essent, sed etiam
ua largirentur. *Euseb. in vita Hieronym.*

ELDVCVS in partibus Britanniæ Abbas Paulo disci- *Elducus Abbas.*
oulo segetis iam matureſcentis delegarat custodiam.
Quo obdormiente, graculorum agmen eò delapsum de-
pascere agrum cœpit, & ille eorum strepitu experrectus,
eisdem in nomine Domini ne auolarent præcepit. Om-
nes ergo non secus atque quadrupedes, ante se agens ad
Monasterium vsque compulit, & admirante atque inter-
rogante Abbate, quid hoc sibi vellet, frumenti se vastato-
res ad illum adduxisse, vt pro culpa punirentur, respon-
dit. Sed Elducus nihil de iactura dolens, illæsas aues pro-
tinus dimitti iussit. Discipulus itaque soliciti custodis
functus est officio: Abbas verò patientiæ præbuit exem-
plum, etiam alitibus parcens, quæ se damno affecerant.

IDEM animus in condonando Mamertini apud Anti- *Mamertinus Abb.*
siodorum Monasterij Sancti Germani Abbatis fuit. Qui
vrsum ad rapiendas oues ventitantem, cùm in laqueos,
quos Monachi terenderant, incidisset, miseratus exoluit
ac dimisit, tantùm iubens, ne vltrà sibi quisque damno
esset. Si ergo Sanctissimi viri bestijs quoque, à quibus re-
rum suarum deductionem factam nouerant, ignoscen-
dum duxerunt, quomodo nos non ignoscemus homini-
bus? *Iacob. de Vorag.*

EVSTACHIVS Romanus aduersis casibus in vita *Eustach. Romanus.*
multum conflictatus & semper superior, ita vt non im-
meritò post beatum Iob alterum patientiæ dicatur ex-
emplar, amissis fortunis, seruis, vxore, liberis, Christum
suum (cuius fidem miraculo edoctus acceperat) nun-
quam dimisit. Qua animi constantia meruit post annos
aliquot (durè miserabiliterque peractos) recuperare quæ
amiserat, vxorem scilicet olim à pyratis auectam, duos
filios, alterum à leone, alterum à lupo raptos: verumque
enim pastores illo inscio feris eripuerant, atque à pueri-
tia ad adultam vsque ætatem educauerant. Demum ipsam
(quam apud Traianum habuerat) militiæ dignitatem,
rursum recepit. Sed maius his omnibus postremò sub

Digitized by Google

Hadriano assecutus est, cum coniuge simul ac liberis Martyrij coronam, vt quos præter spem viuos in terris reperisse lætabatur, cum ijsdem etiam viueret in cælo. *Idem.*

Bernardus Abb. BERNARDVS Clareuallensis Abbas cùm ducenta argenti pondo, sibi ad impensas construendi Monasterij missa, à grassatoribus intercepta fuisse audisset, gratias Deo egisse dicitur, quòd magno se onere leuasset. Tam ergo modicè tulit argenti amissionem, vt eo grauari se putaret, si non amisisset.

Ambros. Episcopus. QVANTVM autem mali metuendum sit ijs, quos peruersa vulgi opinio putat fœlices, quia opibus affluunt, illo exemplo discimus, quo traditum est, Ambrosium Episcopum cùm apud diuitem quendam hospitandi gratia diuertisset, & ille se nihil vnquam in vita aduersi passum iactaret, è vestigio cum suis recessisse, dixisseque, ideo se inde fugere, ne vnà cum homine perpetuis prosperitatibus vso simul pereat. Haud ita procul excesserant, & respicientes, vident ædes illas cum omnibus qui ibi erant terræ hiatu iam absorptas. Quàm ergo melius agitur cum ijs, qui identidem seculi huius premuntur angustijs, vt illic fœlicitatem quærant, vbi casus timeri non possit? *Paulin. in vita Ambros.*

Fœmina. Othilia Virgo. QVANTO igitur fœlicior (vt fœminarum quoque in calamitate patientiam explicemus) Othilia virgo? Hæc apud Bauariam cæca nata fuerat, paternas deinde vix effugerat manus, qui eò processerat insaniæ, vt propter ipsum corporis vitium ei necem intentaret. Illa verò in omnibus quas patiebatur angustijs, Deo gratias agens, meruit tandem & visum recipere, & in gratiam redire patris, & quòd his præstabilius beatitiusque est, in sanctarum Virginum numero computari. *Iacob. de Vorag.*

Elizabeth Vidua. ELIZABETH vidua regia stirpe & Thuringiæ Principis connubio nobilis, defuncto viro, propinquis eius Tetrarchiam occupantibus, cum paruulis liberis eiecta, inops, egens, vaga, ærumnis omnibus obruta, ab ijs quoque in quos olim beneficia contulerat contempta,

Digitized by Google

tempta, ita omnia constanti animo sustinuit, vt ad patrẽ Regem in Pannoniam, cùm accersiretur, redire nollet, ne patientiam & humilitatem, quam in miseris inuenerat, inter regales delitias amitteret, vnamquamque animi virtutem thesauris omnibus habens cariorem. Nos quoque talibus instructi exemplis iacturam omnem præsentium bonorum fortiter constanterque feramus, vt huiusce perlationis merito ad illa tandem vera & æterna bona possimus peruenire. *Conrad. in vit. Elisab.*

De Patientia ægrotationis.
CAP. IV.

ADVERSAS etiam valetudines, quoties in has inciderimus, æquo animo ferre, virtutis lucrum erit. Languente enim corpore, animi vigor in cõtemnendis voluptatibus roboratur, iuxta illud Apostoli dictum: Cùm infirmor, tunc fortior sum. Quòd si corporeæ infirmitati quicquam inesset mali, hanc Sanctis suis Deus contingere non permitteret. Permittit autem, vt efficiat sanctiores. *2. Cor. 12.*

ISAAC itaque ab illo benedictus, & dum inter alienigenas non sine magno vitæ discrimine peregrinaretur, semper protectus, cùm senuisset, oculis captus est, intantum vt ne oculis quidem quos genuerat, dignosceret. Et bene hoc cessit illi, quoniã per cæcitatis errorem ad posteritatis suæ felicitatem à Deo promissam peruenit. Dilexerat Esau, sed benedixit Iacob. Et cùm se deceptum resciuisset, non irritam fecit benedictionem, quia iam prophetiæ spiritu repletus, videre mente cœperat, quæ oculis perspici nequeunt, futurorum arcana. Illumque dominum constituit fratrum suorum, cuius propaginem in Christo claudendam cognouit. *Gen. 26. & 27.* *Genes. 26. & 27.*

IACOB quoque, cùm & ipse corpore ægroto visuque per ætatem caligante, nihil fermè cerneret, vidit tamen quem ex duobus filijs filij sui Ioseph, alteri præferret. Vtrique enim benedicturus cancellatis brachijs dextram capiti eius imposuit, qui finistræ adstiterat. Ei verò qui dextræ se obtulerat, porrexit læuam. Lippientibus ocu- *Iacob. Genes. 48.*

Digitized by Google

lis prospexit, quod prospicere non potuit qui habebat sanus. Nempe Ioseph dexteram eius apprehensam super Manassen transferre frustra conatus, ab eodem audiuit: Quia Ephraim Manassen maior erit, licet Manasses natu prior esset. Idem Iacob suis postremò filijs conuocatis, certissimo vaticinio prædixit, quæ singulis olim euentura erant, vt intelligas, oculorum hebetudinem spiritus
Matth. 5. acumini nihil officere. Nequeenim qui mundis oculis, sed qui mundo corde sunt Deum videbunt.

Samson. Iudic. 15. SAMSONI fortitudinem non minuit cæcitas, multoque plures hostium occidit erutis oculis, quàm antè integris occiderat. Tu quoque quem corporis visus destituit, mentis fortitudinem excita, bono animo esto, iam
Ierem. 9. securior irruentes in te vitiorum cuneos excipies clausis obturatisque fenestris, per quas mors ingredi ad animã solet.

Tobias. Tobiæ 2. TOBIAE viro tum in Deum pietate, tum solicitudine in pauperes claro, dum resupinus obdormisset, stercus de nidulo hirundinum cadens oculos excæcauit, & nihil eo contristatus dicitur, sed gratias egisse Deo, pristinæque religiositatis ardorem accendisse magis quàm restinxisse. Ob quam patiẽtiam anno à cæcitate sua quarto visum recipere Angeli ministerio meruit, & rursum gratias Deo agens: Ipse, inquit, castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos propter misericordiam suam. Qui sic castigatus, sic se humiliauerit, & ipse visũ recipiet, non quo mundus sed quo mundi Dominus conspicitur, visum vtique mentis & spiritus.

Iacob. Genes. 32. ALIAM præterea ipsius Iacob imbecillitatem hoc loco commemorabimus, vt simul & patientiam ostendamus. Cum Angelo luctatus, & ab eo in femore tactus, torpescente neruo claudicauit. Sed pedum vitium non sensit, dum mentis aciem in Deum dirigit. Nusquam quæritur de femore debilitato, & statim post luctam, vidisse se Dominum facie ad faciem gloriatur. Vnde illi nomen Israel, id est, Deum vidẽs, inditur. Nequaquam illud malum putauit, quod se à colloquijs diuinis non arcebat: ideo nec lamentari voluit.

MIPHI-

Digitized by Google

MIPHIBOSETH Ionathæ filius, deleta Saulis domo, solus superfuit, quia vtroque pede claudus non potuit interesse bello, quo ceciderunt fortes Israel. Insuper auitos agros solus possedit, & regis Dauid mensæ particeps fuit. Tantum ergo illi pedum ægritudo contulit, vt & diutiùs & feliciùs viueret, fortassè vnà cum alijs occubiturus, si sanos pedes habuisset. Cùm ergo huiuscemodi valetudo plus prodesse possit quàm obsit, æquo animo tolerari debet, si euenerit. *Miphibos. 2. Reg. 9.*

SED arguet aliquis, hunc ipsum Miphiboseth, eo quòd claudus erat, à Siba seruo contemptum ludibrioque habitum, quippe qui ipso relicto fugiens, falsa ad regẽ delatione possessionum eius partem intercepit. Respondebimus; multos etiam qui nunquam claudicauerant, dolis atque perfidia seruorum deperisse. Itaque neque isti sua pedum imbecillitas detrimento fuit, sed nequitia serui, quem fugientem fortasse peremissit, si consequi potuisset; innocentior fuit, quia ingredi nequiuit. Multò autem satius est, debiles pedes habere, quàm manus cruentas.

IOB ipse nõ tantùm pedibus, aut manibus, aut aliquo membrorum æger erat, sed toto prorsus corpore tabidus atque putridus, & à planta pedis vsque ad verticem fœdissimis vlceribus confectus. Testa saniem radebat, iacebatque in sterquilinio, magis etiam dolendi causas habens, quòd paulò antè omnem substantiam (cùm opulentissimus esset) vnà cum liberis amiserat, nec tamen cogi vnquam potuit, vt saltem labijs peccaret. Vxor iacẽti assidebat, non quæ consolaretur afflictũ, sed petulantia sua grauiùs exasperaret. Namq; tantarum impatiẽs ærumnarum iubebat, vt iã in suam ille necem maledictis Deum prouocaret. At verò Iob non ignarus, longè maiorem esse miseriã, Deo peccare, quã ista pati, in ipsam indignatus: Quasi, inquit, vna de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare nõ sustineamus? Affligens me dolore non parcat, nec contradicã sermonibus sancti. Meritò igitur post tot aduersa talẽq; patientiam duplicia dicitur recepisse, cæteris felicior futurus, *Iob. 2.*

Digitized by Google

turus, qui dum viueret, miserior existimabatur. *In libro Iob.*

Ezechias rex. 4. Re. 20. Eccle. 38.

EZECHIAS rex ægrotauit vsque ad mortem, sed cum orasset, factꝰ est sibijpsi superstes. Ita & tu in tua infirmitate (vt Ecclesiasticus inquit) ora Dominum, & curabit te. Sed & hoc diligenter attende, quantum interfuerit inter ægrotantem & sanitatem: dum langueret, expers delicti fuit, mox vt conualuit, iactantiæ crimen incurrit, ostentans alienis diuitias suas, quas æger contempserat. Nec leuis culpa fuit, ob quam illas ad alienos quoq; trãsferendas audiuit. Nobis ergo, si meminerimus, quanto ad peccandum propensiores existant, qui corpore sunt, minus molesta erit infirmitas.

Christus. Matth. 7.

ORANDVM autem esse pro infirmo & Dominus docuit, suspiciens in cælum, cum surdum ac mutum hominem curare vellet, nec solùm suspexit, sed etiam ingemuit, vt precaturi mentem simul cum oculis ad Deum dirigere discant. Paralytico, priusquam sanitatem concederet, peccata dimisit, vt quia propter peccatũ in morbum inciderat, submota causa cessaret effectus. Ex quo sanè datur intelligi, ægritudinem quandoque delicti pœnam esse. Quod si per pœnitentiam & confessionem deletum fuerit, reliquum est vt æger conualescat. Itaq; semper curandum, vt ante animæ nostræ remedia adhibeat Sacerdos, quàm corpori medicus; vt etiam si alia de causa quàm ob delictum malè affecti fuerimus, & morbus curari nequiuerit, magis securi vitæ huius finem expectemus. Ne mors quidem grauis erit vitam meliorem sperantibus. Morbo autem liberatis, magnoperè cauendum est, ne veluti canes ad vomitum reuertamur. Ait enim:

Marci 2. Luc. 5.

Ioan. 5.

Ecce sanus factus es, iam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat: AEquum quippe est, vt qui accepto sanitatis beneficio rursum delinquit, grauiùs puniatur.

Paulus Apostol. Actor. 9. 2. Cor. 11.

PAVLVS post triduanam cæcitatem, ita se correxit, vt de persecutore Apostolus fieret. Percusserat eum Dominus vt sanaret, & ille sanatus tantum profecit virtute, vt omnia ardua, dura, acerba, contumeliæ, verberationis, vitæ-

itæque periculi plena non inuitus subiret pro Christo,
rigus, famem, gladium iuxta contemnens, &: Libenter,
nquit, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in *Ibid. 12.*
ne virtus Christi, &: Cum infirmor, tunc potens sum,
&: Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamē *Ibid. 4.*
s qui intus est, momentaneum & leue tribulationis no-
træ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pon-
lus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ
videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, tē-
poralia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Sci- *2. Cor. 5.*
mus enim quoniam si terrestris domus nostra huius ha-
bitationis dissoluatur, quòd ædificationem à Deo habe-
mus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. His
Apostoli documentis patientiam nostram muniamus, &
eiusdem exemplo, quicquid euenerit, non modò constā-
ter, verum etiam alacriter perferemus.

IN Vedasti Atrebatensis Episcopi vita legimus, cùm *Vedastus Episcop.*
corpus eius de loco, vbi olim positum fuerat, transferre-
tur: quendam cæcum Episcopum, cui Audomaro nomen
fuit, expetijsse, vt videret Sancti ossa, & illico visum re-
cepisse. Deinde cū rursum orasset, vt si ea res animæ suæ
saluti minus conduceret, rediret infirmitas, iteratò ocu-
lis captum fuisse. O prudens votum, singularemque cæci
patientiam! qui ne tunc quidem cernendi copiam postu-
lasset, nisi tam pij desiderij causam incepisset. Ideoque
Sancti corpore viso, ad cæcitatem suam reuerti maluit,
quam ad ea, quæ ante cæcitatem fortè se commisisse reco-
lebat. Contempsit oculos, vt innocentiùs viueret: & in-
nocentiùs victurum obtucti denuò oculi fidem fecere.
Sur. Tom. 3.

PETRVS quoque Abbas Clareuallensis, quadam gra- *Petrus Abbas.*
ui valetudine grauatus, oculum amisit, & se gaudere di-
xit, quòd è duobus inimicis alterius molestia iam liber
esset. Argumento est, magis etiam gaudendum illis qui
vtroque orbantur. Et cur enim non se consolari habeant
qui ambobus carent, cùm non sit eis opus ad Deum cla-
mitare cum Propheta: Domine, auerte oculos meos ne *Psal. 119.*
videant vanitatem. Qui si illos vel auertere per se po-
tuisset,

Digitized by Google

tuisset, vel omninò non habuisset, neque adulterij neque homicidij crimine se polluisset.

Pygmeni' Presbyter

AEQVO animo ferebat & Pygmenius Presbyter Romanus quòd oculis captus esset, nequando illi inimicos Ecclesię Christianæ aspicere contingeret. Vnde Iulianus Apostata Imperator, cùm fortè ipsi occurrisset, deridiculi causa: Gratias, inquit, ago Dijs, ò Pygmeni, quòd te video. Econtra ille: Gratias Deo meo ago, respondit, quòd te non video. Tam igitur forti animo cæcitatem pertulit, quàm tyrannum contempsit. Dehinc Martyrij corona donatus, videre cœpit, quæ oculus non vidit: & audire, quæ auris non audiuit: & intelligere, quę in cor hominis non ascenderunt. Et nos (proh nefas!) cæcitatem horremus, cùm tantam beatitudinem & cæci cernere possint, & qui in offensos oculos habent, difficiliùs assequi soleant. *Beda in Martyrolog.*

2. Cor. 2.

Maiolus abbas.

MAIOLVS Cluniacensis Monasterij Monachus cæcus erat, & tamen sapientiæ ac sanctitatis merito factus est Abbas Maticensis. Nec sua ipsi obstitit cæcitas, quin alios cæcos curaret, surdos insuper mutosque & claudos sanauit, proculdubio sanaturus & seipsum, nisi multò plus emoluměti ac fructus percipere se sciret ex eiusmodi imbecillitatis tolerationę atque patiętia. Itaque cæcus quidem vixit, sed miraculorum fama videntibus illustrior fuit. *Sur. Tom. 3.*

Vbaldus Episc.

AD Vbaldum Eugubinæ vrbis Episcopum (quoniam & ipse miraculis polleba:) cæcum quendam venisse legimus, opemque implorasse, & ab eodem illi perfuasum, ne visum sibi restitui expeteret quia eo restituto animæ cęcitatem esset passurus. Itaque incuratum dimissum. Cósolentur se hoc saltem exemplo, qui videre desierunt, ignari si sani essent, quam continentes oculos forent habituri. Noluit cæco mederi Vbaldus, ne corpori subuenięs, animæ faceret detrimentum. *Steph. Cremonens.*

Spes Abbas.

ET Spem Abbatem virum sanctimoniæ fama celebré, oculis captum fuisse, in Dialogo Pontificis Maximi Gregorij traditum est. Sed eundem quadragesimo tandé anno visu diuinitus recuperasse, audisseq; sibi dictum, vt pro-

Digitized by Google

próxima monasteria inuisere pergeret, & fratribus perfectiùs viuendi præcepta daret, ipse propediem decessurus. Itaque eo perfunctum officio, postquã ad suos rediit, in Fratrum cœtu psallentem expirasse. Tunc ergo videre cœpit, cũ è vita egredi oportuit, vt palàm esset, cæcitatẽ illam non culpæ fuisse, sed probationis, qua auctum est per patientiæ virtutem vitæ meritum. Ab ore morientis columbam exisse, & ad cœlum euolasse visam ferũt. Columbæ igitur puritate interiùs totus nituit, qui oculis tãtùm exteriùs orbus fuit. *Greg. Dial. l. 4. c. 10.*

Didymus Alexandrinus.

De Didymo Alexandrino testatur Hieronymus, qui eius auditor fuit, quòd à parua ætate oculis captus, & ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum sui omnibus præbuit, vt Dialecticam & Geometriam (quæ vel maximè visu indiget) vsque ad perfectum didicerit. Addit etiam plurima opera ab eo nobilia scripta, Commentarios in Psalmos omnes, Commentarios in Euangelium Matthæi & Ioannis, de Dogmatibus contra Arrianos libros duos, de Spiritu sancto librum vnum, in Isaiã decem, in Osee octo, in Zachariam quinque, & infinita alia, quæ digerere proprium indicis est. Quòd si tãta nosse cæcus potuit, apparet ne in discẽdo quidem oculis admodum opus esse. Quinimò plerumque videmus, magis docile ingenium tenacioremque memoriam cæcorum hominum esse, quàm cernentium, & eo plus menti eorũ datum, quo oculis minus. Conceptus enim & imaginatio, & ipsa rerum reminiscentia totam se penitùs ad animam colligit, firmiterque inhæret, dum foras per varia visus obiecta nequit euagari. Ita fit, vt hac quoq; de causa cæcitas nobis tolerabilior esse debeat, si acciderit. *Hier. de viris illustrib.*

Gregorius PP.

Reliquarum quoq; infirmitatum fortia perquiramus exẽpla. Gregorio Pont. quòd pro Traiano infideli Imperatore Deũ deprecari ausus esset, pœnæ nomine hãc optionem datã perhibent, vt siue quãdiu viueret, magnis assiduè languoribus agitaretur, siue cùm defunctus fuerit, bidui spacio ignem Purgatorij sustineret, & elegisse languores, constanterq; pertulisse. At nos grauioribus quidem

dem obnoxij delictis,& nullo virtutis genere cum hoc Sancto conferendi,quoties morbo aliquo afficimur, indignamur: Vt scilicet post hæc leuia,quæ impatienter ferimus,nec illa tanto atrociora deuitemus. Neque enim indignando peccata minui solent,sed cumulari. Qui autem libenter corporis mala tolerat, ad expiationē spiritus proficit. *Greg. Dial. lib. 2. cap. 44.*

Aegidius solitarius.

PROINDE Aegidius ad Rhodani ostia solitarius,cū à venatoribus sagitta in incertum missa inter siluas latentem sauciasset,non modò medicinam corpori admittere noluit,sed etiam ad Dominum orauit,nequando læsa caro sanitatem reciperet. Parum erat solitudinis necessitatem ferre,quotidianas vigilandi,precandi,ieiunandi,fatigationes pati,vulnus insuper quasi diuinitus inflictum manere voluit incuratum,vt additus corpori dolor, ab animo procul arceret voluptatis cogitationes. *Fulbert. Carnotens.*

Stephanus Anachoreta.

STEPHANVS verò Mareotidis regionis Anachoreta, cùm verendas corporis partes exulceratas taboque diffluentes haberet,curationem quidem non recusauit, sed dum curatur maioris patientiæ præbuit exemplum, desectiones à Chirurgo passus nullo emisso eiulatu, nullo edito gemitu,ac si omninò doloris vim non sentiret. Adhæc eiusmodi ægritudine affectus,non intermisit manuū laborem,de palmarum foliis funiculos contorquens,nó spiritalis exhortationis curam,semper eorum, qui in eo ad se conueniissent,saluti consulens. Ita magnam languoris molestiam, maiore virtutum meditatione vincebat, animo etiam fortior,quàm corpore debilior. *Hist. Trip. lib. 8. cap. 1. Pallad. Hist. 30.*

Beniamin Eremita.

BENIAMIN Eremita aquæ intercutis morbo vehementer laborabat. Ac ne hoc illi ob delicta datum crederes,alios infirmos oratione sola curauit. Eis verò qui infirmitatem eius miserabantur,è diuerso supplicare solebat, ne corporis sui sed animæ curam haberent, veniamque à Domino sibi exorarent peccatorum,quæ dum sanus esset,se commisisse aiebat: Ita quòd peccator foret, plurimum angebatur: quòd æger,nihil. *Hist. Trip. l. 8. c. 1.*

PAV-

Digitized by Google

PAVLVS quoque solitudinis quondam (quæ Panephi Aegypti oppido adiacet,) cultor, resolutis (vt Cassianus tradit) paralysi membris, in lectulo decumbens cæteris, qui ægrotabãt, sanitati erat. Oleo. n. cui ipse benedictionẽ imposuisset, perũcti curabãtur. Qua quidẽ in re ostendere nobis voluit Dominus, quantũ ille & fortis esset in patiendo, & pius in miserando. Idem enim qui pro sua valetudine nihil solicitus videbatur, pro aliena anxius erat, & præsentaneum omnibus remediũ cõferebat. *Cassian. Cap. 7. cap. 26.* *Paulus solitarius.*

DE Seruulo mendico in Homilijs & in Dialogo Gregorij relatum est, quòd toto vitæ tempore paralysi laborarit, ita vt in lectica iacens mouere se omnino non posset, semper tamen in doloris accessionibus Deo gratias agere, Hymnos decantare, & concitatiore quodam quasi stimulis actus spiritu, aliquid de Scripturis, quod non legendo sed audiendo didicerat, recitare. Meritò ergò moriens Angelorum cantus audiuit, meritò mortuus odore suauissimo fragrauit. Quibus indicijs consideratum est, quantam illi beatitudinem æquanimiter tolerata infirmitas attulisset, quãtum iam felix esset, qui dum viueret, tam miser ac miserabilis putabatur. *Greg. Dial. lib. 4. cap. 14. & Hom. 5. in Euang.* *Seruulus mendicus.*

DVNSTANVS ante morbum ab Elphego Ventano Episcopo necessario suo, nullis hortatibus, vt monachum profiteretur, compelli poterat. At verò febre correptus, mox vt conualuit, vltro ad Monasterium properauit, & Religioni se addixit, multaque vitæ sanctitudine pollere cœpit, breui Presbyter factus, atque ad Cantuariensem Ecclesiam regendam accitus, pontificia quoque dignitate effulsit, multis denique miraculorum signis nobilitatus fuit. Ieaque tantum illi aliquando ægrotasse profuit, quãtum, si semper sanus perseueraret, fortasse nocuisset. *Sur. Tom. 3.* *Dunstan. Episc.*

Ipse etiam nunquam satis laudatus Franciscus non antè cepit esse perfectus, quàm grauissimâ corporis valetudinem incurrisset. Vigesimo ætatis suæ anno infirmatus didicit terrena contemnere, quæ sanus dilexerat. *Francisc.*

Digitized by Google

Aeger soli Deo seruiendum esse intellexit, qui antehac sanus auaritiæ seruierat, dum negotiationibus operam daret: & quisquam infirmitatem incusare audet, quæ tantum gignat boni? Quod autem in plerisque non eundem sortiatur euentum, non hoc eius vitio fit, sed ipsorum qui sanati sic vitam suam instituere negligunt, vt dum ægrotarent, promiserunt. *Bonauent. cap. 1.*

Sergius. SERGIVS Senogalliæ Princeps, elephantico morbo diuinitus liberatus, omnia quæ habuit partim Ecclesiæ, partim pauperibus erogauit, & relictis omnibus soli Deo humilis & egenus toto animi affectu seruire cœpit. Compulerat enim sua ipsum infirmitas humani generis conditionem altiùs considerare, & deprehendit, nihil prodesse homini terrenum dominatum, atque illum, vbi conualuit, deseruit, cœlestia tantùm quærens & æterna. Non abs re igitur in Ecclesiastico scriptum est: Infirmitas grauis sobriam facit animam. *Eccle. 31.*

Marcelli nus Episc. MARCELLINI Anconitani Episcopi sanctitatem haud impediuit podagræ morbus, quippe qui in manibus gestatus alienis, vbis incendium ex aduerso se obijciens de repente cessare fecit, tam potens virtute, cùm pedibus tam debilis esset. Hinc nos quoties imbecillitate aliqua superati vestigijs insistere minus valuerimus, meminisse debemus, ob hoc nobis terram calcandam denegari, vt cœlum mente conscendamus: nec dubitemus, breuis infirmitatis nostræ patientiam æternæ illic incolumitatis beatitudine compensandam. *Greg. Dial. lib. 1. cap. 6.*

Thomas Archiepisc. IN vita Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi memoriæ proditum est, quendam acquirendæ valetudinis gratia ad sepulchrum eius accessisse, & voti compotem factum, dum rediret, secum quærere cœpisse, sanitas ne corporis, an imbecillitas, ad animæ salutem magis cessura esset: & rursum Sancti aram repetisse, oraſseque, vt quod sibi ad beatitudinem adipiscendam accommodatius esset, id eueniret, ac statim eodem implicitum fuisse morbo. *2. Cor. 12.* Virtus ergo (vt Apostolus inquit) non in sanitate sed infirmitate perficitur. *Iacob. de Vorag.*

Feminæ. NVNC debilioris quidem sexus, nec tamen debiliora exem-

exempla cõtemplemur. Agatha Virgo & Martyr, cum illi post multos cruciatus mamillam à pectore auulsisset tyrannus, quoniam fidem non poterat, & Petrus Apostolus eam curaturus in carcere apparuisset, Chirurgum aliquem ad se venisse rata, detrectabat medicinam, dicens, nunquam se pharmaca corpori admisisse, sed illius medici opera semper vsam, qui solo verbo omnem infirmitatem curaret. Hunc autem esse Dominum Iesum. Tunc Petrus, Apost. se eius esse, & ab eodẽ ad illã missum indicans, euanuit, ipsa sana relicta. Non hoc dicimus, vt infirma Virgo medicamentũ respuat, sed semper spem omnẽ in Christo collocet, semper soli gratias agat: hoc in ægra, patiẽtiæ, in sanata, gratitudinis testimoniũ erit. *Sur. To.* 1. *Agatha Virgo.*

Quamuis Syluania quoque Ruffini Alexandriæ Præfecti soror, Deoque dicata Virgo, cùm malè haberet, medicis consulentibus balnea adire noluit: hoc tamen, non medelam contemnens, sed mollitiem cauẽs, quippe quæ per annos sexaginta neque vultum neque pedes lauisse dicitur, neque aliam corporis partẽ præter summos manuum digitos, cùm capere vellet cibum, non aliud ad cubandum lectulum habuisse, quàm nudam humum. Cogita nunc, qualiter infirmitatem tulerit, quæ talia, dum sana esset, sua sponte, vt Christo placeret, tulit. *Pallad. Hist.* 142. *Syluania Virgo.*

Paula Romana cùm febri laboraret, & stomachi eruditate cibum non digereret, vt modico vino vteretur, nec medicorum placitis nec religiosorum suasionibus compelli potuit, nolens ab instituto vitæ monasticæ ne in ægritudine quidem declinare. Multo enim tempore aquam bibens, magis expauit vini gustum, quàm infirmitatis periculum, neque tanti fecit sanitatem, vt eius recuperandæ gratia spiritalis continentiæ modum, quem ad illam vsque diem perpetuò seruauerat, intermitteret. *Hier. Epist. Si cuncta.* *Paula Virgo.*

Galla & ipsa Romana Symmachi Consularis viri filia, cùm intra puellares annos marito viduata ægrotaret, corpore toto in tabificam scabredinẽ verso medicis affirmantibus nisi iteraret matrimonium, vel moriturã *Galla vidua.*

eo morbo, vel mentum pilosum, veluti vir, habituram neglexit medicorum consilium, & omnia perpeti maluit, quam ad coniugium redire; ad quod repetendum, si sana extitisset, fortasse nemine hortante solus iuuenilis ætatis ardor eam compulisset. Aegra didicit optare meliora: itaque vt optata possideret, omne carnis detrimentum pro nihilo duxit. Mammillam deinde vlceribus affectam ita tolerauit, vt iam morti proxima, apparente sibi beato Petro Apostolo, vt non curaretur rogarit, sed an sibi peccata sua condonata essent quæsierit. Quæ dimissa esse audiens, multo plus ex hoc consolationis cepit, quã ex ægrotatione ceperat doloris. Si sic animæ curam gesserimus, omnis aduersa corporis valetudo tolerabilis erit. *Greg. Dial. lib. 4. cap. 13.*

Elizabeth

QVOD quidem etiam Elizabeth de Sconaugia Deo dicatę Virginis probatur exemplo. Quę (vt Sigebertus scribit) toto corpore vlceribus contabefacto iacens, nunquã ob hoc aliquam animi tristitiam vultu prætulit, multas interim futurorum reuelationes accepit, acceptasque prodidit, vt facilè dixerim, & ideo sanctam fuisse quia patiens erat, & ideo patientem, quia sancta. *Ecbertus & alij.*

Clara Virgo.

SIC & Clara Virgo, cùm languente corpore semota in lectulo decubaret, mentis oculis cernebat, quæ procul in Ecclesia agerentur, & ea deinde reuersis ad sesororibus (magna cum omnium admiratione) referebat. Nihil itaque illi obfuit fracti corporis ægritudo, cùm tantum animo valeret. *Sur. Tom. 4.*

Aplaides Virgo.

APLAIDEM quoque Virginem toto corpore sanniosam apud Tudotum Gallię vrbem fuisse constat, tantæ tamen apud Deum gratiæ ac meriti, vt per annos multos infirma nullo alio cibo vixerit, præterquam Sacrosanctę Eucharistiæ pane, in spiritu rapta damnatorũ pœnas beatorumque gloriam viderit quæque diuersis per orbẽ locis agerentur sciuerit, atque interdum futura prædixerit. Si tot ac tanta cum languore possunt venire bona, quis illi præferre audet sanitatem? quæ si præferenda esset, haud dubium quin diutissimè illa perfrui Sanctos suos Deus con-

Digitized by Google

ōcederet, nec ita frequēs apud eos esset ægrotationi loc'

QVANTVM verò ad seruādum sanctæ castitatis propositum conferre soleat ipse corporis languor, atque infirmitas, Petrus Apostolus documento est. Qui Tito discipulo interroganti, cur Petronillam filiam suam diuius ægrotare pateretur, cùm alijs malè affectis repentè sanitatem induceret? ita illi expedire, respondit. Ac ne dissimulare impossibilitatē videretur, iussit eā surgere, & ipsis discumbentibus ministrare. Exurrexit sana, & vt perfuncta est officio, rursum patris iussu ad lectulum pariter ac morbum redijt. Aegrotando igitur didicit Virginitatis amare puritatem, ita vt postea sanata mori præoptaret, quàm Flacco Prætori nubere. Quare non modò patienter ferenda ægritudo est, verùm etiam appetenda, quoties intimis in medullis concitatus ardor iuuenilia occupat membra, venasque succendens ad turpem libidinem illicitasque prouocat voluptates. *Marcell. ad Aloysium.* *Petronilla Virgo.*

HANC siquidem appetit, & valde appetijt Angadrisina Virgo, quæ à patre desponsata, pro tutanda Virginitate Deum orauit, atque hinc lepræ morbo deformatam exhorruit sponsus, qui sanam antè adamauerat, intactāque repudiauit. Neque illa quicquam pensi fecit tam acre malum, dum multo mallet castè viuere, quàm sana. Ne tamen morbi huius causa in ambiguo esset, vt primū professa est religionem, sana euasit. Ita palàm factum est, ideo fuisse leprosā, ne esset corrupta. Et ne plura huiusce patientiæ exempla enumerare longū sit, hac tādē breui sententiola partem istam concludamus: Nullam esse tam grauem infirmitatem, nullam tam vastam horrendamq; calamitatem, quæ non æquo animo perferetur, si æterna cogitabimus. *Sur. Tom. 1. in vita S. Ausberti.* *Angadrisina Virg.* *Petr. de Natalib.*

De Patientia Martyrum sexus virilis
CAP. V.

AETERNA ac cœlestia secum meditando fortissimi Christi milites (vt postremò de Martyrij patiētia disseramus) omnia tormentorum genera faci-

Digitized by Google

lè contemſere. Non ſunt enim condignæ paſſiones hui' temporis (vt Apoſtolus inquit) ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Rom. 8.

Prophetæ. PRIMI Veteris Legis Martyres Prophetæ fuerunt, de quibus Micheas in maxillam percutitur, & in carcerem truditur, Vrias interficitur, Ieremias carcere & verbera patitur, in lacum cœni per ludibrium iactatus luratur, poſtremò lapidibus obruitur: Iſaias in duas partes viuens ſecatur. Dum enim miſſi à Domino veritatem prædicarent, ſæuiſſimorum Principum vim atque minas pro nihilo habuerunt.

Micheas. *Vrias.* 3. Reg. 22. *Ieremias.* Iere. 20. *Iſaias.* *Daniel*, 3. & 6.

DEINDE Sidrach, Miſach & Abdenago pueri, ætatem animi magnitudine ſupergreſſi, cùm regis Nabuchodonoſor ſtatuam adorare nollent, in fornacem ardentem proijciuntur, & inter furentes flammarum globos laudes Deo decantant. Daniel leonibus deuorandus datur. Sed nec illos aduſſit ignis, neque hunc leones attigerunt, vt omnibus manifeſtum fieret, veræ religionis virtutē potentiſſimo tyrāno fortiorem eſſe, & fideles, niſi Deo permittente, nulla vi occidi poſſe.

Sidrach. *Miſach.* *Abden.* *Daniel.*

Iudæi. Poſt hæc Antiocho Epiphane Ieroſolymam vaſtante, idolum deſolationis ſuper altare Dei poſitum multi ex Iudæis nolentes adorare trucidati ſunt. Pueri qui circumciſione deprehendebantur, ſuſpendio interempti, & qui cibis immundis abſtinuerant, necitraditi. Quidam qui ſe priùs armis defenderant, deinde ab inuadentibus die Sabbati ad vnum ferè cæſi ſunt. Etenim ne diuinæ Legis mādato derogarent, ea die repugnare nefas eſſe duxerunt.

1. Mac. 1. 1. Mac. 2. 1. Mac. 6.

Duæ mulieres, quæ filios circumciderant, cum ipſis infantibus ad vbera alligatis miſſæ in præceps. Plerique quia Sabbatum obſeruarent, flammis exuſti. Adeò hi omnes mori minùs timuerunt, quàm præuaricari.

Eleazar, Scriba. 2. Mac. 6.

ELEAZARVS Scriba, & ipſe ſacrarum Legum ſeruator aſſiduus, interimi quidem potuit, vt autem porcinam guſtaret, cogi non potuit, præferens vitæ ſuæ diuini ritus fidem. Et cū amici aliam carnem, qua veſci ſolebat, ſupponerent, volentes eum fuberahere neci, non eis acquieuit, nolens hac ſimulatione ſe ſeruare, & alios perdere, præ-

Digitized by Google

præuaricationis exemplo qui putassent ipsum cibo Lege vetito vsum fuisse. Forti itaque animo cædentium ictus pertulit, vt ad eosdem constanter tolerandos fidelem populum animaret haud ignarus, multo glorioſius esse, Deo obediendo mori, quàm obsequendo infideli tyranno, viuere.

SEPTEM verò fratres, septem in Apocalypsi Ecclesiarum typus, multo atrocioribus tormentis conficiuntur cum matre, quia maior persecutio in Ecclesiam quàm in Synagogam sæuitura erat. Igitur respuentes cibum Lege vetitum, supplicia constanter sustinuerunt, & quidem alius post alium, vt prioris pœna cæteris cernentibus terrori esset, sed nequaquam territi sunt. Itaque vice cuiusque seruata, linguas omnibus amputarũt, capita cute decaluauerunt, manus pedesque præciderunt, & sic trunca corpora super ignitam fartaginem torrẽdo consumpserunt. Mater deinde quæ non fleuerat filios, sed ad patientiam iam hortata fuerat, iam de illorum victorijs læta, mortem alacriter subijt, & quos tũc tam acerbos cruciatus tolerare vidit, nunc vna secum in æternæ beatitudinis regno triumphantes cernit, tanto facta est post ærumnas felicior, quantò in perferendo extitit constantior. *Septẽ fratres cum matre habẽt.* *2. Mac. 7.*

NEQVE te, Rasia, vir non solùm castitate (quæ rara in Iudaismo erat) sed etiam fide præstantissime, hoc loco præteribimus. In quo vno impijssimus Nicanor omnes reliquos se superaturum sperauit. At tu, cùm iam vndiq; circundatus effugere non posses, vt doceres te non timere necem, sed magis religionis ab infidelibus ridendæ ludibrium, Spiritus sancti instinctu tibi ipsi mortem consciuisti, ferro te feriẽs, & de arduo loco in præceps mittens, & erumpentia viscera manibus proprijs direpta in turbam proijciens, ac Deum tuum inuocans, vt illa tibi iterum redderet, futura Resurrectionis spe certissima ipse stabilitus. O incredibilẽ animi tui fortitudinẽ! Terruisti tyrannum, nihil vitæ tuæ parcens, dum Dei cõsulis honori. Sensit inimicus se ab vno vinci, qui te vno victo, cæteros facilè in suam erroris sentẽtiam se tracturũ credidit. Ostendisti te etiam grauiora pro nomine cœlestis *Rasiæ.* *2. Mac. 14*

regis pati posse, quàm fortasse terrenus omnium immanissimus inferre cogitabat. Felix qui tali priuilegio dotari meruisti, vt in perferendo Martyrio, ad confusionem inimici, tua in te vtereris manu, quod paucis admodum concessum aliquando fuisse nouimus: & quod alijs imputaretur ad peccatum, tibi versum est ad gloriam. Nam cũ omnibus præceptum sit: Nõ occides: tibi dispensatũ est, vt te percuteres, & vinceres occidendo te & viueres.

Exod. 20.

Ioannes Baptista. Matt. 11. Luc. 3.

HAEC de veteribus, ad noua veniamus. Ioannes præcursor Domini, & plus quam Propheta, & quo non surrexit maior inter natos mulierum, Herodis Antipæ iussu in gratiam adulteræ carceri mancipatur, obtruncaturq; ac medius inter Legem & Euangelium, huius initium, illius finem sanguine suo consecrat.

Iesus Christus.

POST illum primitiæ mortuorum Dominus noster Iesus Christus, ludibria, maledicta, conuitia, multa horrendaque supplicia, & ignominiosissimam Crucis mortem sustinuit, vt pro quibus ipse volens ac libẽs talia patiebatur, eosdem ad patiendas Martyrij pœnas suo excitaret exemplo: Iam tum dux inclytissimus milites suos non armis muniens, sed tolerantione confirmans, cũ diceret: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animã verò non possunt occidere. Sed eum potiùs timete, qui potest & corpus & animam perdere in gehennã: Et qui perdiderit animã suã inueniet eam. Et in patiẽtia vestra possidebitis animas vestras. Si ergo commoriemur (ficut Apost. inquit) & cõuiuemus. Si sustinebimus, & cõregnabimus.

Matt. 10. Luc. 21. 2. Tim. 1.

Apostoli. Actor. 5.

HINC sanè est, quòd ipsi Domini Apostoli flagellis primùm acriter cæsi, non dolent, sed gaudent, non tristãtur, sed exultant, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.

Iacobus Maior. Actor. 11. Petrus Apostol.

EX his deinde Iacobus Maior Herodis Agrippæ gladio decollatur, & eiusdem iussu Petrus in carcerem catenis vinctus conijcitur. Sed horum alter à vinculis diuinitus liberatur, alter pro temporali vita æternam accepit. Infelicissimus verò Herodes à vermibus consumptus expirat, & ad inferna rapitur, ab immortali verme sẽper rodendus, igneq; illo inextinguibili sine fine cruciãdus.

RVR-

Digitized by Google

RVRSVM Petrus Romæ, cùm nec ipsius Neronis immanitate terreri potuisset, ne Christum prædicaret, morti addicitur Crucis, versoque ad terram capite crucifigitur, quoniam erecto suspendi, sicut Dominus suus, indignum se dixerat. Primus igitur crucem ascendere meruit pro Domino, quam pro omnibus ascenderat Dominus: vicem reddidit, & præmium accepit, eos quandoque cum Domino iudicaturus, à quibus talia passus est. *AEgesip. lib. 3. cap. 2.* *Petrus Apostol.*

IPSE quoque vas electum Paulus à Listris lapidibus eijcitur, Philippis cum Sila discipulo virgis cæsus, & compedibus vinctus, carceri includitur. Inde dimissus, plurimisque peragratis locis, profectus Ierosolymam, ibi alligari & mori paratus pro nomine Iesu comprehenditur, ligatur, flagellatur, torquetur, in ore percutitur. Postremò Romæ capite truncatur, tunc demum cessans euangelizare Iesum, cùm in corpore viuere cessasset. *Paulus Apostol. Actor. 14. Ibid. 16. & 21.*

ANDREAM deinde Apostolum Patras à pernicie erroris vindicare conantem, Ægeas Achaiæ Proconsul comprehendi iussit, & in facie cædi, & in crucem suspendi. At ille ne sic quidem inhiberi potuit, quin pendens quoque Christum plebi astanti prædicaret, donec ingenti luce circumfusus emisit spiritum, illos in tenebris relinquens, qui increduli in ipsum sæuierunt. *Bern. Serm. de S. Andrea.* *Andreas Apostol.*

PHILIPPVM Apostolum Hieropoli Phrigiæ vrbe crucifixum, ac lapidibus interemptum constat. Bartholomæum apud Armeniam in oppido Albano viuum excoriatum decollatumque. Ioannem Apostolum Romæ in feruenti oleo decoctum, nec tamen læsum, Christo protegente, qui sic eum voluit manere, donec ipse veniret. Thomam Didymum apud Indos carceri traditum, nudis vestigijs per candentes laminas ductum, & in ardentem fornacem trusum, postremò lanceis perfossum. Matthæum Apostolum in Perside, dum Missale Sacrificium offerret, post tergum transfixum. Iacobum Minorem Ierosolymis lapidatum, & pro inimicis deprecantem, fullonis *Philippus. Bartol.* *Ioannes Apostol.* *Thomas Apostol.* *Matth. Apostol.* *Iacobus Minor.*

Simeon Zelotes. *Iudas Thadd* *Matthias Apostol.* *Barnab.*

lonis fuste interemptum. Fratres verò eius Simonem Zelotem, & Iudam Thaddæum in Persiæ vrbe Senair, quia ipsis ingredientibus in templum simulachra Deorum corruerunt, ab ædituis trucidatos. Matthiam, qui Apostolatum, à quo Iudas decidit, sortitus est, Ierosolymis à Iudæis lapidatum, & Romano ritu securi percussum. Barnabam Gentium Apostolum, Salamine à Iudæis comprehensum, atque igni consumptum. Profectò nisi summa & præclara esset Martyrij gloria, nunquam Christus Apostolos suos (quos præter omnes dilexerat) tanta ac talia pati permisisset. Sed beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cùm vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate. Ecce enim merces vestra multa est in cælo. *Abdias, & alij in vitis Apost.*

Matth 5. *Luc. 7.*

Stephanus protomartyr.

HINC Stephanus quoque Spiritu sancto & fortitudine plenus, faciens signa & prodigia, lapidibus obruitur. Sed quid mali illi lapidum ictus inferre poterant, cui cæli iam aperti erant? Vitam impij eripiebant, sed Iesus à dexteris virtutis Dei manens animam susceptaurus expectabat. Ille itaque iam de sua salute securus, pro suis occisoribus orabat: Domine, inquit, ne statuas illis hoc peccatum, auxitque Martyrij gloriam pietatis erga inimicos merito, & in Domino obdormiuit, quia vigilauerat pro Domino, nomen eius confitens, & mortem contemnens. *Actor. 7.*

Actor. 7.

Marcus Euangel.

IN Marcum Euangelistam Alexandriæ idolorum cultores furentes collo fune circumiecto, per salebrosam humum huc illuc tractum extinxêre,

Lucas Euangel.

LVCAM verò in Bythinia diem suum obijsse tradunt, voluntate non sorte Martyrem, cùm & ipse Gentibus ea de Christo prædicare ausus sit, quæ scripta reliquit. Sicque martyrij corona nec illum caruisse.

Apostoli. Discipuli. Euangel.

HVNC Apostolorum, Discipulorum, Euangelistarum finem tanto fœliciorem fuisse haud ambigimus, quantò passi sunt grauiora. Sed & si aliusaliter consumptus sit,

omnes

Digitized by Google

omnes tamen pari animi magnitudine nullum supplicij genus expauerunt, dum beatitudinis præmia cogitarent; nullum laborem refugerunt, dum ad supernam quietem ascendere festinarent, Deo fruituri, qui pro Deo mundum contempserant.

POST hos deinde Martyrum innumerabilis per orbem multitudo exuberauit. Ex quibus paucos commemorabimus, quorum tamen singulorum exempla ad pellendam omnem animi ignauiam, timiditatemque propulsandam, sufficere possint. *Martyres.*

MARTINVS Martyr tenellus adhuc, sed fortissimus Christi miles, in quo (sicuti in plurimis) Deus ostendit, facilè se suos fideles ab omni iniuria tutari posse, si id illis expediisset, Romæ Martiani Præfecti iussu bubalis loris flagellatus est, in equuleo extentus, ferreis vngulis laceratus, deinde ad machinam, vt membratim distraherentur, applicitus: at illa mox fracta, diuinitus liberatur, & à plagis, quas acceperat, apparuit sanus. Sed rursum quia à puero vinci pudor erat, scissæ apertæque ad medium vsque truncum arbori inferitur, vt partibus ad se redeuntibus collisus deficeret. Arbor autem veluti adactis cuneis funditus diuisa in diuersum laxatur. Inde ergo ad ferream cratem torrendus adfertur, plumbo liquato perfunditur, sed repentè proximi fluminis inundatione ignis extinguitur. Iterum ille in frixorio coquitur, sed rore cælesti protectus calorem non sentit. In cacabum pice bullientem iactatur, at ibi etiam effusa pice manfit illæsus. Feris immanibus obiectus nihil iniuriæ patitur. In fornacem missus, die postero, cùm iam in cineres redactus putaretur, exijt incolumis, capitis tandem truncatione ac tormentorum finem, & beatitudinis accepit initium. Martianus verò ne tam obstinatam in puero rabiem impunè ferret, putrescentibus membris, & toto corpore vermibus scaturientes, infœlici morte infœliciorem vitam ad æternos ignes deputatus inchoauit. Nobis operæpretium erit, hinc pensare, quàm suauis est Dominus, cuius amore tam horrenda subire supplicia ne pueri quidem timuerunt. *Martinus Martyr.*

CONON

Digitized by Google

Conon cum filio Martyr.

CONON cum paruulo filio apud Isauriam sub Aureliano Imperatore passi sunt. Hi iubenti Domitiano Praefecto, primùm in craticula extenti oleoque perunctì, deinde ad sartaginem translati, torrentur ac friguntur. Postremò cùm magis torqueretur tyrannus, quòd tam diris morti ferisque supplicijs neque cederent, neque consumi possent, constructa copiosiore pyra super iniecti expirant. Cur autem sicut alia, ita & hoc pœnæ genus viui non euaserint, ostendit vox de cælo lapsa, quæ illos, quoniam strenuè contra dolorem decertassent, ad percipiendas iam Martyrij coronas euocauit. Mori non poterant, donec multiplici cruciatu probaretur tolerationis virtus, probatam autem remunerari restabat. O sapientem pariter ac pium Patrem, qui ipsum quem genuerat secum pro Christo cruciari sustinuit, vt secum cælo inferret! *In Martyrol. V. Suardi, Maij 29.*

Vitus Martyr.

VITVS puer septem tantùm annos natus, ab impio patre ne Christum sequeretur, nullis minis verberibusque coerceri potuit. Et quia patri male suadenti non cessit, miraculis nobilitatus est. Diocletiani filium, ab immundo spiritu vexatum, sanitati restituit. Sed non ideo fracta est perfidi Imperatoris duritia, magis indignari coepit, tantum inesse virtutis homini Christiano, & ipsum ad Deos adorandos compellere perrexit. Tantum autem profecit, vt à puero Imperator victus sit. Potuit illum mittere in carcerem, in olla, pice, resina, & plumbo bulliente excoquere, feris bestijs laniandum præbere, & in equuleo extentum crudeliter verberare: occidere non potuit. Exclamante enim inter ipsa verbera Vito, Domine, libera me; cælum intonuit, terra tremuit, Deorum simulacra corruerunt, territus Diocletianus fugit. Vitum Angelus inde sublatum longiùs transportabit. Vbi ille cùm orasset Dominum suum, vt iam de terris euocatus in ipso requiesceret, tradidit spiritum. Glorietur nunc proteruæ potestatis vanus Imperator Diocletianus, maximæ orbis parti se imperitasse, validissimas quondam Gentes suæ subegisse ditioni: Si vni puero Christum colenti imperare nequiuit: Si ipse pœnas inferendo plus timuit, quàm

Digitized by Google

quàm ille patiendo: Si viuum denique dimittere coactus est, ad quem perimendum tam dira expetiuit supplicia. *Iacob. de Vorag.*

FLOCELLVS quoque decem annorum puer, Antonino Augusto Ecclesiam persequente, apud Austudinum passus est. Hic Valeriani Præsidis iussu, cùm ad immolandum Dijs cogi non posset, in equuleo suspensus flagellatur, in cauea cum leone occluditur, in ignem mittitur, clauis configitur: sed ijs omnibus superstes, feris tandem beluis obiectus, conculcatu pressuque earum prę focatur, in nulla corporis parte cruentatus. Vnde tam tenello tantum animi robur, tanta tolerationis vis? nisi quia Christi charitas, in quocunque fuerit, omnibus fortior est supplicijs. *Petr. de Natalib.* *Flocellus Martyr. Fortè Augustodunensis.*

HINC & Mammes puer septennis Cæsareæ, Agapitus quindecim natus annos Prænestę, audacter se Christianos esse prædicarunt, neque vlla pœnarum magnitudine ab ea confessione dimoueri potuêre. Vita eos prophana tyrannorum crudelitas priuauit, sed non etiam fide. Si quem tali necessitate constrictum patiendi timor agitauerit, horum memor exemplorum, se pueris imbecilliorem esse erubescat, & saltem his exæquari nolle, nefas putet. *Metaphrast. Sur. Tom. 3. Ado. Treuerens. & alij.* *Mammes & Agapitus Martyres.*

SICVTI putauit Dionysius Martyr Romæ passus. Qui iubente Diocletiano fustibus prælumbatus, deinde equuleo suspensus, & virgis cæsus, admotis etiam lampadibus miserabiliter vstulatus, pro eiulatu clamorem edebat, quo se Christianum esse asseueraret. Et si millies, inquit, occidi possem, Dominum meum Iesum, confiteri non cessarem. Itaque Imperator non modò vt idola adoraret efficere nequiuit, sed etiam vt ne Christum taceret, donec caput, id iam optanti, amputari iussit. Sic ille ipse Domino, quem tam audacter tamque perseuerantur in terra positus inuocauerat, fœliciter iungi meruit in cælo. *Petr. de Natalib.* *Dionys. Martyr.*

EADEM Diocletiana persecutione Eustratius apud Auararicenos à Lysia Præside equuleo à terra suspensus, fumo *Eustrat. Martyr.*

Digitized by Google

fumo suppositi ignis ac vapore torquetur, depositus cæditur, & toto corpore plagis confecto, quò magis doleret, sale, aceto diluto confricatur. Deinde pedibus perforatis, ne effugere posset, è Satalia ciuitate, vbi hæc primùm passus est, ad Auarim vrbem ductus, & hinc quoque cum multis Christianorum Sebasten missus, ab Agricolao Præfecto igne consumptus, Martyrij palmam recepit, cæteri obtruncati, præter vnum Orestem nomine, qui

Orestes Martyr.

super lectum ferreum distentus, substratis prunis tamdiu excruciatus est, donec animam exhalaret. Magna quidem hæc pœnarum acerbitas, sed maius patientiæ præmium. *Ibidem.*

Gregorius Martyr.

SVB Diocletiano & Gregorius Martyr Spoleti passus, dum Flacci & Hircani Præsidum minas rideret, colaphis cæditur, fustibus verberatur, super ferream cratem torretur. At verò vt fidei ab eo prædicatæ virtus pateſceret, pars vrbis terræmotu concussa, trecentos & quinquaginta idololatras suis oppressit ruinis, Præsides territi fugam fecêre. Cessante autem timore, sed perseuerante perfidia, Martyrem idolis thura adolere nolentem, virgis ferreis cædi iubent, & facibus ad latera admotis vstulari, ac demum capite truncari. Sic extinctum corpus, ne à Christianis honore sepulturæ afficeretur, in theatro feris laniandum datur, sed à nulla læditur. Flaccus verò, qui pertinaciùs in Gregorium sæuierat, eadem hora, intestina per os euomitans, miserabiliter expirauit, multo acerbiora apud inferos, & quidem sine fine passurus. *Ibidem.*

Sebast. Martyr.

SEBASTIANVS Romæ Diocletiano & Maximiniano Imperatoribus, ad stipitem nudus ligatus, sagittis confoditur. Hirene mulier Christiana, vt corpus mandaret sepulturæ, noctu venit, & ipsum adhuc viuere comperit. Solutum domi fouit, atque ille intra paucos dies curatus, rursum in publicum procedens, Principum in Christianos immanitatem arguere cœpit. Ipsi mirabantur, quomodo viuere potuisset, & cùm eo miraculo ad credulitatem moueri debuissent, ad indignationem moti sunt, atque eundem tamdiu fustibus cædi iusserunt, donec exa-

Digitized by Google

nec exanimaretur. Tanto igitur Martyrij amore flagrauit Sebastianus, vt nec sagittas passus conquiescere potuerit, quousque ad optatum vitæ finem peruenit. *Iacob. de Vorag.*

VINCENTIVS Martyr in Hispania Cæsareæ passus est, verè Vincentius, qui omnia vicit tormenta, dum se Christianum confitetur. Cùm in equuleo sublatus à Daciano Præside per ludibrium rogaretur, vbinam esset? in sublime, inquit, vnde te potestate terrena tumentem altior despicio. Grauiora minitanti: Non minari mihi videris, respondit, sed quod votis omnibus concupieram, offerre. Igitur cùm vngulas, faces, prunas, toto corpore dilacerato constanter exciperet, ait: Frustra fatigaris, Daciane. Non potes tam horrenda excogitare tormenta, quàm ipse paratus sum sustinere: carcer, vngulæ, candentes laminæ, morsque ipsa ludus iocusque Christianis sunt, non tormentum. Posthæc alijs itaque alijs confectus pœnis, cum victoriæ palma migrauit ad cælum. Et qui talia pro Christo pati optauit, nunc regnat cum Christo. *Prudent. in lib. Perist. eph. August. Serm.* 12. 13. *de SS.* *Vincent. Martyr.*

MARIVM & Martham vxorem eius liberosque eorum Audifax & Abacuc natione Persas, Claudio Augusto Christianos persequente, Romæ Martyrium passos legimus. Cùm enim Deos Gentilium dæmonia esse prædicarent, & Martha eos hortaretur, vti confidenter pro Christo tormenta exciperent, fustigationem, equuleum, flagella, faces, vngulas pertulerunt. Præcisis deinde manibus & ad collum alligatis, per vrbem ducti sunt, acclamante præcone, sic puniendos esse Deorum contemptores. Postremò capite cæsi Martyrium consummauerunt. Martha post illos in nymphæo aqua suffocata, & ipsa æquè constantis in tolerando animi exemplum posteris reliquit. Quam dum suorum supplicia spectaret, non dolor solicitauit, sed timor, ne fortè ipsi cruciatuum acerbitate superati, priùs à fide quàm à vita decederent. Itaque tanto alacriùs ad necem iuit, quantò de illorum victorijs facta est securior. *Vsuard. Martyrolog. Sur. Tom.* 1. *Marius. Martha. Audifax Abacuc. Martyres.*

PON-

Digitized by Google

Pontian. Martyr.

PONTIANVS Martyr sub Antonino Augusto Spoleti passus, nolens Gentilium sacrificare Dijs, virgis cæditur, per prunas nudis pedibus ambulare compellitur, in equuleo tollitur, vngulis ferreis ad ossa vsque proscinditur, leonibus in theatro exponitur. Sed eidem (in quem homines grassabantur) bestiæ pepercêre. Posthæc in carcerem fame consumendus truditur. Sed Angelo hominem nutriente, quem inedia iam extinctum putabant, die decima saluum educunt. Tunc Iudex plumbo liquefacto nudum perfundi iussit. Sed cum neque hoc supplicij genere perimi ille potuisset, capitis tandem abscissione finitur. Poterat nec sic mori, sed iam omnes pœnas passo beatitatis præmia differre Dominus noluit, & breuem viri patientiam æterna fœlicitate remunerauit. *Sur. Tom. 1.*

Ignatius Martyr.

HINC est quòd Ignatius, Anthiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus, Traiani persecutione damnatus ad bestias, cùm Romam vinctus mitteretur, & iam Smyrnam peruenisset, ad Romanos qui fidem receperant scribens, ait: De Syria vsque Romam pugno ad bestias in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt, quibus cùm benefecerim, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina est. Sed non idcirco iustificatus sum: vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt paratæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut aliorum Martyrum non audeant corpus attingere. Quòd si venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram vt deuorer. Ignoscite mihi, filioli: quid mihi prosit ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de ijs quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tormenta diaboli in me veniant, tantùm Christo fruar. Cumque iam ductus esset ad bestias, & rugientes audiret leones, ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Præfocatum itaque à leonibus, & nusquam cruentatum ferunt. Profectò

Epist. 11. ad Rom.

Digitized by Google

fectò non fuisset in illo tam feruens pro Christo patiendi affectus, si quicquam dulcius esse potuisset, quàm frui Christo. *Metaphrast. & alij, Sur. Tom. 1.*

APRONIANVS Romæ cum ad Sisinium Martyrem de carcere vt torqueretur eductum vocem cælitus delatam audisset: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis à constitutione mundi paratum: nihil conctatus, ad pedes Martyris prouoluitur, Baptismo lustrari petit, deinde patiendi cupiditate. Laoditum Prætorem de impietate in Christianos redarguere cœpit; se quoque Christianum confessus, capitis tandem abscisionem gaudens lætusque sustinuit; eodem die Martyr factus, quo & Christianus: At nos à natiuitate ipsa fidem tenentes Christi, si fortè inter infideles versari contigerit, Christianitatem dissimulabimus, ne vitæ periculum subeamus, quasi nescij, vitam nostram esse in Christo, & hanc cui tantopere timemus, velimus nolimus mox desituram. Sed meminerimus, nos quoque voce illa inuitari, qua, inuitatus Apronianus, & ante eum Sisinius, mortem contempsere, & vitam æternam adepti sunt. *Vsuard. Sur. Tom. 1.* *Apronianus & Sisinius Martyres. Matth. 5.*

POLYCRONIVS Episcopus & Permenas Presbyter Babylone passi, magni ambo spiritus inuictique animi viri. Cùm enim à Decio comprehensi multa singulatim interrogarentur, & Polycronius nihil omnino responderet, quærenti Imperatori an mutus esset, Parmenas ait: Non esse mutum Episcopum, sed ideo tacere, ne impiorum colloquijs inquinetur. Quare iram ille concitatus, statim Parmenæ linguam præcidi iussit. Polycronio os lapidibus contundi, deinde vtrumque decollari. Itaque alter ne loqui quidem cogi potuit, alter sic locutus est, vt illum, qui in se necis potestatem habebat, contemneret. Hac animi præstantia ostenderunt, verum Christi militem omni terrena virtute esse fortiorem, & occidi posse, terreri non posse. *In Passione S. Laurentij.* *Polycronius & Permen. Martyres.*

Siquidem Marcus quoque & Marcellianus Romæ passi, gaudenter ad supplicium ibant, & quoniam fratres germani erant, stipitibus infixi Psalmum illum alterna- *Marcus & Marcellianus Martyres.*

Psal. 132. tim decantarunt: Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Cumque non modò ferrent, sed etiam irriderent tormenta, erubuit Diocletianus contemptui se haberi ab ijs quos torqueret, & ambos lanceis confodi iussit atque interimi, & præclarè quidem cum illis actum est, quia tanto maturiùs ad coronam Martyrij peruenerunt, quanto pœnas minùs expauescere visi sunt. *Sur. Tom. 1. in gestis Sebast.*

Tranq. Martyr. Per idem tempus Tranquillinus Martyr, cum audisset Zoen vxorem Nicostrati pro Christo neci datam, exclamans indignum facinus esse, vt fœminæ viros ad subeundum Martyrium præcederent, in medium prorupit, & palàm se Christianum confessus, lapidibus obruitur. O laudabilem inuidiam! qua doluit Tranquillinus, nō quia fœminæ fortes essent, sed quòd ignaui viri, proindeque seipsum tam egregiæ fortitudinis præbuit exemplū. *Ibid.*

Christophorus Martyr. CHRISTOPHORVS magnus corpore, sed maior fide, Christum in armo tulerat, & eundem in corde fixum gerens nunquam dimisit. In oppido Ammonitarum Lyciæ, cùm militum cohors, vt ipsum comprehenderet missa, manum illi inijcere timerent, vltrò se illis vinciendum præbuit, & eosdem à quibus vinctus ducebatur, à vinculis erroris exoluens, monstrata veritate Christianos fecit, ita vt Christum confitentes capitalem sententiam libenter subirent. Ipse verò virgis ferreis ceditur, galea sub prunis feruefacta operitur, & igne suppositō in ferreo scamno torrendus constringitur. Postremò ad stipitem ligatus, sagittis impetitur, & cùm ne sic quidem confici potuisset, capite mulctatur. Quòd autem rege illo, à quo peremptus est, superior fuerit, etiam inde apparet, quòd rex oculum sibi sagitta fortè confossum, cruore eius liniens, in integrum restituit. Itaque ad se sanandum eius opem, quem interfecerat, requisiuit: & impetrata, credidit, mortui religionem sponte sequens, quem viuentem vt suam sequeretur, nulla vi, nullo prorsus supplicio cōgere potuit. *Sur. Tom. 4.*

Pantal. Martyr. IN Pantaleonem Martyrem Nicomediæ passum, dum Maximiani furor desæuiret, tormentorum genera defecerunt,

Digitized by Google

cerunt, ipsi patiendi ardor deesse non poterat. Pertulit itaque equitum vngulas, faculas, sartaginem, plumbum, in mare mersionem, in terra feras. Postremò cùm ad rotam clauorum mucronibus aculeatam lancinandus ligaretur, soluto protinus machinæ fragmenta impietatis ministros perculêre peremereque. Ipse quoque Cæsar magis iam timens quàm timendus, ne quid Martyrem torquendo grauius ipse pateretur, statim illum obtruncari iussit. Sed ne sic quidem eum interficere potuisset, nisi remunerandæ virtutis tempus id requireret. Tunc mori miles Christi permissus est, cùm per patientiæ merita iam ad immortalitatem transferri debuit. *Iacob. de Vorag.*

QVID de te dicam, Prime Stephane Pontifex Maxime ac Martyr insignis? Tu ad Martis templum perductus, vt aut sacrificares, aut pœnam capitalem subires, tanti istud periculum fecisti, vt bellatoris Dei, imò diaboli templum funditus euerteres, ac solo æquares. Te enim tesum inuocante, idoli ædes corruit, & cultores suos, qui te ad impietatem vrgebant, conterritos in fugam vertit. Valerianus quoque Cæsar tua expauefactus virtute, ad te vnum occidendum, ad te, inquam, & vnum & nudum, atque inermem, cohortem misit armatam. Tu verò dum solennia sacra ageres, non intermissa precatione imperterritus vitæ finem expectasti. Itaque ante aras iugulatus, sed ante Deum in Paradisum sublatus, plenissimum veræ gloriæ triumphum peregisti, recipiens de manu Domini inuictæ patientiæ incorruptibilem coronam, beatus factus in sempiternum. *In vitis Pontificum.* *Stephan. primus Papa & Martyr.*

MAXIMVS Martyr sub Decio Imperatore ab Optimio Proconsule in Asia passus, cùm fustibus cæsus, & in equuleo extensus, vngulis quoque laniaretur, tormenta hæc non dolori sibi esse dicebat, sed iucunditati. Inde extra vrbem tractus, lapidibusque obrutus, iucunditate illa quam inter cruciatus capiebat, iam omni molestia liber frui pleniùs cœpit, fruiturus fine fine. *Sur.* *Maxim. Martyr.*

QVIRIACVM Ierosolymitanum Episcopum (qui antè Iudas dictus est) beatæ Helenæ lignum dominicæ Crucis diu sub terra celatum indicauit, quia Christum *Quiriac. Martyr.*

Digitized by Google

prædicare non cessabat; Iulianus Apostata comprehendi iussit, & manum illi dexteram abscindi, plumbum liquefactum in os infundi, super lectum ferreum torreri, ferreisque virgis cædi. Matrem quoque eius Annam per capillos altè suspendi, vngulis proscindi, facibus aduri. Ea consumpta, rursum Quiriacum in foueam serpentibus refertam mitti mandat. Sed eo dimisso, serpentes omnes mortui apparuerunt. Ammonius verò veneficus, qui illos incantauerat, viso miraculo, conuertitur, & Christum confitens obtruncatur. Quiriacus in cacabum oleo bullientem demersus, cùm mori nequiret, & gladio transuerberatur. O inuictæ fidei virum, qui vt Christum negaret, compelli nulla vi potuit. *In Hist. de Inu. Crucis.*

Bonifac. Martyr.

BONIFACIVS Tharsi passus, ad locum suppliciorum audacter accedens, Martyres ad patiendum palàm hortari cœpit. Et Sulpitij Præsidis iussu in equuleo erectus, vngulis ita laceratus est, vt ossa apparerent. Clauiculos deinde harundineos in digitis inter vngues & carnem defixos pertulit, atque in os plumbum infusum, tum demum in bullientem picem in caput præcipitatur. Sed cùm neque hoc cruciatu consumi posset, capitis amputatione peregit Martyrium, & dum feriretur, terra tremuit, plurimique conuersi idola reliquêre, tam immania tormenta nihil formidantes, dum Christum sequuntur. *Sur. Tom. 3.*

Nicomachum tormenta timens dãnatur.

SED vt his tam fortibus ac tam fidis exemplis aliquod imbecillum atque infidele, & fidelibus cunctis maximè cauendum, interseratur: Legimus Decio Imperatore quendam Nicomachum nomine in vrbe Troade fuisse, qui dum à Proconsule Opimio torqueretur, doloris impatiens, Dijs eius se dixit sacrificaturum. Atque vbi dimissus thura ante Idolum incendit, illico à dæmonio arreptus, grauiores pœnas dedit. Quippe in rabiem versus, propriam linguam dentibus mandens, expirauit. Heu, heu, infœlix Nicomache, non tormenta mutasti, sed tortorem: non pœnam, sed fidem: nec mortem defugisti, sed mortem fœlicissimam relinquens, miserrimam elegisti. Inter damnatos computaris, quia inter beatos censeri, cùm

Digitized by Google

ùm posses, noluisti. Pro fide breuissimos pati cruciatus ecusasti, at pro perfidia pateris æternos: & perenni illa missa gloria, eò descendisti, vbi ignis inextinguibilis rit, vermis immortalis rodit, tenebræ indiscussæ çaliant, sulphuris fœtor semper exhalat, procellarium spiritus perpetuò furit. Vbi denique horror sempiternus inabitat. Meritò talia sortietur, quisquis oblatam sibi ex liuina largitate Martyrij coronam, ignauo victus metu, ccipere contempserit.

IDEO sanè nihil formidans Venantius Martyr, sub Decio Cæsare in oppido Camerino, Præfidis iussu fustibus verberatur, leonibus exponitur, per pedes pendens vertice ad terram verso, subditi ignis fumido vapore torquetur. Inde depositus, dispersis manibus pedibusque diaricatis, prono distentoque funiceis vinculis corpore à olo subleuatur, & eiusdem ignis flamma ventrem & ilia ambente cruciatur. Postremò gladio perimitur, & tamen tot talibusque afflictus tormentis, nunquam se Christianum negauit, neque idola dæmonia esse timuit onfiteri, omni cruciatu fortior, omnibus tortoribus audacior, Cæsarem ipsum contemnens, dum amplexatur Christum. *In Martyrolog. Vsuard.* *Venant. Martyr.*

EVSTACHIVM cum vxore & liberis Hadrianus Princeps, ob confessionem Christi, in boue æneo introclusos cremari fecit, & cùm triduo machina illa arsisset, ipsique iam in cinerem redacti putarentur, exanimati quidem inuenti sunt, sed nunquam adusti, ita vt neque capilli, neque pili nidorem vllum admiserint: Deo volente etiam in igne corpora eorum seruari integra, quorum in credendo fides, & in patiendo constantia extitit incorrupta. *Iacob. de Vorag.* *Eustach. Martyr cum coniuge & liberis.*

MARCELLINVM Diocletianus pugnis circa guttur cædi fecit, nudum super vitri fragmenta volutari, in carcere clausum fame sitique torqueri. Et cùm eum nullo cruciatus genere ad sacrificandum Dijs compellere posset, decollari iussit, victum se testatus: viuum vtique dimissurus, si vicisset. *Marcell. Martyr.*

Quadraginta milites Sebastæ passi sunt sub Licinio

Digitized by Google

Quadraginta milites Martyres.

Imperatore, Lysia & Agricolao Præfectis. Hos quidem cum Christum publicè prædicarent, in stagnum gelu concretum collo tenus mersos manere vsque ad diem alterum compulerunt. Thermæ propè appositæ erant, vt ad eas confugere liceret, si quis eorum pro Christo pati frigus recusaret. Vnus ex illis algoris impatiens, vt ad thermas peruenit, vita defunctus est. Reliqui in glacie perdurantes, Deo laudes decantabant. Circa vigiliam noctis tertiam descendit lux super eos, & triginta nouem coronæ in luce apparuerunt. Quod cernens custodum Præfectus, illis qui secum erant à somno excitatis, Christianum se professus est, & vestitu reiecto nudus in stagnum prosilijt, atque vnà cum ijs qui ibi erant psallere cœpit, coronam percepturus, quam is qui inde effugerat, cum vita simul amisit. Manè posthæc eductis, & in fidei proposito persistentibus, crura confregerunt, illiqúe animas Deo tradentes, tam gloriosa Martyrij victoria fœliciter potiti sunt. *Basil. Homil. in 40. Mart.*

Alexander Papa cum sociis.

QVI Romæ in carcere cum Alexandro Maximo Pontifice vincti tenebantur, post eius Martyrium adeò & ipsi mori pro Christo concupierunt, vt Quirino Tribuno, qui iam conuersus eorum religionem sequebatur, claustra referante, fugamque suadente, exire noluerint. Inde eductos Aurelianus Princeps, alligatis ad colla ingentibus saxis, in mari submergi iussit. Quid furis, imò quid insanis, Aureliane? Vincula adhibes fugere nolentibus, extrema minitaris mori cupientibus. Non est quòd iustorum nece glorieris: eos occidisti qui occidi optarunt, vt Christo fruerentur. Nihil illis fœlicius contingere potuit, quàm te inimico vti. Irascere igitur, & quantum vis debacchari ac sæuire perge, dum magis nocere ignoscendo queas, quàm puniendo. *Sur. Tom. 3.*

Tiburtius & Valerianus Martyres.

HINC quidem Tiburtius & Valerianus, cùm ab Almachio Vrbano Prætore in vincula coniecti rogarentur, cur Principum sententijs damnatos honore sepulturæ afficere præsumerent? quia inquiunt, quos Principes ipsi pro Christo damnandos iudicant, eorum nos fieri serui cupimus. Itaque & ij sicuti volebant, obtruncationem passi,

Mar-

Digitized by Google

Martyrij coronam perceperunt, tyrannorum sæuitiam in suum conuertentes triumphum. *Metaphrast.*

ELEVTHERIVS Hadriani iussu, lectum ferreum, craticulam, sartaginem, fornacem expertus, noxam non sensit: equorum ferocium caudis alligatur distrahendus, & solutis vinculis incolumis euasit. Leonibus in theatro exponitur, sed cùm neque leones illi quicquam mali inferrent, capite cæsus diem suum obijt. Hoc quidem postremò permittente Domino, ne Sanctus Martyrij gloria careret: illa verò priora cohibente, vt credere nolentium inexcusabilior esset peruicacia. *Pontific. cap. 14.* *Eleutherius Martyr.*

VICTOREM Martyrem Maximianus apud Massiliam iniecto pedibus fune raptatim trahi mandauit, atque ita vexatum, tantumque non exanimem in carcerem trudi. Vbi ille diuino splendore refocillatus ac refectus, carceris custodes ad Christum conuertit, eosque in fide stabiles Imperator capite cædi præcepit. Porrò Victorem in equuleo tolli, fustibusque & neruis duriter cædi, ac rursum in vincula conijci. At ipse cùm simulachrum Iouis ante se constitutum adorare iuberetur, id abominatus pede statuam euertit, iacuitque resupinatus Iupiter, suis etiam ridendus cultoribus. Cæterùm Maximianus fortiorem se Deo suo ostendens, vlcisci voluit eius iniuriam, qui seipsum defendere, ne saltem caderet, nequiuit. Victorem igitur, cùm pedem illi priùs abscidisset, molendini rota subiectum conteri, & adhuc spirantem gladio feriri iussit. Et hic quidem Martyr efficitur, sed euersi Iouis ignominia non aboletur. Ac ne Imperatori quidem tantum virium fuit, vt, torquendo hominem, fidem extorqueret; & quem vincere non potuit, interemit. *In Martyrolog. Vsuard. Iulij 26.* *Victor Martyr.*

HADRIANVS Martyr Nicomediæ passus, cùm esset militum Præfectus, cernens nostrorum in supplicijs constantiam, credere cœpit, & se Christianum profitens, inter damnatorum nomina suum adscribi petijt. Itaque Maximiani iussu in carcerem ducitur, & reis per tormenda consumendis computatur. Id vbi resciuit Natalia vxor eius, (quia Christiana erat) læta ad carcerē cu-

Hadrianus Martyr & Natalia vxor.

Digitized by Google

currit, virum ad patientiam hortatur: mox enim fore, vt pro temporali pœna æternis fruatur bonis. His & alijs huiusmodi verbis animatum relinquens abijt. Hadrianus verò cupiens illam suæ fortitudinis fieri spectatricem, cùm dies Martyrij instaret, vadibus datis dimissus, ipsam accersitum perrexit. At illa aduentantem prospiciens, rata ideo liberum factum, quòd præuaricatus esset religionis fidem, claudit ostium, & se nolle eum domo recipere exclamat, qui à Christo desciuisset. Vt autem rem sicuti erat didicit, admissum dulciter amplexata, vnà cum illo ad carcerem redijt. Deinde cùm ipse fustibus durè admodum verberatus, fractisque cruribus in terra semiuiuus volutaretur, illa leniter plagas refouendo, animum viri in pœnis deficientem adhortationibus erigebat. Vbi tandem ipse manu insuper amputata expirasset, illa Deo gratias egit, & manum eius in sinu suo conditam latenter tulit, siccatamque in delicijs habuit. Corpus mandatum est sepulturæ. Mira vtriusque virtus, sed in sexu fragili mirabilior. Vir vtrò certè se neci exposuit, vt cum Christo viueret: mulier coniugium viduitate mutare præoptauit, vt maritum Martyrem videret, cum illo simul cupiens torqueri, cum illo mori. *Ado.*

Dorotheus & Gorgonius Martyres.

DOROTHEVS & Gorgonius etiam ipsi Nicomediæ passi sunt. Quos quia inter Romanos milites virtute ac nobilitate præcellebant, Diocletianus primùm largitione & blanditijs auertere nixus est. Vbi id parum processit, quæstione torquere cœpit, equuleum, flagra, vngulas in eos experitur, additque vulneribus dolorem, ea sale & aceto perfricando. Deinde in crate distentos ad prunas applicat. Postremò suspensos laqueis necat. Adeò nullum tormenti inuenit genus, quo illos, ne magis Christo quàm sibi militarent, mouere posset. Melioris itaque militiæ stipendia certiora perceperunt, non argentum neque aurum, sed ipsum cælorum regnum. *Euseb. Hist. Eccles. lib. 8. cap. 6.*

Niceta Mart.

NICETAE Martyris pœnas difficilè est enumerare, nec miracula minus. Nicomediæ illas à Maximino rege passus est auunculo suo magno, sed primũ ab infideli patre,

Digitized by Google

pre. Nam cùm Deos argenteos domi sublatos confregisset, egenisque erogasset, ligatur à patre, & bubalis neruis nudus acerrimè flagellatur. Mox ab Angelo spiritali cõsolatione recreatus, & in cœlum suspicere iussus, vidit manum coronam incredibilis decoris inde sibi porrigẽtem, ob quod magis patiendi cupiditate ardere cœpit. Et cùm ei super plumeum stratum, vinculis colligato molliterque composito, meretriculam adduxissent, linguam dentibus præsectam in illam expuit, & stupore attonitã discedere coegit. Inde super carrucam clauis præacutis asperatam nudus collocatur, vt dum raptatus fuerit, ipsa quassatione crebriùs vehementiusque sauciaretur. Sed ipso orante, omnes ferreæ cuspides illæ palearum instar mollescunt. Cumque sic lædi non posset, atrociora excogitantur tormenta: hamo ori indito suspenditur, ferro candenti per vtramque aurem transforatur, per latera quoq; pilo perfoditur. Mira res, tot lethalibus plagis affectus, mori nõ poterat. Hinc etiam per pedes à terra suspensus, fumo cruciatur, mox in pyram cremandus proijcitur, & tamen inde quoque euadit inoffensus; manibus pedibusque truncatur, super candenti lamina mutilatis cruribus insistere cogitur, in foueam multæ altitudinis iactatur, sed & inde membris omnibus ab Angelo redintegratis viuus incolumisque educitur. Post hæc venenũ sibi propinatum sine noxa hausit, ac mortuos quosdã precationibus ad vitam reuocauit. Quo quidem miraculo plurimi ad Christum conuersi, mota seditione in Regem impetum faciunt, & frustra fugere conantem occidunt. Niceta verò cùm eos baptizasset, Ecclesiasque aliquot construxisset, ad Dominum tranquillo vitæ exitu migrauit. Verè Niceta, qui tot tormenta vicerit, & de cuius nece tyranno non licuerit gloriari. Illo enim viuente ipse peremptus, impietatis suę pœnas dedit, longè acerbiores apud inferos, & quidẽ sine fine, daturus. *Martyr. Vsuard. Iul. 24.*

ROMANVS cùm esset gentilitiæ perfidiæ æmulator, & beatum Laurentium tormenti post Christi amore patientem spectaret, dixit se videre iuuenem forma insig- *Romanus Martyr.*

Digitized by Google

nem, candidissimo linteolo cruorem illius detergentem. Laurentium, ergo ad carcerem reductum secutas ab eodē se baptizari fecit, & cùm iam apertè se Christianum esse proclamaret, Decio iubente, virgis cæsus capite truncatur. Quid est, quæso, quòd tam horrenda aliorum supplicia non deterruerint illum, sed animarint, vt Martyr esse optaret, qui paulo antè fuerat Gentilis? Adeòne spectaculo illo delectatus est? imò exinde firmissimam æterni præmij spem animo concepit, si eadem sibi credenti pati contigisset, & ad quietem properans pœnas contempsit. *Prudent. in Perist. 2.*

Laurētius Martyr.

LAVRENTIVS verò cùm diuersorum tormentorum instrumenta sibi ante oculos proposita videret, semper se optasse dicit ad eiusmodi epulas inuitatum ire, & ad ipsas hauriendas accedere. Cumque Decius cæteros Christianos ab eo sibi prodi popposcisset: Vt quid, inquit, eos requiris, quorum conspectu es indignus? Nam nomina illorum scripta sunt in cælo. Iratus ille, contemptorem suum fustibus prælumbari iussit, laminis candentibus vri, scorpionibus lacerari, in ore lapidibus contundi, sic denique excruciatum, super ferrea crate distendi, prunisque torreri. At ille supplicia irridens, intentis in Decium oculis: Iam satis assatum est, inquit, tolle & manduca. Mox Deo gratias agens, quòd se Martyrij gloria dignatus esset, animam reddidit, tanto maius recepturus præmium, quantò passus duriora. *Surius 10. Augusti.*

Hippolit⁹ Martyr.

HIPPOLITVS quoque (cuius custodiæ Laurentius traditus fuerat) & ipse Christum credens atque confitens, Valeriani Præfecti iussu, ad colla indomitorum equorum ligatus cùm distraheretur, fidem, quam receperat, integram seruauit. Membra diuidi potuerunt. Christi amor scindi non potuit. Pœna quoque hæc non casu inflicta, sed Dei nutu videtur electa, vt nomini eius, cui irrogabatur, pulchrè conueniret Hippolitus, quippe Græca compositio si in nostrum vertatur sermonem, equo discerptum sonat. O infelicem virum! qui quoties nominatur, toties patientiæ suæ laudem simul proferri sentit, id pro Christo passus in corpore,

Digitized by Google

pore, quod à parentibus accepit in nomine. *Prudent. in Peristeph.*

CYPRIANVS Carthaginiensis Episcopus, cuius multa religiosè & eleganter scripta extant, Carthagine passus est sub Valeriano & Galieno Principibus. Hic ob Christianam assertionem primò in exilium actus, deinde reuocatus, cum edictum, quo capite cædendus decernebatur, audisset, Deo gratias egit, nihil præ se tristitiæ ferens. Deinde suis præcepit, vt spiculatori, à quo percuti deberet, quinque & viginti aureos mercedi darent, quasi beneficium ab eo, non interitum accepturus. Itaque oculos ipse sudario tegens, extensam ceruicem gladio subiecit, & coronam accepit Martyrij; tam animi constantia in patiendo clarus, quàm eruditione in docendo. *Prudent. & August. Serm.* 118. *in nouis Serm.* *Cyprianus Episcopus. Martyr.*

ARCHADIVS Martyr (vt Zeno Veronensis Episcopus de illo prodidit) manibus pedibusque articulatim atque membratim dilcerptis, truncus in suo sanguine voluandus relinquitur. Sed tâto integriorem spiritum Deo reddidit, quantò patientius corporis mutilationem tolerauit. *Sur. Tom.* 1. 295. *Archadius Martyr.*

IACOBVS Martyr in Perside passus, quem à supplicij genere alij denodatum, alij interciſum cognominarunt, nos vsitatiore vocabulo deartuatũ potiùs dicẽdum censemus. Huic enim se Christianum profitenti manum pedumque digiti nodatim præciduntur, tum palmæ, tũ brachia, tum lacerti ad humeros vsque, sic & pedes, & tibiæ, & crura. Ita tamen ille trunco corpore Deo laudes gratesque agere non cessauit, donec regis iussu dissecta ceruice consummauit Martyrium, tàm fide integer, quàm membris lacer. Sic statur pro Religione, sic dimicatur pro Christo. Hoc militiæ genere ad cœlestem gloriam Angelorumque triumphum peruenitur. *Iacobus de Voragg.* *Iacobus Dearuatus Mart.*

Quamobrem haud alium animum etiam ijs inesse oportet, quibus patiendi deest occasio. Sic enim sine Martyrio Martyrij meritum adipisci poterunt, sicut adeptum credimus beatum Dominicum Prædicatorum Patrẽ. Qui *Dominic.*

cum

Digitized by Google

cùm iter ageret, intrepidus in hæreticos qui sibi insidiabantur incurrit. Ab ijs percunctatus quid facturus esset, si comprehensum trucidare vellēt: Præcarer vos, inquit, ne vno ictu mortem mihi inferretis, sed priùs particulatim mutilantes, membrorum meorū frusta ante me numeranda exponeretis: deinde vt hos oculos effoderetis, & postquam me aliquandiu in meo volutassē sanguine, tum demum reliquum corpus cæsum dilaniantes, crudeliter extingueretis pro nomine Domini mei Iesu Christi. Obstupefacti illi tanta viri audacia, intactum dimisere. Aliàs etiam hæreticis necem minitantibus, nondum se Martyrij gloria dignum dixit, sed vt dignus euadat, valde cupere. Igitur neque insidijs inimicorum neque minis deterritus est, ne vel pergeret, quò necesse erat: vel loqueretur, quod opus erat ad salutem multorum. *Garzo. in vita eius.*

De Patientia Martyrum feminei sexus.
CAP. VI.

SATIS hæc de viris, feminarum iam Martyria pertractemus, quandoquidem nec illarum aut minor in sustinendo fuit constantia, aut leuiter in patiendo pœna.

Barbara Virgo.

BARBARAM Christo deditam Virginem infidelis pater hostiliter persecutus est. Flagris cæsam, & per capillos tractam, Alexandriæ Præsidi Martiano puniendam obtulit. Præses autem sacrificare nolentem neruis bubalis duriter verberari iussit, & in carcerem trudi. Ob quā illa patientiam meruit à Christo visitari, & passionis dolorem præsentia dominicæ suauitatis mitigauit. Dehinc educta dum ad supplicium traheretur, gaudebat. Itaque lampades, malleos, flagella constanter pertulit. Cumque amictu ipsam exuissent, magis pudore nuditatis, quàm dolore affecta pœnæ, ad Deum orauit, & stola candidissima diuinitus inducta apparuit. Postremò cùm obtruncari iuberetur, pater filiæ carnifex fuit: sed mox tanti sceleris iustas exoluit pœnas, fulminis ictu interemptus. Ipsa verò corporis vinculis expedita, cum Virginitatis Marty-

Digitized by Google

Martyrijque corona ad cœlestis tandem Sponsi thalamos læta migrauit. *Metaphr.*

PAR intolerandis tormentis Agathæ Virginis fortitudo fuit. Quintiano Siciliæ Proconsuli extrema minitanti, nisi Dijs thura poneret, respondit, se Deo vero sacrificaturam, non dæmonijs. Et cùm fidiculis equuleoq; vexaretur, delectari se pœnis, non tristari, dixit. Quoniã sicuti triticum non reconditur in horreum, nisi tritura ventilationeque permundatum: ita & se non posse ad patientiæ præmia peruenire, nisi supplicijs ante probetur. Hinc iubente Quintiano, mamillam illi à pectore distorquent, mox & abscindunt. At ipsa ad Quintianũ conuersa exclamat: Impie, crudelis, dire tyranne, non te pudet in me amputare, quod in matre suxisti? sed nihil proficis. Habeo enim quas auellere non potes interioris fidei speique mamillas, quarum alimento reparatur in me sustinendi virtus. Post hæc in carcere posita, Petrus Apostolus apparẽs plagam curat, & locus ante tenebris horrens, pedoreq; tristis, repentè illustratur suauiteréq; fragrat. Attoniti eo miraculo custodes, reseratis ianuis Virginem vt abiret hortati sunt. Cæterũ ipsa, ne stans in limine victoriæ pedem referendo præmiũ amitteret, nusquam discessit. Postero igitur die Quintiani iussu, super prunas testis permixtas aliquandiu volutata torretur, simul ac laceratur. Fluenteque vbertim cruore ignis extingui cæperat, cùm tam immane facinus terra non ferẽs intremuit, pars muri quassata Quintiani assecl as oppressit ruina. Virgo rursum carceri reddita, cùm finem orasset vitæ, obdormiuit in Domino. Neque illa in funere Angelicis laudibus caruit, quæ in tormentis fidem seruauit. Ab Angelis quippe adposita fertur sepulturæ eius marmorea tabella, in qua scriptum erat: Mentem sanctã, spõtaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem. Et sit tam gloriosa iacuit in tumulo, quàm felix regnat in cœlo? Vt autem & hinc pateſcat, quantò sint miseriores qui torquent, quam qui torquentur; Quintianus cum equo, cui insederat, in fluuium præcipitatus, vorticibusq; obrutus, nusquam comparuit, *Sur. Tom. 1.* *Agathe Virgo.*

AGNES

Digitized by Google

Agnes Virgo.

AGNES Romana Virgo tertiodecimo ætatis suæ anno primùm contra pudicitiæ oppugnatores inuicta perstitit, & ad lupanar vi abducta, Deo protegente corrũpi nequiuit. Deinde ab Aspasio Tribuno, quòd Christum confiteretur, ei se desponsatam dicens, in ignem comburenda impingitur. Sed diuisa flamma carnifices adussit, ipsa non attigit. Aspasij tamen irâ, flammis feruentior, ferro illam iugulari iussit, cui ignis pepercerat. Miremur viros contempsisse supplicia, si in tam tenella ætate femineum pectus tantum exhibuit constantiæ, vt torqueri, vt occidi mallet, quàm vel sanctæ Virginitatis propositum deserere, vel Christianæ credulitatis fidem. *Ambr. Serm.* 90. & 1. *Offic.* 44.

Cæcilia Virgo.

CAECILIAE quoque Romanæ Christo dicatæ Virginitas Martyrij retulit triumphum. Quæ Valeriano desponsata, dum nuptiarum celebris ageretur dies, pro Fescenninis Euangelium intra se tacita decantauit. Et cum iam in cubilis secreto cum Sponso adesset, illi fidẽ Christi deinde etiam Tiburtio fratri eius persuasit, atque ambos ad coronam egit Martyrij, Angelorum visu rosarumque cœlestium odore antè animatos. Ipsa quoque, quoniam Deos gẽtilium simulachra vana esse diceret, Almachij Vrbani Prætoris iussu in ignem cremanda deijcitur; & cùm illæsa permaneret, decollari iubetur. Ter percussa occidi non potuit, & dimissa triduum superuixit, vt neque tũc moreretur cum carnifici liberet, neque vltrà, quàm sibi expediret, viueret: ne & ille nece eius gloriari posset, & ipsa tardius quàm vellet, cùm seruatæ castitatis tum consummati Martyrij reciperet mercedem. *Ado, & Aloysius.*

Catharina Virgo.

CATHARINA Virgo sanctitatẽ magis quàm regia stirpe clara, atque inter Alexandriæ puellas pulcherrima, plus tamen virtutibus quàm forma pollens, cùm Maxentius Cæsar Christianos ad idolorum culturam cogeret, prorupit in medium, Cæsarem increpuit, Martyres præmij spe confirmauit, mundi sapientes disputando victi; ita vt conuersi pro Christi nomine, quod impugnauerant, iam defendendo mori non formidarent; pro quo & ipsa

Digitized by Google

ipsa scorpionibus cæsa, in carcere fame sitique afflicta, ab Angelis visitatur atque alitur. Faustinam Maxentij cõiugem Porphyriumque militum Magistrum cum ducentis militibus in fidem recepit Christi. Quamobrem rotis applicatur, ita arctè compositis, vt in orbem acta, multiplici mucrone discidissent alligatam, nisi exemplo vi diuina, veluti fulminis cum fragore ruẽtis ictu, ipsa tormenti moles fracta dissilijsset. Itaque Virginem intactã reliquit, multam tamen infidelium turbã violento fragmentorum excussu prostrauit. Cæteri qui euaserant, ferè omnes Christo credidere, Martyrioque cum Faustina & Porphyrio coronati sunt. Cùm ergo Catharina tantam multitudinem ante se ad cœlum præmisisset, & iam eos cuperet sequi, obtruncatur. Vulnus lacte manasse conflat, vt Virginalem puritatem testaretur. Corpus ab Angelis inde vsque ad montem Sina delatum, vt vbi à Deo data Lex fuit, ibi illius monumentum esset, quæ sic pro lege stetit Christi, vt & Philosophorum sapientiam cõfutaret, & tyranni sæuitiam nec reprehendere timeret, nec ferre recusaret. *Metaphr.*

LVCIAM Virginem Syracusanam Pascasius Proconsul ad prostibulum adduci jussit, & illa neque virorũ neque boum vi, qui funibus vinctam trahere nitebantur, loco moueri potuit. Lignorum ergo struem tyrannus circumponi, & Virginem incendio consumi decernit. At illa inter flammas constituta calorem non sentiens, Deo gratias agebat. Furit Pascasius, & iam quõ se vertat nescit, dum ipsum à femina vinci pudet. Cumque animo conflictaretur, quidam ex lictoribus districto ense Luciæ iugulum transfodit, nec tamen illa mori potuit, donec Eucharistiæ Sacramentum de manu Sacerdotis accepit, illoque comitata ad cœlum abijt, cuius fidem in terra, cùm torqueretur, non deseruit. *Aloysius.* *Lucia Virgo.*

TECLA Virgo, Pauli Apostoli prædicatione instructa, Christo se dedicat, & iuuenem, cui pacta fuerat, repudiat: à matre Christianitatis quasi sacrilegij accusatur, à Proconsule Alexandro igne cremanda condemnatur, sed *Tecla Virgo.*

Digitized by Google

sed ignis repentino imbre extinguitur; illa intacta liberatur. Rursum comprehensa bestijs exponitur, sed inter leones & vrsos tuta securaque permanet. In fossam serpentum deturbatur, & serpentes emoriuntur. Tauris ferocissimis distrahenda alligatur, & ruptis vinculis periculum euadit, omniumque mentibus in stuporem versis, libera dimittitur. Inde ab Iconio, vbi talia passa est Seleuciam deueniens, multis doctrina sua Christo ascitis, vitam hanc cum æterna commutauit, parata quidem pro veritatis assertione omnia perpeti supplicia, nisi ab ijs illam Dominus protexisset, multorum consulens saluti, dum vni parcit. Ipsam tamen sic præmijs afficiens Martyrij, ac si pœnis Martyrij esset consumpta. O felicē Virginem, quæ non sensit tormentorum cruciatus, & recipere meruit præmium! *Amb. lib. 2. de Virginib.*

Dorothea Virgo.

DOROTHEA Virgo Cæsareæ Cappadociæ coppidō pro Christi nomine à Fabricio Præfecto diu torta, cùm tādem ad capitale supplicium duceretur, gaudebat quòd se ad Sponsum ire diceret, cuius Paradisus omnium florum omniumque fructuum ferax, multo amœnius, quàm dici possit, vernat, suauiùs fragrat, copiosiùs exuberat. Tunc Theophilus Scriba ridiculi causa illam rogauit, vt cùm eo peruenisset, inde sibi rosas aliquot mittendas curaret. Cui ipsa: Ne quid, inquit, impossibile esse credentibus credas, quod petis efficiam. Postquam ergo decollata est, Theophilo in curia versanti puer cum recentium cistula rosarum apparuit, & quidem brumæ tempore, quando nihil in aruis florere solet, easque ipsi à Dorothea de sui Sponsi paradiso missas dixit; & cum obtulisset, ex oculis euanuit. Vides ergo ille serio factum, quod ioco popposcerat, quia fieri posse non credebat, & altiùs rem considerans, Christianum fecit, Martyriumque sustinuit, post rosas, fructum quoque veræ perfectæque beatitatis percepturus. Si Theophilum rosæ mouerunt, moueant & nos quotidiana Sanctorum miracula, ne pro Christo quicquam ferre perpetique timeamus. *Eus. Hist. lib. 8. cap. 17. Sur. Tom. 1.*

Theophil. Martyr.

Apollonia Virgo.

NEC te, Alexandrina Virgo Apollonia, hoc loco tacebi-

Digitized by Google

cebimus, cui dentes euellere, quam igne cremare Decij Cæsaris immanitas potuit, fidem corrumpere non potuit. *Ibid. lib. 6. cap. 31. Sur. Tom. 1.*

ET tu inter Aphricanas puellas forma, nobilitate, atque animo præstans, Iuliana Virgo, vt Christo nuberes, Eleusij Nicomediæ Præfecti nuptias contempsisti, & vnius Dei famulam te confitens, ab idolis autem abhorrens, flagella, virgas, plumbum pateris, nec propositum mutas. Diabolum visibili specie tibi insidiantem ligas, & verberibus afficis, & in latrinam præcipitem mittis, hunc vindicando, tyrannum patiendo superas. Sed etiam inter tormenta apparuit patientiæ virtus: rotis conterēda subijceris, & franguntur: in bulliens plumbum mitteris, & tepescit. Capitis demum obtruncatione imples Martyrium, & Ecclesiæ Capiti Christo iungeris, tanto morte facta felicior, quanto fuisti in tolerando constātior. *Sur. Tom. 1.* *Iuliana Virgo.*

Eadem virtus & Margaritam Virginem Christo desponsauit. Hæc ab Olybrio Antiochiæ Præfecto adamata deinde quòd Christiana esset, amore in odium verso, in equuleo fuit suspēsa, virgis cæsa, vngulis lacerata, carceri tradita. Vbi à dracone deglutita, rupto illius ventre euasit illæsa. Et dæmonem, qui humana figura ad se decipiendam venerat, prostratum pedibus conculcauit, ita vt ille emisso eiulatu, & se victum confessus, euanesceret. Victrix igitur diaboli, nec humanis viribus vinci potuit. Cùm enim iterum in equuleo tolleretur, facibus vreretur, in aquam mergeretur, terra tremuit, vincula soluta sunt, vulnera curata, Virginale caput solari radio coronatum apparuit, multa hominum millia ad Christū conuersa sunt. Ita postremò Virgo capite cæsa, relicto corpore cœlum petijt, vt semper cum Christo viueret, quæ pro Christo mori non dubitauit. *Metaph. Sur. Tom. 4.* *Margar. Virgo.*

EVPHEMIA Virgo, dum Martyres Chalcedone ad toleranda fortiter tormenta palàm hortaretur, dum cū ipsis torqueri cupiens, clamat: Iniquum esse, vt sibi quæ Romana esset, & quidem Senatoris filia, aduenæ & ignoti homines præferantur, se priùs ad Christum mitti oportere. *Euphem. Virgo.*

tere. Hac vociferatione pronocato Prisco Præfecto, in carcerem cum cæteris qui damnati erant, detruditur, & Deo gratias agit, quòd se Martyrum numero dignam fecisset. Deinde cum alij vincti, ipsa soluta, in forum producerentur, questa est derogari Principum edicto, quòd non se quoque sicuti reliquos vincula constringerent. Præfectus ergo se ludibrio à puella haberi iratus, iracundè hoc tulit, omniaque in illam tormenta, quæ furenti occurrere poterant exercuit, alapas, equuleum, ignem, ungulam, trapeta, bestias, gladium, quo tandem illa confossa, tradidit spiritum. Igitur non sola virginitate Christo placere desiderans, vltrò se exposuit supplicijs, vt placeret & martyrio. *Metaphr. & alij.*

Theodosia Virgo. THEODOSIA Virgo Cæsareæ Palestinæ oppido passa quia Christum apertè cõfitebatur, Vrbani præsidis iussu per capillos nuda suspẽditur: nubes autem ab alto delapsa nuditatem eius texit, feri eis nexibus constricta in teterrimo carcere compingitur. At verò veniente ad ancillam suam Christo, illuxit carcer, vincula confracta sunt, ipsa virgo iucunditate perfusa. Deinde saxo ad collum ligato, in mare præcipitatur, sed ab eo soluta ad litus enatauit. Tum etiam leopardis exponitur; sed bestiæ, quam illico dilaniaturæ putabantur, non attigerunt. Denique Præses omnibus bestijs efferatior, quandoquidem illam aliter consumere nequiuit, obtruncari iussit, nullis tamen tormẽtis, vt idolis adoleret, efficere potuit. *Mart. Vsuard. Apr. 2.*

Christiana Virgo. CHRISTIANAM Virginem in oppido Italiæ Tyro (quod ad Vulsinium lacum situm est) passam, mirari facilius est, quàm laudare. Patris sui Vrbani Tyri Præfecti idola argentea confringens, egenis dispertiuit; blandimẽta illius, quibus ipsam à Christo auertere moliebatur, despexit, minas irrisit; non flagellis, non vngulis dilaniata constantiã mutauit. Quinimo laceræ carnis frustum in patrẽ proijciens, ait: Satiare carnibus miser quas genuisti, filiam comedere potes, at certè vt impietati tuæ consentiat, facere non potes. Hinc rotis alligatur, & subito igne vritur, in lacumq; deijcitur. Mox defuncto patre, à

Dio-

Digitized by Google

Dione eius successore in oleo, resina, & pice coquitur, & cum ab hac quoque pernicie liberasset eam Dominus, ad Apollinem adorandum ducta statuâ precatione subuertit, & ipse vates Apollo, quod futurũ de se non præuiderat, redactus est in puluerem. Tũ Dione quoq; morte repentina subtracto, subrogatur Iulianus. Qui Christinã in fornacem ardentem mitti iussit, sed missa noxã nõ sensit. Serpentibus mordendam obiecit, sed serpẽtes illa dimissa, veneficũ inuasserunt, interẽptum verò ipsa suscitauit, & serpentes in desertũ fugere cõpulit. Serpentibus tamẽ sæuior Iulianus, mamillas illi amputari iubet, linguam præcidi, ipsam sagittis confici. Tali demũ Martyrio consumptã cœlũ suscepit, Sancti honorarunt, Angeli laudibus extulerunt, Christus amplexatus est, Deus Pater regni cœlestis hæreditate donauit. Siquidem vna puellula à tribus crudelissimis ciuitatis Præsulib' cõtinẽter excruciata, vinci nequiuit, hoc est, vt peccaret, compelli nulla vi vnquam potuit. *Vincent. Spec. lib. 12. c. 82. Sur. Tom. 3.*

Stephani Martyris.

ANTONINO Augusto Ecclesiam persequente, dũ in Sicilia Sebastiani Proconsulis iussu Victor Martyr torqueretur, Stephana militis cuiusdam vxor, visis miraculis ad credulitatem conuersa, Christum Iesum Dei Filiũ confiteri cœpit. Cumque nullo pacto ab ea confessione reuocari posset, duobus duarum arborum aliquantulum inter se distantium ramis, aduerso inflexu vi ad terram curuatis, alligata atque dimissa, rapido eorum in diuersũ reductu repentè discerpitur, & dispersa per humũ cruore, diffluentibusq; intestinis corporis partes in suo vtraq; ramo suspensæ palpitarunt, nec tamen discerpi mulieres fides potuit, quam illa integram conseruauit, & pro qua seruata immarcessibilem Martyrij coronam accepit, tãto maiori honore à Christo suo affecta, quanto pro eius nomine à tyranno crudeliùs interempta.

Iulita & Quiricus Martyres.

IVLITA cum paruulo filio Quirico apud Tharsum Ciliciæ oppidum passi sunt. Ipsa primum Alexandri Imperatoris iussu durè flagellatur. Quiricus verò adhuc trinus puer, spectante matre præcipitio in terram elidi-ur. Rursum ipsa eũ in confessione Christi perseueraret,

excoriatur, picis bullore perfunditur, postremò decollatur. Necdum satiata tyrāni rabies, aduersus inter fectos desæuit: mortua corpora frustatim concidi lateque dispergi iubet, quasi verò si Sancti in terra tumulo careant, in cœlo non sint habituri locum. Vt tamen illo multo etiam ab hominibus honorarentur, qui tamen Angelis iuncti erant; frustis illis inter se coeuntibus, atque consolidatis, corpora integra inuenta sunt, & sepulturæ mādata, & à fidelibus reuerentiæ habita.

Maxima & Donatilla Martyres.

MAXIMA & Donatilla sorores, cùm se suamque Virginitatē Christo dedicassent, persecutione Galieni Principis in Aphrica passæ sunt. Felle primùm & aceto Anolini Præsidis iussu potatæ, gaudebant, quòd dignæ habitæ essent, eam iam bibere pro Domino amaritudinem, quā antè pro ipsis Dominus biberat in Cruce. Inde verberibus diruptæ, calceque confricatæ, vt plagarum dolor duplicaretur, ad hæc etiam in equuleo extentæ, compelli non potuere, vt idolo immolarent. In quod cùm expuissent, super craticula torrentur, deinde ad bestias damnātur. Sed igne bestijsque parcentibus, non parcit Anolius, gladio ambas cædi iussit, vt se & flammis ardentiorem & feris animalibus truculentiorem ostenderet. Ipse autem Virgines quoniam constanter tormenta pertulere, nunc inter Angelorum choros feliciter exultant, eiusto spectu semper fruentes in cœlo, cuius vnius amore terrena omnia contempserant.

Felicitas cū septem filijs Martyres.

CVIVS etiam amore Felicitas Romæ passa, nec Antonini Imperatoris edicta, nec Publij Tribuni minas quicquam pensi fecit. Seque & septem filios tyrannicæ vltro ingessit crudelitati, dum vnà cum illis quos genuerat, ad Martyrij palmam cuperet peruenire. Ecce iam cernit alium plumbatis cædi, alium fustibus mactari, aliū precipitio elidi, cæteros capite truncari, & inde non se animo minùs quàm illos corpore torqueri, & tamen vt in confessione perdurent, hortatur. Ipsa demum colaphis fracta carcerisque angustijs afflicta, cùm liberos, quos ad Martyrium præmiserat, sequi oportet, decollatur. O verè felix Felicitas, cui tantum animi fuit, vt & filiorū tormenta

Digitized by Google

menta constanter spectares,& tua fortiter perferres? Felix,quæ octuplici patientia ,octies Martyr , octo donanda coronis cælum ascendisti,toties pro Christo mortua, quota cum filijs,quos vna tecum morti exposuisti,numeraris. Vicisti fortitudine Machabæorum matrem, quòd illa pro Lege sustinuit,tu passa es pro Euangelio. Sed illa comprehensa dicitur,tu te tua sponte obtulisti, magnificum quidem Christianorumque proprium existimans, Christianitatem non dissimulare, supplicia cõtemnere, quorum tolerationeprobatur fides , glorificatur Christus, verè Dei cultus innotescit. *Gregor. Homil. 3. Euang. & Pet. Chrysolog. Serm.* 134.

Infinita sunt huiuscemodi tum virorum tum feminarum exempla. Sed nobis ista satis sint,quæ retulimus. Et si cui non satis erunt,nec illa profectò satis esse poterũt, quæ omissa sunt. Quo tamen quisque ad omnia minus trepidè se accingat, libet in fine partis huius etiam quædam Scripturarum dicta, veluti vrgentes ad pœnarum contẽptum stimulos adhibere. Tu igitur, qui persecutionibus premeris impiorum, noli animo concidere : tecum est Domin⁹, noli timere: ille te de hac breui calamitate mox ad æternam euehet felicitatem. Ait enim: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Hoc idem & in Euangelio affirmauit,dicens: Mũdus gaudebit, vos verò contristabimini: sed tristitia vestra conuertetur in gaudium. Idcirco sicuti Dominus,ita & serui eius hac spei expectatione patientiam nostram stabilire monendo exhortandoque studuerunt. Iacobus, qui primus inter Apostolos lauream meruit Martyrij: Patientes, inquit, estote fratres vsque ad aduentum Domini. Ecce Agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens,donec accipiat temporaneum & serotinum. Ipse etiam Princeps Apostolorum Petrus: Communicantes, inquit,Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi,beati eritis, quoniã quod est honoris gloriæ & virtutis Dei,& qui est eius spiritus, su-

Sententiæ.

Psal. 90.

Ioan. 16.

Iacobi 5.

1. Petr. 4.

Digitized by Google

per vos requiescit. Hinc quidem vas electionis Paulus magis iam in vinculis, quàm cum liber esset, gaudens
2. Tim. 1. Hæc patior, ait, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Denique in ipso vitæ exitu seruatæ innocentiæ recordatione præmijque capiendi magnitudine
Ibidē 4. lætus: Ego iam delibor, inquit, & tempus resolutionis meæ instat, bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius. Quod si quis adhuc sanctos Martyres æmulari ignaua timiditate victus hæsitauerit, discat, quia ij sunt
Zach. 6. equi illi in Zacharia Propheta, cruoris aspersione rubi, patientiæ virtute robustissimi, de quadriga prodeuntes
Ibid. 13. Euangelij, & perambulantes terram. Dum enim ad cœlum sibi viam affectant, terrena omnia pedibus conculcarunt. Hi sunt illa tertia pars, quæ apud eundem Prophetam, duabus reliquis, hoc est, Iudæis & Gentilibus deficientibus prædicitur superfutura. Partes duæ, inquit, in terra dispergentur & deficient, & tertia pars relinquetur in ea, & ducam tertiam partem per ignem, & vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum.
Apoc. 7. Hi sunt (vt in Apocalypsi legimus) qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni, ideo sunt ante Thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui sedet in Throno habitabit super illos: non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, neque vllus æstus, quoniam Agnus qui in medio throni est, reget illos, & & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus
Sapien. 5. omnem lachrymam ab oculis eorum. Hi (sicut alibi scriptum est) stabunt in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & illi videntes turbabuntur. Denique gementes dicent: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios

Dei,

Digitized by Google

Dei, & inter sanctos sors illorum est. O exoptanda tormenta, desiderabiles poenæ, nũquam satis concupita nex, per quorum patientiam ad tantam peruenitur felicitatem!

De ratione resistendi diabolo.
CAP. VII.

DIDICIMVS quemadmodum praua atque impia iubentium minas oporteat contemnere, omniaque extrema pati, priùs quàm Religionis fidem violare: Discamus nunc diabolo resistendi ratione, quando hic quoque blanditijs allicit, terrificationibus vrget, partim dolo, partim vi contendit, modis omnibus, horis omnibus, nunc occultè, nunc palàm, vt hominis innocentiam subuertat, molitur; inuidens illi cælestem beatitudinem, à qua se irreuocabiliter decidisse meminit. Facilè autem & callidtatem eius cauere, & vires nõ timere poterit, quisquis hac etiam in parte Sanctorum exempla diligentiùs inspexerit, accuratiusque obseruauerit.

IAM à principio coluber tortuosus diabolus, humano generi infensus, in primos homines inuidiæ suæ virus vomere cepit, ac ligni à Deo vetiti vsum suadens, nequaquam moriemini, inquit, sed eritis sicuti Dij, scientes bonum & malum. Mẽdaci promissione pellexit eos ad peccandum, & illi diuinum transgressi mandatum, quam primùm maledictionibus succubuere. Igitur caueamus ab eo, quia inimicus est, nec verbis eius præstemus fidẽ, quia fallax est. Homicida fuit ab initio (vt Saluator ait) & in veritate non stetit; quia non est veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius. *Adam & Eua.* *Genes. 3.* *Ioan. 8.*

Laudatur à Domino Iob, Satanas inuidet, sed nocere nisi permissus non potest. Vbi verò potestatem nocendi accepit, iustum hominem omnibus afficit ærumnis, postremò & mala corporis valetudine terribiliter vexat. Sed fortis Dei athleta semper inconcussus perstitit, quodque diabolus ad eius integritatem euertendam ma- *Iob.*

Digitized by Google

dam machinatus fuerat, id illi cessit ad gloriam, & patientiæ virtute tanto est factus clarior, quantò calamitosiùs oppressus. Constat igitur, aduersos interdum casus diaboli calliditate prouenire, vt hominem ad impatientiam trahat, quem prosperis in rebus modestum, pium, ac Deum timentẽ videt. Quòd si etiam in aduersis patientem esse cognouerit, iam illum vltrà infestare erubescit, quẽ tot virtutum armis munitum cernit. Duplicia autem Iob post probationem recepisse dicitur, vt & tu te multò plura adepturũ speres, si amissa æquo animo pertuleris:

Christus. QVEM autem hominum omninò intentatum relinquet ille, qui Dei Filium Iesum tentare non timuit? Cùm enim dubitaret an ipse esset, ieiunium & iam esurientem ad gulę vitium prouocat, dicens: Dic vt lapides isti panes *Matth. 4. Luc. 4.* fiant. Mox quem constantem in ieiunando cognouit, posse eum mentis elatione cadere credidit, qua sibi iam sanctus videretur, & supra pinnaculum Templi constituto *Psal 90.* ait: Si Filius Dei es, mitte te deorsùm. Scriptum est enim; Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Cumque etiã humilem esse deprehendisset, adhuc auaritia animum pul- *Matth. 4.* sat, ostendensque ei regna mundi & gloriam eorum. Hæc omnia tibi dabo, inquit, si cadens adoraueris me. Cũ autem & hoc incassum suasisset, iam omni vincendi spe amissa, reliquit eum, & Angeli accesserunt, & ministrabãt ei. Angelico ergo ministerio honorari dignus erit, qui diabolum vicerit.

Vt autem vincamus, quoties ad lautiores cibos auidi- *Matt. 14.* tas vrget, meminerimus, quia non in solo pane viuit homo. Quoties ad subeunda pericula sola temeritas prouocat, statim occurrat, quia Deum tentare non debemus. Quoties honorum opulentiæque cupidine solicitamur, protinus ad mentem reuocetur: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Postremò quoties pernitiosarum cogitationum stimulis agitabimur, semper resi- *Ibidem.* stendo ac repugnando clamemus: Vade retrò Satana, iam satis certi, eò Angelos accessuros, vnde diabolus victus recesserit.

At

Digitized by Google

At victo etiam Satana, impensè cauendum est, ne qua ei hoc surrepat inanis gloriæ iactatio. Mirabantur se Apostoli, quòd dæmonijs imperarent, & audiunt: Nolite gaudere in hoc, quia dæmonia subijciuntur vobis, gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Et videbam Satanam, inquit, sicut fulgur de cælo cadentem. Qui quanto se altiùs erexerat, tantò inferiùs corruit. Qui ergo acceptam gratiam semper integram conseruare cupit, semper humilitati studeat, in omnibus Deo gratias agat, si malarum tentationum victor euaserit, illi soli acceptum referat. Ait enim: Sine me nihil potestis facere. *Apostoli. Luc. 10. Ioan. 15.*

Satanas quippe iste nequissimus, cùm Domini discipulos cribrare sicut triticum expetisset, non est permissus, nisi in eum, qui de se multum præsumpserat, dicens: Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Petrus ergo & tentari & labi dimissus est, vt per pœnitentiam humiliatus, disceret iam non sibimet confidere, sed ei cuius beneficio etiam post lapsum subleuatus est ne periret. Igitur quisquis aliquid boni operis propria virtute se effecturum promiserit, diaboli vanno concutietur; & cùm triticum mundum se esse crediderit, inter decermina computabimur. Frustra aliquid conamur, nisi Domini affuerit auxilium, cum illo in carcerem vel in mortem ire tunc poterimus, cùm ipse audiendi præstiterit fiduciam. Vt autem præstet, rogari vult, dicens: Petite, & dabitur vobis. *Petrus Apostolus. Luc. 22. Luc. 11.*

Nec solùm Diabolus, verùm etiam corpus nostrum aduersatur nobis. Vas electum Paulus: Video, inquit, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Deinde exclamat: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? & quia ipse per se non sufficit, respondet: Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Sed quoniam gratia ista solicitis, non otiosis, opitulari soleat, ipse quoque non cessat, quantum potest, reluctari aduersario suo, & flagellationum iugo premere illum, atque imperare volentem, ad *Paulus Apostolus. Rom. 7.*

Digitized by Google

1.Cor.9. obediendum compellere. Castigo, inquit, corpus meum, & in seruitutem redigo. Igitur si pugnat caro, castigatione reprimenda est, reprimentem Dei gratia adiuuabit. Carnis autem castigatio est ieiunium, vigilia, deprecatio, verberatio, labor.

Idem. Ad hæc idem Apostolus etiam à Satana verbera sustinuit, neque hoc sine Domini voluntate. Sed ne magnitudo reuelationum, inquit, extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ. Angelus Satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur. Qui Apostolo gratiam dederat, dedit & stimulum. Nulla enim potest esse victoria, vbi nulla est pugna. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, Rogemus ergo Dominum non vt submoueat nobis tentatorem, sed magis vt suppeditet vincendi facultatem.

1.Cor.12.

2.Tim.2.

In illos autem præcipuè diaboli insurgere solet malignitas, qui terrenis contemptis, religiosè vitam instituere decernunt. Idcirco præceptum est: Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Duo Iuuenes Ioannem Apostolum secuti (vt alibi diximus) cùm deinde angi animo cœpissent, quòd facultates suas in pauperum vsus erogassent, nec iam Apostolo meliora certioraque sperare iubenti acquiescerent, virgis in aurum mutatis, & lapillis in gemmas, plus etiam recipiunt quàm reliquerant. Mox cuiusdam (cui Stacteo nomen erat) à morte suscitati verbis credentes, quibus ille se vidisse affirmabat, quam ingentem gloriam in cælo paratam sibi ipsis amisissent, ad quantam infœlicitatem deuoluendi essent, quòd retro cesserint: rursum ad populum reuersi, restituto quicquid ab eo acceperant, paupertatem in vita coluêre, vt potiùs post obitum diuites fierent. Reuocauerat eos diabolus ad pristinæ conuersationis vomitum, sed Apostoli precibus & Dei dispensatione factum est, vt deprehensis inimici fraudibus ac dolis, quod impudenter repetierant, constantiùs refutarent. Sic in tempore resipiscentes, gloriam illam,

Eccli.2.

Duo Ioannis Apostoli discipuli.

Digitized by Google

illam, quam sibi in cælo repositam fuisse audierant, iam amissam recuperarunt. *Abd. in vita Iob.*

Hugo Abbas.

DE Hugone quoque Bonæuallis Abbate legimus quòd Religionem professus, continuò ad seculum redire tentatus sit, nec ferre ad intima vsque penetrantes inimici sagittas potuisset, nisi eis orationum scutum opposuisset. Oranti Virgo Dei genitrix apparuit, & iam dubium suspensumque ad perseuerandum in sancto proposito animauit, Non est ausus postea diabolus eum lacessere, quem pro viribus repugnantem ipsa cęli regina, ipsa Angelorum Domina, dignata est adiuuare. *Sur. Tom. 1. & alij.*

Eiusdem discipulus.

SVB hoc Abbate iuuenis quidam religiosus voto obstrictus cum itidem peruersis cogitationibus multum ægritaret, vt è monasterio fugam faceret, confessus est Abbati tam pernicioſæ tentationis molestias. Tum demum eius exhortationibus roboratus, illis fortiter repugnauit. Biennio post aduersa valetudine correptus, vita decessit, atque apparens in visu, Abbati gratias egit, quòd eius consilio, ope, operaque, Religionis statum non deseruit, & eam ob rem inter Beatos collocatus esset. Tantum ipsi profuit hasce inimici suggestiones suo detexisse Abbati, neque cælatas tenuisse.

Eiusdem discipuli duo.

DVO etiam nouitij Monachi, eandem improbissimi spiritus molestiam passi, ab eodem Hugone admonentur ne discederent. Vitam enim æternam in Monasterio permanendo consecuturos, discedendo male finituros. Alter eorum recedens, ab inimicis in prælio peremptus, occubuit: alter manens, cùm aduersa valetudine oppressus animam ageret, beatam Virginem vidit, & ab ea consolatus, ac certior factus, quòd beatitudinem olim ab Abbate promissam, mox accepturus esset, lætus diem suum obijt. Vtriusque euentus aperte docet, & quantum mali consequantur qui religionem professi ad seculum redeunt: & quantum boni, qui in ea perseuerant.

S. Bernardi Abbatis discipulum.

AD superandum hoc diabolicæ machinationis genus, multum profectò adiuuat oratio Sanctorum. Sub Bernardo Abbate quidam nobili familia ortus, cùm se Monachum fecisset, in tantum mentis tædium lapsus est, vt palam

Digitized by Google

palàm diceret, nunquam se hilari sedatoque animo futurum. Fruſtra illum fratres, vt in Domino conſolaretur, & ſpe præmij cæleſtis mœſtitiam deponeret, hortabantur. Fruſtra hoc ipſum Abbas admonendo exaggerabat. At verò vbi idem Abbas pro eo orationem fecit, ita immutatus eſt, vt econtrario exultaret, ac ſe iam deinceps perpetuò contentum victurum affirmaret. Quippe diabolus orantis Abbatis virtutem ſuſtinere non valens, ab impugnatione fratris illicò deſijt; & ipſe ſpiritalis gratiæ lucæ perfuſus, cauſam agnouit, ob quam gaudere iucunditateque affici deberet, & non conturbari neque mœſtus eſſe. *In vita S. Bernardi.*

Fratri Mederici diſcipulus.

NEC precationibus tantùm Sanctorum, verùm etiam rebus, quas ipſi contrectauerint, terrentur dæmonia & fugiunt. Siquidem Medericus Abbas, apud Edunum ſanctitate clarus, cùm Monachum libidinoſis cogitationibus æſtuantem, tunica ſua induiſſet, eiuſmodi moleſtia liberauit, diſcedentisque ab illo immundi ſpiritus vlulatus auditus eſt, & ipſe in caſtitatis propoſito, abſque laſciuiæ prurigine, purè integreque permanſit.

Eiuſdem Monachum.

ALIVS frater Mederici, reliquijs de menſa collectis atque hauſtis, vagæ mentis inquietudinem repreſſit, cùm antehac tali dæmonis illuſione ſolicitatus, perſiſtere in Eccleſia omnino non poſſet, ſed ſemper priuſquam ſolennis precatio peracta foret, egrederetur. Itaque vehementiorum tentationum remedia à viris quidem ſanctitate præſtantibus petenda erunt, cùm eos impuriſſimi ſpiritus ferre iam nequeant, à quibus toties victos fugatosque ſe reminiſcuntur.

S. Benedicti Monachum.

BENEDICTVS Abbas cùm fratrem quendam ſimiliter à diabolo illudi audiſſet, eius vicem dolens, ad Monaſterium, vbi is habitabat, acceſſit, viditque ipſum ab Æthiope puero extra Eccleſiam per veſtem trahi, dum cæteri fratres pſallere cœpiſſent. Inſecutus ergo eum atque increpans, virga percuſſit, neque ipſe poſtea eiuſcemodi mentis inſtabilitatem paſſus, cum alijs in oratione perſeuerauit. Sic Benedictus Monachum feriens, malignum ab eo ſpiritum in fugam conuertit. *Greg. dial. l. 2. c. 4.*

NATHA-

Digitized by Google

NATHANAEL Anachoreta, cùm ipsum solitudinis pertæduisset, ea relicta cellam sibi proximè pagum constituerat. Ibi dæmon forma supra modum fœda terribiliqúe ei apparens, ac flagellum manu concutiens, circumstrepere ferociter cœpit, vt pauefactum inde abigeret: Insuper iactabundus, quòd etiam prius habitaculum eum deserere compulisset. Quod vt audiuit Nathanael, ne qua in re de se gloriari diabolus posset, ad desertum reuersus, ita illic postea habitauit, vt de cellulæ suæ septo annos septem & triginta pedem non extulerit. *Pallad. Hist.* 18. *Nathan. Anachoreta.*

SED rursum Satan illum fraude aggreditur, Agasonem assimilat, & asellum panibus oneratum agens, dum sub onere lapsum attollere nititur, Nathanaelis opem inclamat, vt foris euocet. Suspensus ille restitit: charitas proximo auxilium ferre stimulabat, propositi ratio exire dissuadebat. Dum autem quid facto opus esset, secum deliberat, venit in mentem, ne fortè id quod cernebat, diaboli ad fallendum fabrica esset, & vocanti respondit: Si Christianus es, Deum deprecare, & ipse adiuuabit te. Sin Christi aduersarius, indignus es cui succurratur. His dictis visio euanuit. Et ipse Deo gratias egit, quòd tam callidè consutis dolis non sit captus, nec suum intermiserit institutum. Exemplo est, cùm nos in laqueos paulatim labi remissiùs agendo senserimus, resipiscentes etiam pristinæ perfectioni aliquid addamus, vt potiùs in laqueos incidat qui illos parauerat, & conuertatur dolor eius in caput eius. *Ibidem.* *Psalm. 7.*

Plurimum autem circa conuersionis nostræ initia dæmonum in nos concitatur indignatio, quibus si eo tempore minimè cesserimus, facilior erit reliquarum postea congressionum victoria. Antonium Alexandrinum Abbatem ad eremum pergentem, iam primùm verberibus discidêre. Semianimis relictus, ad proximum vicum curandi gratia delatus est. Cumque aliquantulum conualuisset, rursum eodem se referri iussit, iterum verberari cædique paratus, si ita Domini ferret voluntas, nec vlla vnquam diaboli iniuria à proposito deterrendus. Hac *Antonius Abbas.*

animi

Digitized by Google

animi constantia armatum cùm iam contingere nequissimi spiritus non auderent, monstrosa aduersarum imaginum facie metum illi incutere conabantur, ferarum more in eum rugientes, vlulantesque, ac simul serpentum sibilationibus perstridentes, rictibus ringentes, dentibus infrendentes, toruo oculorum aspectu scintillantes, & flammas ore, naribus, auribusque perflantes, nulla pauoris omissa specie, qua auertere illum possent. Cæterùm vbi fortissimum Christi militem, neque ictus curare, neque tam horrendo tetroque spectaculo quicquam commoueri vident, victos se confessi, confusique discessere. Ille seruiendi Deo semel iam susceptum votum magno constantique animo prosecutus est. *Athanas. in vita Anton. Sur. Tom.* 1.

Idem. Posthæc veterator spiritus, ne quid adhuc intentatum relinqueret, cogitationibus Antonij callidè sese insinuans, tanto solitudinis tædio animum eius pullauit, vt ille quid iam agere deberet dubius, ad Deum exclamaret, dicens: En ego, Domine Iesu, cupio his in locis tibi famulari, & nescio quò me inuitum subinde rapit violenta mentis meæ euagatio. Hæc dicenti Angelus monachali habitu iuxtà apparuisse dicitur. Et cùm aliquandiu nunc genibus prouolutus orasset, nunc surgens manibus ficellas texuisset, ad Antonium conuersus dixisse: Ita & tu, Antoni. Et hoc dicto, ex oculis eius euanuisse. Tali ergo precum laborisque vicissitudine deinceps vsus Antonius, diabolicæ molitionis tentamenta facilè vicit, & cùm minime esset otiosus, minimum in eum potuit inanis cogitatus distractio. *Ibidem.*

Idem. Et hoc quoque relatu dignum de illo ferunt, dum verbera terroresque perferret, lucem diuinitus apparuisse, qua expauefacti dæmones diffugêre. Antonium verò eo splendore recreatum erexisse se, & quasi præsentem Dominum aspiceret, dixisse: Vbi eras, bone Iesu, vbi eras? responsumque accepisse: Aderam Antoni, sed euentum pugnæ tuæ præstolabar, quam quoniam imperterritus immotusque viriliter sustinuisti, manet te victoriæ tuæ indeficiens in cælo triumphus, immarcessibilisque co-

rona,

Digitized by Google

rona, præmiumque sempiternum. Igitur omnis diaboli vis atque decertatio, sola pij propositi continuatione destruitur atq; dissipatur. Perseuerauit nempe Antonius, & mala quæ perpessus est, ad gloriæ illi cessêre incrementum. *Ibidem.*

MACHARIVS quoque Alexandrinus Abbas & ipse quidem multùm ab ijsdem spiritibus traditur infestatus. Parem autem eorum terrori extitisse vel inde constat, quòd in Gentilium sepulchro nocte quadam amoto cippo decubare ausus sit. Cumque ossa, super quæ iacebat, in vocem prorupissent, mansit immotus. Vox autem erat alteri respondentis, venire se nunc non posse, quòd eius, quem super se habebat, pondere grauatus esset. Ad quem Macharius, Exi atque abi, si potes, inquit: ego hîc pernoctabo. Dæmones igitur tantam hominis audaciam perstupentes obmutuêre, ne si plura in eum conari pergerent, victi magis erubescerent. *Pallad. Hist.* 19. & 20. *Macha. Abbas.*

Aliàs etiam terribilis dæmon falcem ferream manu vibrans, ac percussuro similis, eidem occurrit. Cumque nec sic eum terrere potuisset, superatum se fateri cœpit, superatum tamen non vigilijs, non ieiunijs, cum & ipse neque dormiret, neque comederet, sed sola animi semper se submittentis humilitate. *Ibidem.* *Idem.*

ITERVM illi apparuit medici speciem præferens, multasque vitreas ampullulas circa se gerens, & quò pergeret interrogatus, quidve sibi vascula illa vellent? ad proximum Monasterium iter se habere respondit, vt fratribus singulis singulas offerat potiones, eosque qui hauserint, sibi obnoxios reddat. Non multo pòst Macharius inde reuertentem conspiciens, quid egisset quæsiuit, atque accepit vnum duntaxat ex fratribus illis Theotiscum nomine ampullæ veneno delinitum. Anxiusque de fratris periculo protinus Monasterium adit, Theotiscum conuenit, inimici in eum captiunculas detegit. Et ille his auditis expauidus, quicquid mortiferum diabolo propinante gustauerat, repentè corrigendo sese, totum id euomere curauit. Si quid itaque quod peccatum sapiat, in animum influxerit, statim est egerendum, ne diutius ibi remoratum nos interimat. *In vitis PP.* IDEM

Digitized by Google

IDEM Macharius fratri, quem nequam spiritus occulta suasione eò induxerat, vt crederet inutiliter se in solitudine vitam agere, quòd nemini alteri quicquam benefacere posset, salubriter consuluit, vt quoties in huiuscemodi cogitatus incidisset, eis responderet: Hoc saltem in solitudine vtiliter ago, quòd amore Domini mei Iesu Christi à tuguriolo isto non decedo. Cessarunt ibi præstigiatoris insidiæ, vbi Christi amori datus est locus, & in cellula sua tranquillus permansit, qui iam de abitu cogitarat. *Ibidem.*

NEQVE hoc de eodem sancto ac mirabili viro hic prætermittendum, quòd carnalis lasciuiæ titillationem corporis fatigatione suo exemplo docuerit arcendam. Cùm enim saccum arena plenum humeris baiulans incederet, cur id ageret interrogatus, vexare se vexatorem suum respondit. Quippe voluptas, quæ otio alitur, labore fugatur. *Pallad. Hist. 20.*

Hilarion Abbas.

MVLTA quoque expaueſcenda & Hilarionem Abbatem à Satana in deserto perpessum, Hieronymus in eius vita tradit. Sæpe enim nocte intempesta ab eo auditos infantum vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctus quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus variarum portenta vocum, vt antè sonitu quàm aspectu territus cederet. Denique ipsum fronte Crucis signo armata solicitè circumspicientem, splendente Luna vidisse currum directis equis super se irruere. Cumque inclamasset Iesum, ante oculos eius in terræ hiatum visa descendisse. Postremò quoties illi, inquit, nudæ mulieres cubanti, quoties esurienti largissimæ apparuêre dapes? Interdum lupus vlulans & vulpecula ganniens transilijt, psallendique gladiatorum pugna spectaculum præbuit, & vnus quasi interfectus, & ante pedes eius corruens sepulturam rogauit. Orabat semel fixo in terram capite, & vt natura fert hominum, abducta ab oratione mens nescio quid aliud cogitabat, insilijt dorso eius festinus gladiator, & latera calcibus, ceruicem flagello verberans: Eia, inquit, cur dormitas? cachinnansque desuper, si defecisset, an hordeum vellet accipere, sciscitabatur. Dixerat enim

Digitized by Google

enim ille quandoque corpori suo iratus, quòd se ad libidinem prouocaret: Ego te, aselle, iam non hordeo, sed paleis alam, ne calcitres. Huiusce modi ergo insidijs iniurijsque contendunt cacodæmones isti, vt eos exterreant, quos proficere studio virtutis vident. Sed qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, *Hieronym. in vita Hilarion. cap. 2.* *Psal. 124.*

PORRO hæc versipellis bestia transfigurat se interdum in Angelum lucis, quo faciliùs id quod velit homini persuadeat. A Cassiano relatum legimus, Heronem senem in Thebaidis deserto annos quinquaginta commoratum, semperque ieiunijs intentum, suo tamen non Patrum arbitrio vixisse. Hic ergo à dæmone laudatus, cum eum à Deo missum ad se de cælo Angelum credidisset, credidit etiam quod ab illo audierat, se scilicet tanti iam apud Deum meriti esse, vt si ex arduo aliquo loco ad imum rueret, corpus sum affligi lædive non posset. Itaque immemor scriptum esse: Non tentabis Dominum Deum tuum, sed potiùs in perniciem suam illud imprudenter amplectens: Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne offendas ad lapidem pedem tuum: noctu surrexit, & in puteum haud modicæ altitudinis se præcipitem misit. Ad sonitum casus exciti fratres, ipsum semineccm extrahunt, & cùm rem didicissent, à dæmonio illusum affirmant. Sed ille in sua credulitate præsumptuosaque superstitione perdurans, die tertio post vita defunctus est. Eo quoniam in tali errore defecerat, vix illi à Pafnutio Abbate multorum precibus exorato, inter dormientium in Domino fratrum sepultura memoriaque concessa est. Proh dolor! tot tantosque viri labores vna destruxit sanctitatis præsumptio: ea impostorem suum non agnouit, ea nulli de se nisi sibi credidit. Sic sic virtutum quamuis altè structum ædificium repentè labi solet, vbi subtraxeris humilitatis fundamentum. *Cassian. Collat. 2. cap. 5.* *Hero Solitarius.* *Deut. 6.* *Matth. 4.* *Psal. 90.*

DE alio etiam apud eundem Scriptorem traditum est suppresso nomine (quia adhuc supererat) quem captum diabolus diutulè ludificauit, noctu ad eum ventitans, & *Quidam Solitarius.*

Digitized by Google

cellam splendore illustrans, multaque ei occulta vere revelans, vt postremò in erroris foueam incautum præcipitaret. Nihil ei vltrà ad promerendum gloriæ culmen deesse dixit, præter Abrahæ obedientiam: proinde Deo iubente, ne dubitaret filium, quem secum habebat, in holocaustum offerre. Credidit miser. Sed dum præter consuetudinem cultrum in cote subigeret, & vincula præpararet: continuò pueri mens mala præsaga, suspicari id quod erat, ac subinde quid ille acturus esset, paulo semotior, quàm vt ab eo comprehendi posset, spectare cœpit. Cumque iam aduersum se insurgentem vidisset, nihil moratus è cella se proripuit, & fuga salutem petijt. Certè nisi effugisset, pater ipse pessimi parricidæ in filium scelus, non Abrahæ obsequium consummasset; & quem Deo genuerat, diabolo immolasset. Eò iam vesaniæ processerat imprudens inconsultaque credulitas. *Ibid. cap. 7.*

Monachus quidam.

NARRAT idem Cassianus, Monachum etiam quendam Mesopotamenum qui annos multos clausus vixerat, continentiæ cæterarumque virtutum fama supra omnes insignis, eodem fraudis genere, hoc est, sub Angeli forma à diabolo deceptum, ita vt ad Iudaismum declinarit, & circumcisionem acceperit. Etenim multis illius non falsis reuelationibus, & coram se coruscantis luce delinitus, firmissimè credidit, ipsum esse cæli non tenebrarum spiritum. Vbi hoc persuasum est, illo tandem monstrante, videre sibi videbatur Apostolus, Martyresque, & omnem prorsus Christianum coetum tristes abiectosque in locis miseriæ ac perditionis esse; at e contrario Iudaicum populum cum Patriarchis & Prophetis ingenti lumine fulgere, & altè sedereis in sedibus lætos ac gestientes versari. His itaque diabolicæ malignitatis præstigijs illectus, corruit in errorem, nihil ab eo falsum ostendi posse ratus, à quo toties ea quæ vera erant didicisset; ignarus hanc esse piscatorum malitiam, vt hamum escis tegant, non pascendi, sed prehendendi perdendique causa. Aut quid aliud diaboli blandimenta, nisi odiorum insidiæ sunt? *Ibid. cap. 8.*

QVOD quidem bene intelligens Elphegus Cantua-

rien-

Digitized by Google

tiensis Archiepiscopus, cùm ab infidelibus in carcere teneretur, & à diabolo in Angelum transformato eductus, multum iam itineris vnà cum illo emensus esset, ambigere cœpit, reprobine an boni Angeli opera Martyrium fugeret: Dumque id sibi ostendi Deum orasset, diabolus euanuit. Ille ad carcerem reuersus, coronam recepit Martyrij. Inuidiâ inimici seruare homini vitam hanc voluit, vt æternam differret. Sed ipse bonum à quo auertebatur considerans, iustam dubitandi causam habuit, & dolos euasit. *Sur. Tom. 2.* *Elpheni Archiepiscopi.*

AD Euagrium Presbyterum amborum quoddam Machariorum discipulum, dum solitarius eremum incoleret, tres dæmones clericali habitu venisse constat, qui se diuersarum hæresum esse simulantes, suum quisque dogma probare nitebantur, vt illum aliquo eorum peruerterent. Cæterùm Euagrius cùm fidem Catholicam aduersus quemlibet eorum acerrimè tueretur ac defenderet, Deo adiuuante, omnes facilè superauit, ita vt confusi repente euanescerent, nihil aliud moliri in eum ausi, quem in fide tam firmum cognouerant. *Pallad. Hist. 86.* *Euagrius Presbyter.*

MARTINVM quoque Turonensem Episcopum, sanctitati eius virtutibusque inuidens, communis iste omnium hominum hostis ludificare conatus est. Aureo enim diademate & purpureo superbus indumento ei occurrens, regem se Christum esse, & ad iudicandum mundum descendisse affeuerabat. At verò Martinus & diabolicæ arrogantiæ gnarus, & mansuetudinis Domini memor: haud talem, inquit venturum se pollicitus est Christus, sed cum omnibus Passionis (quam pro nobis sustinuit) signis, cum spinea corona, vulnerumque cicatricibus, & ipso victoriæ suæ trophæo Cruce: cùm talis apparuerit: eum aduenisse credam, alioquin hoc ab eo præceptum obseruabo: Si quis vobis dixerit. Ecce hic, aut illic, nolite credere. Immundus ergo spiritus verbis veritatis victus disparuit, nihil ibi suum relinquens, præter sui indicem fœtorem. Luculentus accesserat, fœtulentus abijt, vt nullam illi inesse lucem nisi apparentem & imaginariam credas. *Seuer. Sulpit. in vita Martini.* *Martinus Episcopus.* *Matth. 24.*

Digitized by Google

Pacomius Abbas. IDEM omnis mortiferæ fraudis artifex Pacomio AEgyptio Abbati apparuit, pulcherrimæ fœminæ formam præ se ferens. Sed qui libidinis ardorem ieiuniorum frigore iam extinxerat, nulla carnis concupiscentia intellectum occupante, facile perspexit inimici insidias, & frontem Cruce signans, ipsum Crucis fugauit aduersarium. *In vitis PP.*

Pacomius Monachum. PACOMIVS alter in Scythia monach. queri solebat annos XII. venereæ voluptatis cogitationibus multum se fuisse molestatum, & cum postremò diabolus, puellæ ætate & forma florentis imaginem gerens, ad genua eius procaciter lasciuiendo procubuisset, ipse facinus detestans, atque indignabundus colaphum illi in faciem intorsit, quo ictu repulsus dæmon euanuit, & tum illa diutina genitalium titillatio cessauit, quia qui visibili palpabiliqúe specie seduci nequiuit, frustra iam deinde ijs inanibus cogitationum officijs oppugnaretur. Magis enim visa quam cogitata mouent, multoque magis etiam ad tactum vsque admissa. *Pallad. Hist. 29.*

Patern. Episcop. SVB eadem puellari figura nequissimus dæmon Paternianum in deserto AEgypti Abbatem, qui postea Vris illius regionis oppido Episcopatum gessit, longè quidem doloſius sed æquè casso labore est aggressus. Cum iam diei vesper esset, ei in limine Monasterij stanti apparuit dicens, seruam se cuiusdam Principis viri nouitiam esse, & dum ad aquam hauriendam missa esset, viam aberrasse, proinde orare vt sui misertus nocte illa sibi locum intra Monasterij septum concederet, ne fortè foris manentem solitudinis bestiæ laniarent. Pietate motus Paternianus, Puellam admisit, & cum attentiùs eam spectasset, formam admiratus, concupiscere cœpit. Veruntamen ad se reuersus illicitum in præcordijs sensum non sine inimici opera prouenire intellexit, ac protinus è foculo qui iuxta erat arreptò torre, faciem puellæ percussit, & omnis mala tentatio cum tentatore simul dissipata effugit. Incipiente igitur peccati morbo, medicorum imitanda prudentia est, statim ad remedium recurrendo, nec patiendo, vt malum curationis dilatione inualescat.

SED

Digitized by Google

SED nequaquam ita vigilanter sibi cauerat Zozimus Pontifex Maximus, qui diaboli supplantatione in fornicationem semel lapsus, iterum & sæpius lapsurus fuit, nisi Antidij Turonensis Episcopi opera se à scelere retraxisset. Antidius quippe cùm fortè (qua nocte id commissum est) multitudinem dæmonum conspiceret inter se iactantium de illis hominibus, quos captiosa inductione in laqueos mortis impegerant, & vnum præ cæteris gloriantem audiret, quòd Zozimum Papam, annos à se septem solicitatum, tandem cum Virgine quadam coire fecisset: euestigiò visa auditaque ad ipsum Zozimum defert, & ille pro breui voluptate æterni supplicij metu exterritus, pœnitentiam egit, multoque deinceps vixit circumspectiùs, nullam prorsus cum fœminis consuetudinem sibi indulgens, sed potiùs declinans quantum poterat etiam conspectum earum. Huius exemplo, & qui stat, caueat ne cadat: & qui ceciderit, pœnitendo resurgat, ita vt ne rursum corruat. Nam crebriùs corruendo langueſcere resurgendi potestatem, ac debilitari, necesse est. *Zozimus Papa.* *1. Cor. 10.*

PARI ac penè eadem Iudæi cuiusdam visione, ob quam & ipse (vt Gregorius in Dialogo ait) ad Baptismum venit, seruatus est Andreas Fundanæ vrbis Episcopus. Qui cum sanctimonialem quandam fœminam secum cohabitare, suæ illiusque continentiæ nimium confidens, permisisset: tandem dæmonis instigatione stimulatus, concupiscere quod semper abominatus fuerat cœpit. Ac die quadam ludens palma tantummodò tergum fœminæ leuiter distrinxit. Cæterùm vbi audiuit, hac ipsa de re diabolum fuisse iactatum, non solùm monialem ipsam, sed omnes prorsus fœminas, quæ sibi in Episcopio famulabantur, expulit atque abegit, & illa fœdæ cogitationis tentatio cum ipsis pariter eliminata prurire desijt. Vide homini quamuis sancto incauta conuersatio quantum obfutura fuit, nisi Domini erga ipsum pietate inimici insidiæ quam primùm patuissent. *Gregor. Dialog. lib 3. cap. 7.* *Andreas Episcopus.*

IDEM implacabilis & impius humani generis inimicus, etiam orantibus & cum Deo loquentibus nobis ne-

Digitized by Google

gotium facere audet, quoquo modo potest, pietatis iustitiæque opera impedire nitens ne perficiantur. Launomaro Carnotensi Abbati, nocturnas agenti vigilias & in oratione posito, lucernam extinxit, quasi verò lucernæ lumine indigeat, in cuius corde lucet Christus. Ne tamen vel hoc liceret tenebrarum amatori diabolo aduersus lucis amatorem Launomarum, rursum diuinitus accensa reluxit. *Sur. Tom. 1.*

Launomarus Abbas.

Sulpitius Episcopus.

SVLPITIVS quoque Bituricensis Episcopus, dum in Ecclesia cum suis Clericis noctu oraret ac psalleret, horrendos circa se dæmonum strepitus fremitusque audiuit, sed interim opus suum minimè intermittendo, fortasseque ob hoc ipsum intentiùs orando, cessare tumultum fecit, magis terrens aduersarios, quàm ab eis territus.

Eadmundus Archiepiscopus.

TERRVIT illos & Eadmundus Cantuariensis Archiepiscopus, qui cum ad multam noctem peruigiliam tandem somno surrepente supinus decubaret, ita graue pondus impositum sibi sensit, vt experrectus mouere se omninò non posset, manum leuare voluit ad signandum se Crucis signo, & impeditus est. Excutere se totis viribus conatus, plus grauitatis addi sibi cognouit, atque adeò vt vix iam sufficeret sustinere. Vbi autem spiritum ipsum, vt se dimitteret, per Christi sanguinem adiurasset, statim dimissus assurrexit, & ab eodem à quo dimittebatur dilicit, nullum adiurationis genus magis timori esse dæmonijs. *Sur. Tom. 1.*

Quidam Nicolaus. Olim & Hibernia Scotia dicta.

ILLAM quoque efficacissimam contra tentationes precationem esse credimus, qua vsus Nicolaus quidam in sancti Patritij Specum apud Scotiam ad Purgatorij (vt aiunt) loca descendens, tanta ac tam varia dæmonum tentamenta, tot fraudes, tot blanditias, tot iras, tot terrores vnus superauit. Nam quoties ad Dominum conuersus dixit: Domine Iesu Christe, Fili Dei viui, miserere mei peccatoris, toties ab insidijs liber euasit. Breuis quidem oratio, sed permultæ virtutis, si fideliter, si ardenter, si humiliter exprimatur.

Feminæ.

NVNC vt maioris ignominiæ cauterio notetur imbecillitas inimici, & in nobis repugnandi augeatur audacia, fœ-

Digitized by Google

cia, fœminarum quoque de illius conflictu victoriam breuiter enarremus.

SARA in partibus Thebaidis Abbatissa, cùm cogitationes eius ad libidinem incitare soleret diabolicæ malignitatis suggestio, nunquam vt crederet tentatio orauerat, sed vt & illa assiduè oppugnaret, & ipsa semper vinceret. In hoc carnalis lasciuiæ bello per annos tredecim fortiter contendit. Sed tandem aliquanto acriùs impugnata quàm sustinere posset, clamauit ad Dominum Iesum Christum, & superauit inimicum, ita vt oranti apparens dæmon diceret: Vicisti me, Sara, vicisti. At illa nihil sibi ex hoc laudis vendicans, non ego, inquit, vicite, sed Dominus meus Iesus. Hinc discamus, si quando vehementior tentatio ingruerit, orare solicitiùs; & quoties vicerimus, victoriæ gloriam Deo, non nobis tribuere. *Petr. de Natalib.* *Sara Abbatissa.*

THEODORA Alexandrina semel tantum commissi adulterij conscia, se iam indignam maritali thoro iudicarat, & viro relicto, in Monachorum coetu, nulli quòd fœmina esset cognita, sub nomine Theodori latens commanebat, in multa vitæ austeritate Deo seruiens, ac peccatum suum lugens. Cæterum diabolus vt illam maiori tristitia oppressam ad desperationem impelleret, ei apparens, adulterij crimen exprobrauit, frustraque illam fatigari dixit, eo quòd tam grande delictum veniam promereri non posset. Ipsa verò nequaquam de misericordia Dei diffidens, cùm se Cruce signasset, tam manifesti mendacij assertorem euanescere vt fumum coegit. *In vitis PP.* *Theodora Monacha.*

RVRSVM ille sumpta mariti eius forma, blanditijs assentationibusque ipsam allicere coepit, impensiùs orans, vel potiùs vrgens, vt domum rediret: & cum nec sic doli succesissent, ferocium eam beluarum imaginibus, vt à Monasterio discederet, terrere conatus est. Sed & hoc incassum. Theodora enim iam supra firmam petram fundata, tum ad ventorum, tum ad fluminum impetum immobilis Deo humiliter supplicando, talem quoque visionem repulit, reiecit, in nihilum redegit. *Ibidem, & Ruff.* *Eadem.*

Digitized by Google

Eadem. ATTAMEN inquieta & indefessa malignitate vexator diabolus, ne quod adhuc fraudis genus inexpertum dimitteret, multo stipatus comitatu, ac maiestatem quandam præferens ad illam venit, & cum ab omnibus, qui circa eum erant, plurimum honoraretur, ipsam quoque vt se adoraret iussit: nolentem verò, & quòd vnus Deus adorandus esset dicentem; flagellis verberauit. Cumque illa ne verberibus quidem cederet, ipse fremens & indignans abijt, patientia victus fœminæ, constantiaque superatus. *Ibidem.*

Eadem. POSTREMÒ vt saltem vel ad auaritiæ, vel ad gulæ vitium incautam traheret, hîc auri massam, illic caniſtrum varijs dapibus plenum ei apparere fecit. Illa autem præsentissimi contra omnia tentamenta remedij memor, Crucem designauit, & diaboli laqueus dissipatus est, tantumque in eam profecit malignus, vt quo eam magis tentauerit, eo plus sibi confusionis comparauit, toties victus, nunquam victor. Igitur quæ semel corruerat, ita se erexit, vt nullo deinde aduersarij conatu euerti vnquam potuerit. Ob quod quantum receperit mercedis, inde coniectari licet, quòd qua de vita decesserat, in visu Abbati apparuit, ad cælestem thalamum gloriosè sublata, tantoque splendoris fulgore radians, vt præstringeret oculos intuentis. *Ibidem.*

Pelagia conuersa. PELAGIAM Antiochenam, & diuitijs, & genere, & impudicitiæ quondam nobilem fœminam fuisse legimus, & (quod peius est) in idololatriæ errore natam atque adultam: sed postquam ad Christum fuit conuersa, paupertatem, humilem, pudicam, & omni inter fideles probitate præstantem. Hanc ergo conuersionis suæ initio, Mammonæ spiritus ad pristinas reuocare sordes tali versutiloquio tentauit, nocte illam adiens: Opes, inquit, quibus affluis, ô Pelagia, Dij patrij, quorum ego nuncius sum, tibi concessêre, & tu nunc illis relictis, nescio quem Christum sequeris. Illos tamen & crimen tibi remittere, si ad eorum cultum redieris, & hoc insuper polliceri crede, tantum priori opum beneficio addituros, quantum magis ipsa nequeas optare. Facilè deprehen-

Digitized by Google

hendit dolos mulier, quæ iam veras diuitias Christũ esse nouerat, & cùm Crucis in pectore signum dexteræ manus ductu impressisset, sufflauit in suasorem impietatis, & tam facilè abegit, quàm solet puluerem ventus, tantique illius promissa fecit, vt continuò ea etiam quæ habebat, cuncta indigentibus erogaret. Et quoniam Deo non Mammonæ seruiuit, cœlestes æternasque diuitias possidere meruit. *Ibid. & Sur. Tom. 5.*

IVLIANAE Virgini iam pœnis pro Christi nomine affectæ, & tantùm coronam Martyrij in carcere expectãti, Belial diabolus, formam Angeli fidelis gerens, apparuisse fertur atq; dixisse, Christum iubere, vt illa potius Dijs Gentilium sacrificaret, quàm in cruciatibus deficeret. Obstupuit Iuliana tali nuntio, & dubitans quinam esset, à Deo sibi certiùs indicari postulauit. Mox diuinit' inspirata, manu illum apprehendens, vinculis constrinxit, verberibusque affecit, volente Domino, vt sceleſtus Belial ab eadem, cui dissuadere ausus fuerat, supplicio-rum pro Christo patientiam, supplicia ipsa perferret. *Sur. Tom. 1.* *Iuliana Virgo.*

MARGARITAM etiam Virginem post tormenta carceri mancipatam, terribilis draco latè patenti faucium hiatu ferociter inuadens deglutierat. Verùm vbi illa signum Crucis edidisset, draco crepuisse visus est, quaque crepuerat, Virginem viuam sanamque euomuisse, sicuti euomitus à pisce Ionas Propheta legitur. *Metaph.* *Margar. Virgo.* *Ionæ 2.*

ITERVM eidem in specie humana apparens imponere tentauit. At illa per capillos apprehensum humi allisit, & cum quæreret, cur tam infensus infestusque Christi cultoribus esset, accepit, cacodæmonum proprium ac peculiare esse, inuidiæ odijque facibus accendi erga eos qui saluandi sunt, cùm pati non possint, vt ad cœlum, vnde & ipsi deiecti sunt, homines retrahantur. Semper ergo eos aliquid tentare, moliri, struere necesse est, quo iustitiæ opera impediant, & innocentes ad peccandũ prouocent. Sub hæc dimissus euanuit, illa ad Martyrij palmam gaudens peruenit, tàm diaboli victrix quàm tyranni. *Ibid.* *Eadem.*

Digitized by Google

Iustina Virgo.

SED nec Iustinã Virginem Cypriani Magi laruæ præstigiæque peruertere valuerunt. Cum enim Aglaius iuuenis eam arderet, & ipsa iam Christo iuncta mortalis hominis nuptias respueret, dæmonem misit Cyprianus, qui illius animum ad libidinem occulta carnis titillatione illiceret. Re autem infecta reuersum, cum eam mouere nequiuerit, interrogat, & audiuit, signo Crucis perterritum inde effugisse. Alium ergo misit, nequiorem illo, qui Virginalem formam habitumque indutus ad Iustinam accedens, etiam se sicuti illa Virginitatẽ Deo vouisse dixit, proinde petens, vt si non in societatem, saltẽ in seruitium reciperetur. Susceptus igitur post dies aliquot captata occasione suspenso tristique vultu dubitare se ait, ne Virginitatem seruando offendant potiùs Deũ, quàm aliquid promereãtur. Scriptum enim esse: Crescite & multiplicamini, & replete terram, indeque in veteri Testamento sanctissimas mulieres Deoque gratas viros habuisse, & filios genuisse. Cœperat Iustinæ animus iam nutare, ac de Virginitatis proposito penè ambigere, mox seipsam reprehendens, Christi nomine inuocato, Cruce se signauit, & dæmon Crucis virtutem non sustinens effugit. *Greg. Nyssen. Orat. 20.*

Ita prorsus nec argumentãtur Hæretici contra castitatis vota.

Eadem.

ITERVM idem Aglaij formam assimulatus, noctu ad eam venit, & nunc blandus, nunc minax, vt voto suo consentiret, petijt. Sed eodem quo priùs modo ab ea fugatus abijt. Deinde Iustina Virgo alijs atque alijs, partim diaboli partim ipsius Magi commentis tentata, cùm semper Cruce se muniret, semper superior euasit. Quam rem videns Cyprianus, & ipse Christo credidit, & vna cum illa Martyrium subijt, fidelis factus, quia fidelibus dæmonia præualere non posse, liquidò cognouit. *Ibid.*

Euphrax. Virgo.

EVPHRAXIA Romana Virgo nobilis genere, sed stirpis nobilitatem mentis humilitate superans, cùm se in Monasterio apud Thebaidem inclusisset, ne seruilia quidem opera à se aliena putabat. Inuidens verò virtuti eius diabolus, vt persecutionis molestia propositũ turbaret, aquam se inclinantem in puteum præcipitauit. Sed ipsa inde sana à sororibus educta, crebriùs aquatum ire cœpit.

Digitized by Google

plit. Iterum illam dum coquinam faceret, in bullientem ollam impegit, sed ipsa bullore illo humefacta, non læsa, nihilo segnius cœptum opus peregit. Rursum ligna findentem in latus impulit, & ipsa obliquato securis ictu pedem sauciauit, breui tamen curata, multò promptior ad subeundos labores accessit. Denique nullis infestationibus, nulla inimici iniuria ab humilitatis officio auocari potuit. Ita victis tandem superatisque tentationibus, etiam miraculorum operatione insignis fuit. *Ruff. in vit. PP.*

AC ne plura de hac re prosequi longum fit, hæ sunt Satanæ artes, hi doli, hæc tendicula, hæ ad decipiendũ fraudes atque fabricæ, hæc præterea illius terrificatio, furor, sæuitudo, immanitas; ita vt nemo tã prudens ac tam fortis sit, quin vel malitia eius caperetur, vel vi superaretur, nisi vtrumque compesceret Dominus, alligans fortẽ, & vasa eius diripiens, tentari quidem non volens, non cogi & probari, non vinci. Ille duntaxat vincitur, qui dedere se mauult quam repugnare. Nos verò, né quando ad deditionem istam, cuius comes est interitus, aut astu aliquo inducamur, aut trahamur iniurijs, conscij imbecillitatis nostræ, clamemus ad Dominũ, poscamus opem, oremus præsidium; & non ferro, non fossa, non vallo, non murorum ambitu nos muniamus; sed veritate, iustitia, pace, fide, spe, charitate, cæterisque virtutibus, dicente Apostolo: Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est in nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturã Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo, succincti lũbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus sumẽtes scutũ fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeã saluris assumite, & gladiũ spiritus, qꝫ est Verbũ Dei, per omnẽ orationẽ & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu, in ipso vigilãtes.

Exhortatio.

Ephes. 6.

Sic

Si sic instructi militabimus, vincemus, & donatiuum militiæ nostræ erit cœlorum regnum, Iacobo Apostolo dicente: Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Iacob.1.

De perseuerantia benè agendi.
CAP. VIII.

SED in omni bene beateque agendæ vitæ instituto constare nos nobis ipsis decet. Nunc hoc nunc illud velle, leuitatis indicium est. Multi de ordine Clericali ad Monachalem transmigrant, non profectus desiderio, sed nouitatis. Multi domicilia mutant suimet tædio, non loci. Multi verò (& id deterrimum inconstantiæ genus est) cùm diu sanctè vixerint, ad vitia delabuntur. Nos ista sedulò deuitantes, cùm semel boni alicuius exercendi propositum sancto afflate Spiritu arripuerimus, semper idem simus, eademq; animi alacritate curramus qua cœpimus. Viam namque Domini incedentibus magis cauendum est, ne remittant gradum, quàm curandum vt intendant. Nullaque certior ad finem vsque perseuerandi ratio est, quàm viribus æquare onus, vt quisque non quàtum ferre potest sumat, sed perferre. Huiusce rei nũc subijciemus exempla.

Enoch. Genes.5. Trecentos & sexaginta quinque annos vixit Enoch, & ambulasse cum Deo dicitur. Dignus quippe visus est, qui tam diu corpus suum ab immunditia custodierat, vt cum corpore simul transferretur ad Paradisum.

Noe. Genes.6. NOE itidem cum Deo ambulasse fertur, iustus perfectusque fuisse, gratiamque inuenisse, & tamen quingentorum iam annorum erat quando cœpit ædificare Arcã, sexcentorum quando perfecit, nõgentorum & quinquaginta quando vita defunctus est. Itaque tam diutina innocentiæ, fidei, spei obseruatione meruit solus cum cõiuge liberisque & nuribus, mundo pereunte, saluari. Ex quo illi iure arguendi sunt, qui cùm ne decimam quidem partem summæ huius viuant, in exercendis tamen virtutibus minùs constanter se habent.

Ibid.8.

ABRA-

Digitized by Google

ABRAAM centum septuaginta quinque vixit annos, Isaac centum octoginta, Iacob centum quadraginta septem, omnes tam Deo chari gratiq́ue, vt eorum Deus dici voluerit, Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Iacob. Certè nisi ab ineunte ætate ad vsque vitæ exitum iustitiam pietatemq́ue coluissent, nunquam ad tantæ dignationis culmen peruenissent. At nobis ijsdem in virtutibus perseuerandi facultas tanto quidem datur maior, quantò vita breuior, & sic repentè deficimus. *Abraam. Genes. 25. Isaac. Iacob. Gene. 47.*

IACOB, vt de illo adhuc pleniùs explicemus, ad Laban auunculum suum venit, sibi aliquam ex filiabus eius ducturus vxorem. Seruiuit illi annos septem pro Rachele, sed Lia data est. Seruiuit alios septem, & Rachelem accepit. Seruiuit etiam annos sex, & valdè ditatus est pecudum seruorumq́ue copia. Igitur quoniam viginti annos perseuerauit seruiendo, tali rerum successu potitus est. *Iacob. Genes. 29.*

MOYSES charitate in proximos, pietate in Deum semper præstantissimus, & Aaron Sacerdos à Deo electus, quoniam longum virtutum suarum tractum semel peccando ad aquas contradictionis interruperant, populum Israel in terram promissionis non induxerunt. Quomodo nos terram viuentium intrabimus, qui non semel sed frequenter peccamus? *Moyses. Exod. 27.*

Peccauerat tamen & sanctus Dauid. Sed quia post peccatum, quod pœnitendo deleuit, syncerus vixit, non minus Deo placuit, quàm si omninò non peccasset. Igitur si quo fortè vitij diuerticulo iustitiæ iter interruptum fuerit, rursum ad illud per pœnitentiam reuertamur. Quoniam autem reuertendi facultas interdum morte præciditur, diuertere periculosissimum est, continuare semper tutissimum. *Dauid. 2. Reg. 11.*

Continuauêre ex Prophetis Samuel, Nathã, Elias, Eliseus, Isaias, Ieremias, Ezechiel, duodecimq́ue alij. Ex Regibus Ezechias, & Iosias, nisi quòd Ezechias opulentiæ suæ ostentatione deliquit. Cæterùm quia à Deo puniendus mulctæ denuntiationem submissè tulit, mulcta ad posteros dilata, ipse pacem habuit, quam optauit: vsque adeò expedit repentè corrigere sese, & vitium virtute mutare. *Prophetæ. Reges.*

In Euan-

Digitized by Google

Christus. In Euangelio quoque Dominus noster pijs actionibus nos continenter inhærere monet, dum ipse turbis prædicare non cessat, dum varijs languoribus affectos curare non desinit; dum dies quadraginta neque comedit neque bibit, dum in tentationibus perdurat, dum in oratione pernoctat, dum suos vsque in finē diligit, dū denique persecutiones vsque ad ignominiam Crucis æquanimiter tolerat, nunquam ab exercitatione virtutum quietus, vt ab ea nunquam quiescendum esse doceret, dicens: Non *Mat. 10.* qui inceperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.

Ioannes Baptista. IOANNES Baptista eius præcursor, quia perseuerat in abstinentiæ proposito, nunquam opiparos cibos ventri suo indulgens, nunquam vinum aut siceram bibens, nunquam mollibus indutus, assiduè in deserto Baptismum prædicans, iugiter turbas ad se confluentes docens: idcircò ipsius Domini testimonio plus quàm Propheta dicitur, & nulli inter natos mulierum posthabendus censetur. Denique tantæ constantiæ virum Herodis improbitas occidere potuit, terrere non potuit.

Apostoli. Discipuli. Post Dominum sancti Apostoli Discipuliq; eius perseuerarunt, illum sequendo, illi obediendo, Spiritum sanctum per illum à Patre mittendum expectando, per orbem vbi Baptismi gratiam annunciando, nec vnquam deficiendo, donec quod annuntiauerant, Martyrio confirmarunt, morientes prius, quàm tacentes Religionis veritatem. Et hi quidem tam fortes tamque magno animo viri, tanto primitus pauore perculsi fue- *Mat. 16.* rant, vt Domino relicto fugerent, Petrus etiam se illum nosse negaret. Ne quis itaque sibi applaudat quòd firmus sit, ipsa perseuerandi firmitudo non à nobis sed à Deo est.

Deus. Videt autem Deus boni operis in nobis affectum, exercendi præstat facultatem, exaudit preces, & consum- *Mat. 25.* mandi affert auxiliū. Negotiari volentibus commodat talentum, solicitè lucrantes beat, ignauiter torpentes damnat. Itaque summoperè enitendum est, vt semper aliquem quæstum faciamus in ijs, quæ nobis à Deo credita sunt,

Digitized by Google

sunt, & nunquam otio nos corrumpendos tradamus. Qui super pauca fidelis fuerit, super multa constituetur, & intrabit in gaudium Domini sui, cælestique beatitudine perpetuò perfruetur.

Turbæ. Matth. 15.

Illi quidem fideles serui sunt, qui in seruitio perseuerant. Perseuerantibus autem miseretur Dominus & commodat. Miseriot turbæ, inquit, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent. Et dimittere eos nolo, ne deficiant in via. Sic ergo Dominus perseuerantes gratia sua pascit, vt deficere non sinat, imò vt abundare faciat. Nam & comederunt, inquit, & omnes saturati sunt. Ac ne quis ad vitæ perfectionem sibi nihil deesse existimet: fragmenta multa superfuerunt, non à turba, sed ab Apostolis colligenda.

Duo cæci. Matt. 20.

Duo cæci secus viam sedentes, cùm post Iesum clamitarét misericordiam implorando, increpabantur vt tacerét. At illi magis clamabant. Perseuerarunt ergo in clamoribus pijs, & quod volebant, assecuti sunt. O constantis inconcussiq; animi viros, quos non retraxit obtrectatio multorum ab inuocatione Saluatoris, sed accédit. Qui sicut non cessarunt sanitatem petédo, ita impetrata non fuerunt ingrati, dicéte Scriptura: Et secuti sunt eum. Sic peccator si deprecando continéter clamauerit, appropinquabit vt audiatur, auditus illuminabitur, illuminatus assiduè sequetur Iesum, non passibus, sed affectu.

Paulus primus Eremita.

Quid de Paulo primo post Christum eremi cultore dicam? Sic Deo seruiens perdurauit, vt à decimo sexto ætatis suæ anno quo solus desertum adijt, vsque ad centesimum & decimum tertium, quo vita defunctus est, hominem non viderit. Hac tam diutina tam pij propositi continuatione meruit (veluti Elias Propheta) diuinitus nutriri, coruo pabulum homini quotidiè deferente. Meruit ab Antonio sepeliri, cauata à leonibus terra. Quodque omnium maximum est, meruit ab Angelis in cœlum ferri, teste Antonio, qui hoc oculis suis conspexisse affirmabat. Cuius quidem mercedis magnitudi-

Digitized by Google

tudinem quisquis crebrò secum cogitauerit, nullo vnquá spiritalis vitæ labore grauari poterit, nunquam lassitudinis tædia sentiet, tantorum spe præmiorum sustétatus. *Hieron. de Epist. in vita Pauli.*

Antonius Abbas.

ANTONIVS quoque cum primum & ipse solitudiné inhabitare decreuisset, ne verberibus quidem dæmonum absterreri potuit, quin quod cœperat persequi pergeret. Perseuerauit itaque ab octauo decimo ætatis suæ anno vsque ad centesimum quintum, quo in Domino quieuit, cui seruierat: Angelorum sortitus gloriam, quia in perseuerando dæmonum contempserat iniurias. *Athanas. in vita eius.*

Paulus Simplex.

EIVS discipulus Paulus Simplex, cùm se recipi postulasset, & Antonius ab eo discedens, donec rediret, expectari responsum iussisset, toto triduo ante ianuam perstitit, plus moræ ibidem tracturus, nisi Antonius iam satis eius constantiam se expertum arbitratus, illum intrò admisisset. Hoc exemplo eorum sane arguitur ignauia, qui Religionis habitum sumere volentes, nisi statim in collegium recepti fuerint, indignantur, mussitantesque abeunt, & priusquam de ipsis periculum factum sit, ea re, quam petebant, se indignos ostendunt. *Pallad. Hist.* 28.

AT verò post hæc idem Paulus multò etiam constantioris perseuerantiæ specimen dedit. Nam lingua quandoque lapsus, cùm se errasse animaduertisset, triennę silentium seruauit, donec scilicet se iam didicisse credidit, quid loquendum quid tacendum esset. Si cui difficile factu videtur, parte aliqua diei ex monastico instituto silentium custodire, consideret quanto difficilius sit, annos tres nihil cuiquam proloqui voluisse. *Ibidem.*

Simeon Monach.

SIMBONEM Susotionis filium tredecim annos natum adisse Timothei Abbatis Monasterium ferunt, & Monachum se profiteri velle dixisse. Cumque non esset admissus, quòd ea ætas leuitati propior videretur, ante ostium procidisse, & ita dies quinque sine cibo ac potu perseuerasse, ibi mori paratum, nisi quinta demum die receptus

vocum

Digitized by Google

vorum suum implesset: stupente Abbate tantam in puero firmitatem, quanta raro in senibus esset. Hoc ille stabilitatis præludio, sic reliquam ætatem egit, vt in omnibus mirabilis euaderet, & si cuncta vera sunt, quæ de illo produntur, nemo vnquam corpus suum acerbius afflixit. *In vitis PP.*

MVTIVM tam diu præ foribus Monasterij rogantem permansisse constat, vt contra consuetudinem vna cum octenni filio in ordinem Monachorum receptus sit. Immobili fixoque perseuerandi proposito extorsit, quod cœnobitica lex vetabat. Ab eo enim vocabatur, qui supra Legem erat, & qui ait: Pulsate, & aperietur vobis. Neque hoc fecit quod à filio separari non posset, sed quòd simul cum filio saluari optaret, malens illum secum offerre Christo, quàm relinquere mundo. *In vitis PP.* *Mutius Abbas.*

ET Pacomio quidem Abbati præter cætera curæ fuisse legimus, iuniores ad perseuerandum exhortari. Frustra aiebat eos ad brauium salutis currere, nisi sic currant vt comprehendant. Frustra cum hoste cõfligere, nisi sic certent vt vincant, dicente Apostolo: Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Legitimè autẽ certare esse, certando non defatigari. *Metaphr. & alij.* *Pacomius Abbas.* *1. Cor. 9.* *2. Tim. 2.*

THEODORVS itaque eius discipulus, professionis suæ initio à matre multum vt rediret solicitatus, nunquã assensit. Attulerat illa ab Episcopis literas, quibus reddi sibi filium præcipiebatur. Hisq; obsequi compulsus, Abbas discipulo discedendi potestatem fecerat. Cæterum ipse omnibus præferens Christum, nec egredi de monasterio voluit, nec saltem se ostendere matri. Ne scilicet scandalizanteth oculum, quem à se iam proiecerat, rursum quærere videretur. Perseuerauit ergo in monasterio, & factus est Dei filius, qui matris esse noluit. *In vitis PP.* *Theodor. Monach.* *Matt. 9.*

ET beatum Franciscum ipse qui genuerat Pater infensissimo animo persecutus est, nec efficere potuit, quin ille sicuti cœperat post Christum ire perseueraret. Verberatur ergo Franciscus, despoliatur, contemnitur, & gaudet quòd dignus habitus sit pro nomine Iesu contume- *Franciscus.* *Alter.*

Digitized by Google

tumeliam pati. Et quoniam omnia aduersa subire prius paratus erat, quàm proposito discedere, mox virtutum operatione vitæque sanctitate tantum profecit, vt & terram sui fama repleret, & gaudio cœlum. *Bonauentur. cap. 1.*

Thomas Aquinas. THOMAM quoque Aquinatem de monasterio Prædicatorum vi raptum, & domi clausum fratres eius, vt à religione reuocarent, biennio fere tenuerunt. Sed cũ ille neque minis terreretur, neque blanditijs allici posset, neque meretriculæ, quam ad illum intromiserant, lasciuia deliniri, dimissus ad monasterium redijt, ac veluti Sol, qui diu nube tectus latuerat, mox serenato cœlo irradiare terram incipit; sic ille, relictis fratribus & domo, illuminare Ecclesiam cœpit, & morum, & ingenij, & doctrinæ nitore. Nequaquam ad tantam gratiæ claritudinem peruenisset, nisi etiam nebula fraternę fatuitatis circumseptus currere perseueraſſet, in proposito firmus, in tentationibus inuictus. *Sur. Tom. 2.*

Ioannes Abbas. Pesim Monach. Illa quoque duorum perseuerantia, in primis memoratu digna, Ioannis Abbatis & Pesij Eremitæ. Hunc (sicut à Cassiano relatum est) quadraginta annis, quos in solitudine exegerat, comedentem Sol non vidit, quòd occasu duntaxat Sole ieiunium soluere consueuisset. Illum verò nunquam vidit iratum, eo quòd nunquam omninò in iram concitatus esset, licet magno fratrum numero præsideret. *Quæstio.* Quæret aliquis, quomodo insontes castigarit, si nunquam iratus sit. Neque enim fieri potest, vt in tanta multitudine aliquis non peccarit. Huic respondebimus, quòd ne delinquentes quidem irascendo castigandi sunt, sed miserendo. Iræ proprium nocere est, castigationis prodesse: in altero virtus, in altero vitium est. Sed cur, inquiet, in Scripturis Deus irasci dicatur, si ira vitium est? Irasci quidem Deus dicitur, non quòd irascatur, sed quia dum iustè punit, iratus videatur. Iudici autem ac præsidi punire conuenit, vt iuuet, non irasci, ne noceat. Quòd autem & ille iuuetur, qui punitur, hinc patet, quia impunitus plus deliquisset: & vbi plus delicti est, ibi pœnæ grauioris exactio est. Hoc quidem modo Ioannem hunc nun-

Digitized by Google

nunquam fuisse iratum crediderim. Alioqui peccanté fratrem nunquam corripuisset, si nullo poena genere affecisset, irato nocentior esset. Malum enim, quo[illegible]antũ in ipso est, præcidere debet, crescere licentia sin[illegible] Itaque, vt eodem vnde digressus sum reuertar, sempe[illegible]andé animi lenitudinem seruasse, non omissa delinquentium animaduersione, magnum atque magnificum fuit. *Cassiã. Col. 5. cap. 27.*

De Elpidio quoque Abbate memoriæ proditum est, quòd per quinque, & viginti annos nunquam se ad Occidentem vertit, semper ferè orans, & illum cui nomen Oriens, iugiter contemplans. Non putauit nefas esse retro aspicere, sed sibiipsi voluit imperare, vt cùm corporis appetitum, ab ijs etiam, quæ licita erant, refrenasset, faciliùs ab illicitis custodiret, *Pallad. Histor. 108.* *Elpidius Abbas.*

NATHANAELIS etiam Anachoretæ quàm constans in perseuerando animus fuerit, ex eo intelligi potest, quòd semper clausus vixit, Episcopos ad se venientes reuerenter excepit, abeuntes ad limen vsque officij gratia prosecutus est. Neque vt inde pedem efferret, callida (vt alibi diximus) diaboli euocatione induci potuit, sicque septem & triginta perseuerans annos, elatus inde non egressus est, & corpus pariter cellamque relinquens in consortium receptus est beatorum. *Pallad. Histor. 8.* *Nathanael Anachoreta.*

HANC laudabilem imò & necessariam perseuerandi stabilitatem, nec sanctis feminis defuisse, nonnullarum exemplo monstrabimus; minimeque illis conuenire illud quod dici solet: Varium & mutabile semper femina. *Feminæ.*

ANNA Phanuelis filia (vt Lucas tradit) annos septem vixerat cum viro, quo defuncto, ad quartum vsque & octogesimum ætatis suæ annum vidua permansit: semper castitatem seruans, nunquam de templo discedens, nocte ac die ieiunijs obsecrationibusque intenta. Hac perpetua pij propositi obseruatione digna euasit, quæ Spiritu sancto afflaretur, & multa prophetaret, imò quæ illum *Anna filia Phanuel. Lucæ 2.*

Digitized by Google

quem Prophetæ venturum prædixerant, præsentem cer-
neret, & ipsum esse mundi Saluatorem, palàm confiteretur. Perseuerando igitur aditus ad Iesum comparatur, vt vbi est, ibi sit minister eius.

Mulier Chananæa Matt. 15.

AD quem etiam Chananæa mulier in Euangelio clamat, dicens: Miserere mei Domine: & Dominus tacet. Et rursum illa: Adiuua me. Respondet ipse: Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Illa tamen instat & vrget, nec dedignatur canibus comparari: Sed & catelli edunt, inquit, de micis quæ cadunt de mensa dominorum. Quia ergo & petendo & humiliando se perseuerauit, nec silentio repressa, nec contumelia confusa, meruit audire: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis! Magnam fidem indefessa supplicantis probauit assiduitas, quæ si semel vel iterum repulsa cessasset, profectò neque magnæ fidei esse diceretur, neque quod petebat impetraret.

Maria Magdal. Ioan. 20.

MARIA quoque Magdalena veniens ad monumentũ, vidit lapidem reuolutum, currit nuntiare Discipulis, & vna cum illis redit. Mox eis recedentibus, ipsa permanet ploráns, anxia inclinat se, videt Angelos, sed neque eorũ visione cõtenta, loco cedit, neque flere desistit. Solius ergo Domini desiderio tota ardens, prima mortis victorem videre meruit, quem præ cæteris perseuerãtius quæsiuit.

Sara Abbatissa.

SARA in Scythiotico Virginum monasterio Abbatissa, iuxta quod fluuius molliter labens, perspicuisq; limpidus aquis intuentium oculos mira amœnitate detinere solebat, cum tantam in eo cernendo iucunditatem esse audisset, sibi ipsi imperauit, nequando illum aspiceret, ne quam ex eo caperet voluptatem. Itaque annos sexaginta, quibus ibi vixit, nunquam fenestram adijt, nunquam tam propè fluentem fluuium vidit: vt potiùs flumen illud videre digna esset, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei. Et quoniam in cauendis terrenarum rerum oblectationculis perseuerauerat, cœlestium felicitatem perenniter possedit, æternis digna delitijs, quæ breues perituras-que semper contempsit. Sed quid singula repetentes exempla

Psal. 45. Petr. de Natal.

diu-

Digitized by Google

diutius immoramur? Omnes enim seculorum Sancti Sã- *Exhortat.*
ctæque ad ipsum sanctitudinis culmen in bonis operibus perseuerando peruenere. Alius alia virtute magis excelluit, sed vnusquisque in sua vitam finiuit. Nisi bene & rationabiliter inchoata ad vltimum vsq; deduxissent, nec inchoasse profuisset. A custodia matutina vsque ad noctẽ *Psal.129.*
speret Israel in Domino, vt quod sperarit, accipiat. Seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus *Luce 1.*
diebus nostris, & merebimur audire: Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono *Ibid. 22.*
vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedatis super thronos iudicantes duodecim Tribus Israel. Quod si tantæ beatitudinis gloria remunerantur in bono perseuerantes, quænam tanta mentis insania nos tenet, vt velimus deficere? cùm præsertim deficientes ad contrariam beatitudini miseriam deuoluantur.

SED ille, quo non erat in filijs Israel melior, quia po- *Saul.*
stremò præuaricatus est, ab eodem Deo, à quo electus *1. Reg. 13.*
fuerat, regno indignus iudicatur, & ab inimicis occidi- *Roboam.*
tur, Roboam vna cum populo, cui præerat, in vijs Prophetæ Dauid ambulasse dicitur, mox deinde Legem Domini reliquisse, ob quod à Sesac AEgypti rege capti, spoliati, in seruitutem redacti sunt, dicẽte Domino per Pro- *2 Re. 14.*
phetam: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu *Ioas.*
Sesac. Rex quoque Ioas Ochoziæ filius, quàm diu vixit *4 Reg. 12.*
Ioiada Sacerdos, à quo vnctus fuerat, rectè ac laudabiliter se gessit: eo autem defuncto, ad idola declinauit, & à seruis suis interemptus perijt. Sed & hæc leuis inconstãtiæ pœna, nisi post eam æternis etiã addicti fuissent supplicijs.

QVANTO melius cum illis actum esset (sicut Petrus *2. Petr. 2.*
Apostolus inquit) non agnoscere viam iustitiæ, quã post agnitionem retrorsum conuerti? Propterea quidem & Paulus Galatas dementiæ accusat, dicens: Sic stulti estis, *Galat. 3:*
vt cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummamini. Et eosdem ad id quod bonum est perseuerandum hortatur, *Ibid. 6.*
& ait: Bonum autem facientes non deficiamus: tempore

Digitized by Google

2. Thes. 3. enim suo metemus non deficientes. Idem ad Thessalonicenses: Nolite deficere, inquit, benefacientes. Et ad Hebr. 12. Hebræos: In disciplina perseuerate. Et in Ecclesiastico scriptum: Eccle. 5. Esto firmus in via Domini. 3. Reg. 7.

HAEC est ergo columna Iachin, & columna Booz, id est, firmitatis & fortitudinis, quæ epistylia liliorum malogranatorumq; sustentant, quia firmi ac fortis est, summam cõseruare virtutum, quam semel amplexus fuerit. Hæc est talaris tunica siue poderis Aaron, à capite vsque ad pedes demissa, Hæc est hostiæ cauda, quam Deo offerri Lex iubet. Hoc illud calcaneum est, quo serpentis caput conteritur. Hæc denique Crucis longitudo, quæ latitudinem illam fulcit, in qua manus extenduntur. Latitudo quippe bonorum operum inniti debet longitudini continuationis, vt partem illam, quæ supernè eminet, valeat attingere, hoc est, ad cœlestis beatitudinis altitudinem peruenire.

Optima autem perseuerandi ratio est, non solùm non retro cedere, sed etiam indies vlteriùs progredi, & quãtum possumus ad sublimiora semper tendere ac niti. Ibunt de virtute in virtutem (inquit Propheta) videbitur Deus Deorum in Sion. Vnde & Apostolus: Quæ retro sunt obliuiscens, & ad ea quæ priora sunt, se extendens, ad destinatum persequitur brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Beati enim qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, ait Dominus. Quo autem pabulo, vel qualibus epulis hi saturandi sint, in Apocalypsi declarat, dicens: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Vincenti dabo Manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit. Quibus verbis quid nisi veræ perfectæq; beatitatis indicibilis designatur suauitudo? Et apertiùs loquatur, ait: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Corona vitæ, gloria immortalitatis est.

Psal. 83. Philip. 3. Mat. 5. Apoc. 2.

De Mer-

De Mortis meditatione.

CAP. IX.

PERSEVERANTIAM autem boni honestiq; commodissimè in nobis conseruabit mortis meditatio, iuxta illud: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Haud igitur incongruum erit, si nunc exponere aggrediemur, quemadmodum hi quoque quos imitari cupimus, vltimum vitæ diem semper ante oculos habuerint, menteéque versarint, plurimum in eo curæ ponentes, ne mors offenderet imparatos. *Eccle. 7.*

IOB omnia vincens patientia, nullis fractus est ærumnis, nulla collapsus aduersitate, vt qui non ignoraret, breui ijs se expeditum iri, eo quòd diu hîc viuere nõ posset, & deinceps multo beatius perenniusque viuere speraret: Breues, inquit, dies hominis sunt. Et: Expecto donec veniat immutatio mea. Domine, vocabis me, & ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexterã. Et iterum: Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solum mihi supereſt sepulchrum. Dies mei transierunt, & cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diẽ: & rursum post tenebras spero lucẽ. Denique ait: Scio quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti. Hæc & talia assiduè secum cogitans, cùm omnia corporis bona amisisset, animi non amisit. *Iob.* *Iob 14.*

Et beatus propheta Dauid idẽtidem reminiscens se esse mortalem, vt morti paratior occurreret, diem quoque quo moriturus esset nosse optauit, Deumq; deprecatus est, dicens: Notum fac mihi, Domine, finem meum: Et numerum dierum meorum quis est, vt sciam quid desit mhi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te. Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. Veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra cõturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Sub hæc omnem spem suam in Deo collocans ac firmans, continuò ait: Et nunc *Dauid.* *Psal. 38.*

Digitized by Google

quæ est expectatio mea? nonne Dominus? & substantia mea tanquam nihilum apud te est. Itaque ista mente revoluens, ne inimicorum quidem iniurijs ad iniustitiam

Salomon. potuit concitari.

Eccles.1. & 2. Dum eadem considerat sapientiæ Antistes Salomon, vociferatur & ait: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et iterum. Vidi cuncta quæ fiunt sub Sole, & ecce vniuersa vanitae & afflictio spiritus, &: Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis? &: Ni-

Eccles.3. hil permanet sub Sole, &: Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cœlo. Definire autem volens quid esset in vita optimum: Et cognoui, inquit, quòd nō esset melius, nisi lætari, facere bene in vita sua,

Eccles. 9. Omnis enim homo qui comedit & bibit, & videt bonū de labore suo, hoc donum Dei est, Ad hæc peccatorem solicitè exhortans: Quodcunque facere potest, inquit, manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt ad inferos, quò tu properas. Ac ne aliquid esse putemus diu viuere: Si annis multis, inquit, vixerit homo, & in omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cùm venerit, vanitatis arguuntur præterita.

Elias 3.Reg.19. Dauid. Psal.119. Ionæ 4. Horum meditatione & Elias Propheta iā vita defungi optabat, dicens: Sufficit mihi, Domine; tolle animam meam. Neq; enim melior sum quā patres mei, Sic & Dauid: Hei mihi, quia incolatus meus prolōgatus est. Et Jonas: Domine, tolle animam meam à me, quia melior est mihi mors quàm vita. Ex quo patet, quantis hîc premimur miserijs, cùm etiam illi, quibus non nisi ad inferos descensus erat, hinc decedere tantopere concupierint.

Iob.14. Cui sanè argumento Iob sententia adstipulatur dicentis: Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs: Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.

Iesus filius Sirach. Eccl.14. Hoc idem vidit & Iesus ille in veteri Testamēto Sirachi filius, qui in Ecclesiastico suo admonēdo nos, ita ait: Memor esto, quoniā mors nō tardat. Ante mortem bene fac

fac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum. Omnis caro sicut fœnum veteraſcet. Quàm ergo gnauiter agendum est, vt quotidie lucri aliquid faciamus; incerti, quando rationem negotiationis nostræ reddere cogemur; & certi, quòd longè abesse non possit. Vnde & Ecclesiastes: Memento, inquit, Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & propinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent. Rursumque Iesus: Memento nouissimorum, & desine inimicari. Nihil quippe ita iracundiam nostram frangit atque emollit, vt ista hæc recordatio. *Eccle.12.* *Eccle.28.*

ISAIAS Propheta & ipse futura mente scriptisque pertractando didicit contemnere præsentia, nec mori timuit, dum illum viuere inter seculi vanitates piget. Hinc etiam exclamat, imò exclamare iussus, ait: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo. Verè fœnum est populus, exiccatum est fœnum, & cecidit flos. Verbum autem Domini manet in æternum. Hæc recogitans, Manassæ regum nequissimi serram fortiter pertulit, & sectus in Domino requieuit. Quis fidelium non præoptet huius necem cum meritis suis, quàm illius vitam cum regno eius? *Isaias Propheta.* *Isaiæ 40.*

QVOD si crudele aliquod turpeve mortis genus expauescimus, Domini Iesu Crucem cogitemus. Sin verò id nos terret, quòd nescimus, quando mors ventura sit, occurrere illi semper parati simus. Vigilate, inquit, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam: ideoque & vos estote parati, quia qua nescitis hora, Filius hominis venturus est. Beatus ille seruus, quem, cùm venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domus veniat, serò, an media nocte, an gallicantu, an manè, ne cùm venerit repentè, inue- *Christus.* *Matt. 24.* *Marc.13.* *Matth.25.*

Digitized by Google

niat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Id breuiùs in Matthæo ſcriptum eſt: Vigilate quia neſcitis diem neque horam. Sic ergo hodie viuamus, tanquam cras morituri.

Iacobus Apoſtol. Iacob. 4.

Siquidem & B. Iacobus Apoſtolus vitæ huius conditionem animo metitus: Quid eſt, inquit, vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens. Eleganter eam vapori comparat, in quo & fumus & calor eſt. Per calorem libidinis incentiuum, per fumum humanæ gloriæ vanitas deſignatur. Vtrumque fluxum atque fragile, & ideo ad modicum parens, ſed in æternum crucians. Quamobrem Angelus

Apocal. 3.

in Apocalypſi clamat: Eſto vigilans, & comminatur: Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies

Ibid. 19.

qua hora veniam ad te. Et iterum: Ecce venio, inquit, ſicut fur. Quoniam autem qui gnauiter excubat, non ſuppilatur, ſubiungit, dicens: Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambuler, & videant turpitudinem eius.

Ioannes Eleemoſynarius.

Igitur nequando vigiliam hanc aliqua obliuionis dormitatione intermitteret Ioannes Eleemoſynarius Patriarcha Alexandrinus, dum ſibi ædificaretur ſepulchrum, imperfectum relinqui iuſſit. Porrò miniſtris ſuis iniunxit, ne vlla die præterirent, ſe de illo perficiendo interpellare. Itaque nunquam ab eo mortis memoria recedente, ſic vitam inſtituit, vt morte multo beatior factus ſit, quàm ſi ſemper hîc viueret, & omnibus affluereț vitæ huius voluptatibus, omnibuſque delicijs. Terrena enim cæleſtibus conferri non poſſunt, etiamſi æterna eſſent. *Leont. in vit. PP.*

Macharius Alexandrin.

MACHARIO Alexandrino per eremum aliquando pergenti (vt antè diximus) nocte ſuperueniente cùm ſomnum capere vellet, ſepultura, in quam fortè inciderat, lectus fuit, nec dæmonis intra illa, quæ iacendo preſſerat, cadauerum oſſa perſtrepentis vocibus territus loco ceſſit, quia iugis futurorum commemoratio & mortis fecerat intrepidum, & dæmonum contemptorem. *Ruff. in vit. PP.*

Philorom. Preſbyt.

PHILOROMVM quoque Galatam Presbyterum tradit Hera-

Digitized by Google

dit Heraclides, annos sex in sepulturis habitasse mortuorum, vt semper meminisse posset, se mundo mortuum, & viuere Christo. *Pallad. Hist.* 113.

NEC Apollo Abbas (vt Cassianus refert) oblitus est mundo se mortuum esse, tametsi non ita procul à necessarijs suis posito tuguriolo habitaret. Nam cùm à fratre seculari euocaretur, vt sibi auxilio veniret, quòd ipse bouem, qui pedibus alto cœno immersis hæserat, euellere solus non posset, & nisi protinus euelleretur, ibidem eum amissurus erat: Cur, inquit, alterius fratris domum tibi proximiorem præteriens huc me rogatum venisti? Cumque ille responderet, annos iam quindecim esse ex quo alter frater diem suum obijsset: Et mihi, inquit, viginti iam anni sunt, ex quo mortuus mundo sum: tantum autem temporis exegerat in religione. Itaque nihil mundanum ad se pertinere arbitratus, egredi de cella noluit, ne rogatus quidem, ? rogatus à fratre, atque in tam præsenti talis iacturæ eius periculo. Quia ergo qua iam morte mortuus esset, semper in mente habuit, immaculatum se ab hoc seculo custodiuit. *Cassian. Collat.* 24. *cap.* 9. *Apollo Abbas.*

MORTEM quotidie meditando, & ea quæ mortem secutura sunt, intantum quidam profecere, vt non modò non horrerent illam, sed etiam appeterent. Nam vt de Paulo taceamus, qui dissolui cupiebat, & esse cum Christo, Syluanus Episcopus Nazarethanus, cùm ei diuus Hieronymus in visu apparuisset, & si quid à Deo vellet, interrogasset: Velle se ex hac vita migrare dixit, & subsecutus est euentus. Pergant nunc nimis anxij vitæ suæ amatores, medicamentis sustentare sanitatem, morbos depellere, & breuissimi temporis spatium totis redimere patrimonijs: inuenti sunt Dei serui, qui mori optarent, vt in æternum viuere citiùs inciperent. *Augustin. Epistol.* 106. *cap.* 5. *Syluanus Episcopus. Philip.* 3.

NAM & Columbanus Monachus, Columbani Abbatis discipulus, cùm febri grauiter æstuaret, & ei vir apparuisset dicens, preces & lacrymas Abbatis ipsi obstare ne mori posset, continuò rogauit Abbatem, vt ab oratione *Columbanus Monachus.*

Digitized by Google

tione cessando, permitteret se de corporis carcere quam primum educi, eo quòd ad æternam beatitudinem sa transferendum minimè dubitaret. Statim ergo sumpto animæ viatico, relictaque carnis sarcina, cælum petijt, quò iam diu peruenire cupierat. O verè pretiosa in con-
Psal. 115. spectu Domini mors Sanctorum eius! Nisi enim pretiosa esset, haud ita expeteretur.

Hilarion Abbas. IDCIRCO sanè nec Hilarionem Abbatem latrones cum armis circumsistentes terrere potuerunt. Cumque intrepidum permanere mirarentur, nunquid necem non timeret, interrogant? Necem non timet, respondit, qui paratus est mori. Quis, quæso, militum Ducúmve seculi tam præstanti animo vnquam fuit, vt in tanto vitæ periculo non contremuisset? Vnus miles Christi nudus & inermis inter tot armatos nihil expauit, plusque ipsi audaciæ ad mortem patiendam, quàm illis ad inferendam fuit. Quem enim interimere vel saltem spoliare decreuerant, stupore correpti illæsum reliquere. *Hieronym. in vita eius, cap.* 4.

Martyres. SIC & multos Martyrium vitæ huius finem etiam per supplicia quæsisse constat, dum vitam, quæ finem non habet, concupiscerent: vltro se persecutoribus offerebant, cùm latere possent; magisque dimitti, quàm occidi, metuebant. Nunc fœminarum proferamus exempla.

Fœmina. Praxedis Virgo. PRAXEDIS Virgo Romana, cum facultates suas pauperum feciisset, ad illum festinans, cuius amore hoc egerat, orauit vitæ istius finem, & impetrauit. Mira res: robustissimis viris terrori mors est, Virgini iuuenculæ desiderio fuit. *Ado, in Martyrolog.*

Sauina Virgo. SAVINA quoque Virgo ad tumulum Sauini Martyris fratris sui prostrata orasse dicitur, ne vltrà viueret, non fratrem dolens, sed eum sequi cupiens, quem diuino frui conspectu non ambigebat. Illis ergo grauis & terribilis mors est, qui terrena curant, non ijs, quorum conuersatio in cælis est, & qui moriendo ad immortalitatem transmigrant. *Iacob. de Vorag.*

Exhortatio. Quotidie igitur animo voluamus, quotidie ruminemus quales mox futuri simus, & præsentium voluptatum

Digitized by Google

illc-

illecebras, dolos esse patebit. Quibus qui capti fuerint, tunc cùm se ad fœlicitatis culmen euectos putabunt, ad extremas corruent miserias, ignemque illum inextinguibilem, vnde nullus vnquam sperari regressus potest. At verò qui seipsum aliquantulum recognouerit, contemplarique incipiet humanæ naturæ conditionem, iam intra se tacitus dicet: Heu quam magna pars mei indies minuitur, quàm citò ad finem suum ætas properat? Puer eram, & non sentiente me, momento temporis ad pubertatem veni, nec scire possum, quando esse cœpi, & iam factus sum vir, iam iam canis albicat caput, & rugis arata facies cognatam morti senectam indicat. Denique (vt Propheta ait) Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui. Quid, quæso, reliquum est, nisi vt de qua conflictus sum, terrâ fiam? Soluto autem corpore, & terra terræ reddita, quicquid deinde animæ erit, æternum erit. Iustis beatitudo, iniquis deputabitur pœna: vtriusque finis nullus. Cur tandem non resipisco, miser? Cur hoc non saltem quod superest vitæ sic dirigo, sic exerceo, vt pro breui labore quietem capiam sempiternam? & non sicut adhuc egi, vt pro breuibus delicijs in perpetuos incidam cruciatus? Ecce iam securis posita est ad radicem, & velim nolim iam iam cadendum est. Quid agis anima? quid torpes? quid otiosa dormitas? consulere saluti tuæ negligis, & pernicie tua lætaris? Age iam tandem, excita te, & expergiscere, & vel hoc saltem nouissimo penè temporis puncto pœnitentiam age, quam si differre perges, vide quanto te periculo committas: vita fugit, mors aduentat, semperque proprior est quàm esse creditur. Cùm autem venerit, non erit amplius pœnitentiæ tempus, sed iudicij. Iudicij, inquam, sicut districti, ita irreuocabilis, quo quicquid decernitur, fine caret, siue bonum, siue malum sit. Nos igitur inter vtrumque infinitum constituti, perpendamus animo, dum licet, quàm alterum horrendum sit, alterum concupiscendum: & ita nobis ipsis moderemur, vt hoc assequi, illud euitare valeamus. Scriptum est enim: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Et: Mors peccatorum pessima.

Humana conditio.

Psal. 101.

Matth. 3.

Apoc. 14.

Psalm. 33.

De bo-

Digitized by Google

De hora Mortis. CAP. X.

QVAM autem beati sint, qui in Domino moriuntur, dici non potest: ex parte tamen interdum omnipotens Deus signo aliquo ostendere nobis voluit in exitu illorum, vt ad eos imitandos magis accenderemur, quorum finem ipse miraculis illustrasset. Itaque & quid singulis eo potissimùm tempore contigerit, & qualiter ipsi sese habuerint, hinc iam dicere incipiemus; vt non solùm viuere, sed etiam mori eorum exemplis discamus.

AC primùm ne nimia cõdendi cadaueris distrahamur
Abraham. cura, Abraham emisse agrum Ephron Hethæi scribitur, in
Genes. 23. quo antrum erat: eo antro pro sua suorumque sepultura
Isaac. vsus est. Ibi primùm ipse, deinde Isaac, postremò Iacob
Genes. 25. depositi recubuere. Desine peccator magnifica tibi ex-
Iacob. truere monumenta, & immodico sumptu stupendis ar-
Genes. 50. tificum operibus exornare. Ecce qui cum Deo colloquebantur, sepeliri voluerunt in spelunca, & ne impensas defuisse credas, diuites erant. Dicit enim Scriptura de Abraham: Erat dives valde in possessione auri & argenti. De Isaac: Et locupletatus est, habuitque possessiones
Ibid. 51. ouium & armentorum & familiæ plurimum. De Iacob: Ditatus est homo vltra modum, & habuit greges multos, ancillas & seruos, camelos & asinos.

Aaron. AARON quoque Pontifex Maximus à Deo electus
Num. 20. peregrè moritur, & Dei iussu in monte Hor sepelitur, nulla ibi exequiarum pompa, nullus inanis honor, nisi triginta dierum multitudinis luctus fuit. Quippe plurimorum lachrymæ multo meliùs defuncti probitatem testantur, quàm superflui funebres apparatus.

Moyses. POST hunc mortuus est seruus Dei Moyses, & sepul-
Deut. 34. tus in valle terræ Moab, & non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem. Quid est, quòd tantus vir in valle sepulcus dicitur, nisi quia quanto maior es, tantò debeas te gerere submissiùs, in morte præsertim, quæ sola æquat seruum Domino, pauperem diuiti, stultum sapienti, omnesque pariter conficit atque consumit?

Digitized by Google

mit? Quid est præterea quòd sepulturæ eius locus ignoretur, nisi vt illorum arguatur fatuitas, qui nisi in marmoreis conditorijs, affabrè sculptis, ad vnguem leuigatis, auroque linitis, & in celebri loco positis, putrescere nesciunt? Quin etiam incisis in lapide literis nomina conscribunt, quasi quicquam eis prodesse possit, vt qui fuerint, posteri cognoscant, cùm ipsi semet, dum viuerent, non cognorint, magis inani gloriæ quàm virtuti studentes. Moysi sepulchrum ignoratur, sed vitæ illius integritas ac sanctitudo nullis vnquam seculis obliterabitur. Quisquis illi similis esse curauerit, profectò nō quæret, quo loco sepultus iaceat, sed vbi sempiternus viuat.

HOC etiam eiusmodi viris curandum erit, vt sicut in vita, ita & in hora mortis alios piè informent, quo ipsi decedentes plus meriti secum ferant, dum ne in fine quidem proximis prodesse recusent. Etenim Iosue Naue filius, cùm diem suum esset obiturus, Tribubus Israel conuocatis, enumerauit Dei erga illos beneficia, & vt legem eius obseruarent, eumque solum, non Deos alienos, perpetuò colerent, hortatus est. *Iosue.* *Iosue 24.*

ET rex Dauid morti proximus dedit præcepta filio suo Salomoni. Sed cur illi magis quàm cæteris? quia cæteris ipse præfuturus erat, & vnius præpositi institutio, ad omnium vtilitatem spectabat. Salomon autem, quoniam paternis institutis obsequens fuit, sapientiam, & diuitias, & gloriam à Deo muneri accepit. *Dauid.* *3. Reg 2.*

TOBIAS cùm & ipse se iam discessurum speraret, sic docuit filium, vt in illo vno omnes docuisse videatur. Deum, inquit, cole, parentes reuerere, eleemosynas da, à vitijs abstine, æs alienum libenter dissolue, nemini fac quod factum nolis tibi. Sapientum nitere consilijs. Benedic Deo semper, & ab eo dirigi pete. Ista quidem pleniùs in eo libro, qui Tobias inscribitur, recensentur. Sed nos pro tempore breuiter perstringimus, vt vel hinc cæteri patres discant, talium potiùs institutionum, quàm multarum opum, filios suos relinquere hæredes. *Tobias.* *Tob. 4.*

Videndum quoque vt deficienti animæ succurrat prius reatus dolor, & culpam priùs abluat fletus, quam flam- *Ezechias.* *4 Reg. 20*

Digitized by Google

Ezechias. 4 Reg. 20

flamma exurat. Ezechias rex morbo correptus, cùm mortis suæ nuntium accepisset, orauit & fleuit, diuinaque miseratione addicti fuere vitæ eius quindecim anni, dicente Domino: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam, & ecce sanaui te. Die tertia ascendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Ex quo instruimur, tunc maximè precibus & pœnitentiæ mœrore nobis opus esse, cùm mortis instat dies, vt pleniore venia peccatorum impetrata, addantur nobis vitæ anni, non quandoque finiendi, sed anni æternitatis.

Enoch. Genes. 5. Elias. 4. Reg. 2.

ET ne corporis nostri mox dissoluendi nos conturbet conditio, Enoch & Eliam non mortuos, sed translatos fuisse, Scripturæ testimonio probatur. Vterque autem ambulasse cum Deo dicitur. Ita & nos quidem, si cum Deo ambulantes, hoc est, mandata eius obseruantes, mors occupauerit, transferemur in animam priùs, postea & in corpore, non quò illi tunc translati sunt, sed quò ascendit Christus. Nihil igitur doleamus, carnem nostram nunc corrumpi redigique in puluerem, cùm rursum quandoque reparanda sit in incorruptione & in gloria, si modò vsque in finem fuerimus fideles.

Eliseus. 4. Reg. 13

IN sepulchro illo vbi positus fuerat Elisæus Propheta proiectum hominis cadauer statim reuixit: & nos Dei viuentis voce, & Archangeli iussu, & nouissima tuba euocati, non reuiuiscemus? Hinc etiam liquet, Sanctorum reliquias reuerenter esse habendas, quandoquidem tanta vis eis ineat, vt tactu ipsorum interdum etiam mortui ad vitam suscitentur. Satis hæc de veteri Instrumento, noui quoque exempla inspiciamus.

Reliquiæ SS. reuerenter habendæ.

IESVS Christus.

OMNIS virtutis fons atque origo Dominus noster Iesus Christus, vti viuendo, quomodò viuere: ita moriendo, quomodò mori debeamus, nos erudiuit. Mortuus est pro salute nostra, vt nec nos pro salute proximorum mori recusemus. Pro inimicis orauit, vt & nos dimittamus, si quid habemus aduersus alterum. Animam Patri commendauit, ne nos quoque discedentem animam Deo commendare prætermittamus, à quo illam accepimus. In alieno monumento condi voluit, ne confundamur, si non ha-

Luc. 23. Marci 15.

Digitized by Google

non habuerimus propriam sepulturam. Quocunque loco humati fuerimus, Domini est terra & plenitudo eius. Syndone munda inuolutus est, & aromatibus delibutus, vt ostenderet, eos fœliciter hinc discedere, qui puritatem cordis & odoramenta virtutum secum ferrent. Die tertia resurrexit, & cælum ascendit, vt fidem faceret, nos quoque resurrecturos, cælumque ascensuros, si tales in fine inueniemur, quales esse debere suo monstrauit exemplo. *Psalm. 23.* *Idem 16.* *Actor. 1.*

ET Apostoli quidem omnesque reliqui Martyres pro iustitia, pro veritate, pro Christo morientes, præstantissimum id esse Mortis genus testantur, quod ipsi passi sunt. Sed non omnibus hoc contingit, omnibus tamen ea mens esse debet, vt si fors ita ferret, libenter & ipsi sustinerent. Cui is animus vel tunc cùm è vita egreditur fuerit, proculdubio Martyrum ipsorum coronæ particeps erit. Corda enim perpendit Dominus magis quàm facta. Dic ergo cum Paulo: Non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu, Certè talis in moriente charitas eleuabit doloris angustiæque sensum, & hominem alterius vitæ desiderio accendens faciet exclamare, Cupio dissolui & esse cum Christo. *Apostoli. Martyres.* *Actor. 21.* *Philip. 1.*

PAVLVM primum Eremitam Antonius Abbas orantis gestu expirasse offendit, necdum exanimem putabat, donec nullos (vt solebat) gemitus, nulla suspiria ipsum emittere deprehendit. Indoluitque vehementer, quòd se relicto mortem obiisset. Nec immeritò cum illo decedere concupiuit, cuius etiam defuncti corpus Deum adorare conspexit, imò cuius animam ab Angelis in cælum ferri viderat. *Hieronym. de vita Pauli.* *Paulus primus Eremita.*

Ipse verò Antonius, cùm diem, qua de terra cessurus erat, multo antè prædixisset, eadē defunctus est. Sed dum adhuc æger spiraret, Monachis vitæ monita dedit: Insuperque iniunxit, vt cùm se humassent, curarēt, ne qua ibi humationis vestigia appararēt, & locum nemini vnquam indicarent, ne ab hominibus honoraretur, volens & in morte humilitatem seruare, quam apprimè in vita coluerat. *In vitis PP.* *Antonius Abbas.*

Digitized by Google

Hilarion Abbas.

HILARION Abbas ad Hesitium Monachum testamenti vice epistolam scripsit, omnes diuitias suas ei relinquens, quæ erant, Euangelium, tunica, saccea cuculla, palliolum. Et cùm plerique religiosi viri ad ægrotantem conuenissent, omnes adiurauit, vt ne puncto quidem temporis post mortem reseruaretur, sed statim se terra operirent, sicut vestitus erat, cum tunica cilicina, & cuculla, & sago rustico. Cumque iam extremo anhelitu laboraret, apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times? In hæc verba beatum exhalauit spiritum, statimque terra obrutum, antè vrbi sepultum, quàm mortuum, nuntiauerunt. *In vita eius, cap.* 17. *Breu. Rom.* 21. *Octob.*

Ioannes Anachoreta.

IOANNES AEgyptius Anachoreta, præter vitæ sanctitatem, futurorum etiam vaticinijs clarus, cùm diem postremum sibi imminere cerneret, toto triduo neminem ad se admisit, vt Deum (ad quem gaudens proficiscebatur) liberiùs expeditiusque contemplari posset. Triduo verò elapso, complicatis genibus orando spiritum emisit. Qui cum in tali gestu tali humilitate egrediuntur, eos ego misericordiam iam adeptos arbitror. Non enim tanta gratia præuenirentur, nisi maior esset secutura. *In vitis PP.*

Onophrius Solitarius.

ONOPHRIO in vastissima AEgypti solitudine moranti, & nulli hominum cognito, & consumptis indumentis, nudo cùm iam vita excessurus esset, contigit Pafnutium Abbatem videre, à quo interrogatus, nomen vitamque exposuit, & ipsum à Deo sibi destinatum, à quo postera die sepeliendus esset, dixit. Cùm ergo animam (vt prædixerat) exhalasset, vidit eam Pafnutius ab Angelis in cælum tolli. Cuius corpusculum suauissimo odore diuinitus perfusum sepelire volens, instrumentum quo terram cauaret non habuit. Et ecce accurrunt duo leones, telluremque vnguibus scalpentes, fossam hominis capacem fecere. Sicque ipse pallio suo inuolutum, atque ibi depositum, humo quam bestiæ egesserant, operuit. Eo vix sepulto, cella corruit, & palma, quæ iuxta illam stabat, ra-

Digitized by Google

bat, radicitus euulsa procubuit, quasi dedignantes aliorum vsui seruire, quæ tam exactæ sanctitatis viro seruissent. Cuius ergo tam magnifica in terris mors fuit, quàm gloriosa vita est in cælo? *Ibidem.*

D. HIERONYMVS moriturus humi se collocari iussit, saccoque quo induebatur, operiri. Tum discipulis conuocatis, eos vt in Dei seruitio perseuerarent, multum exhortatus est, deinde Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini in genua erectus, & lachrymis perfusus, reuerenter hausit. Mox terram prono ore petens, dispessis manibus: Nunc dimittis, inquit, seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad renelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Post hæc lux multa circa eum fulsit. Quidam etiam Angelos vidisse se testabantur, vocemque audisse illum ad patriam cælestem inuitantium, & ipsius respondentis, quòd libenter cupideque veniret. Mox discedente luce, anima quoque à corpore suo discessit. Exanime corpus diuinum spirare odorem cœpit, omnia vnguenta suauitate vincentem. Eadem hora diuersis in locis visionibus quorundam, ad quantam ille beatitudinem translatus sit, liquidò patuit. Nos eius humilitatem saltem in moriendo imitemur, quandoquidem tantam in viuendo sanctitatem assequi indigni fumus. *Euseb. in vita S. Hieronym.* *Hieronymus Presbyter.* *Luc. 2.*

Etenim Eusebius quoque Cremonensis eius discipulus, cum post illum mortem obiret, ijsdem humiliationibus vsus est. Cæterùm qua hora migraturus erat, repentè caput erigens, oculis pauitantibus circumspicere, & quasi in furorem versus clamitare: Non faciam, non faciam, mentiris, mentiris. Deinde ad terram procliuus faciem abscondere, intremiscere, ac quantum poterat vociferari, Adiuuate me fratres, adiuuate me, ne peream. Illi verò partim expauidi, partim mœrore concussi rogitabant: Quid habes, pater? quæ hæc te exagitat solicitudo? quid times? An, inquit, non videtis dæmonum cateruã, hîc in meam perniciem congregatã? Ille qui præ cæte- *Eusebius Cremonensis.*

Digitized by Google

ris horrendus apparet, compellit me ad blasphemias, heresumque prauitatem; & tam dirus est, vt contrà tueri non ausim. Tunc fratrum supplicationibus dæmones in fugam versi sunt. Et Beatus Hieronymus apparens, ipsum, ne paueret, hortatus est. Eius itaque conspectu Eusebius recreatus, in Domino obdormiuit. Nemo ex incompto aliquo deformique decedentium gestu animas eorum iudicet: si vir tam sanctus ita se in morte habuit, vt de illo dubitaret, nisi quod contigerat, palàm factum fuisset. *Augustin. Epistol. 206. cap. 3.*

Ambrosius Episcopus.

AMBROSIVS Episcopus, tum doctrina, tum sanctitate notus, cùm animam esset acturus, Communione sacra sumpta, expansis latè brachijs, demissaque ceruice, tacitus intra se orauit; atque hoc gestu actuque illi decedere libuit, vt talis Domino occurreret, qualis ipse pro nobis pependerat in Cruce. *Paulin. in vita Ambros.*

Augustinus Episcopus.

ET ipse inter quatuor Ecclesiæ candelabra numerandus Augustinus, cùm febri correptus vitæ sibi finem imminere conspiceret, Psalmos, qui Pœnitentiales dicuntur, conscribi, & ante se legendos parieti affigi iussit. Eos dum legeret, lacrymas vbertim fudisse dicitur, neminem ad se accedere passus est, præter Medicum & Discophorum puerum, ne varijs multorum interpellationibus ab earum rerum contemplatione auocaretur, ad quas perpetuò fruendas iam se profecturum sperabat. Tandem Communione venerabiliter percepta, spiritum reddidit. Sed prius & hoc memoratur dixisse, neminem (quamuis sanctum & perfectum virum) decedere debere, nisi antè confessus communicatusque fuisset. Nolle enim confiteri, arrogantis esse: nolle communicare, inobedientis. Si autem Augustinus pœnitentiæ precationes cum fletu sibi peragendas putauit, quid nos facere oporteat, qui in nullo ad eum comparandi sumus? Discamus tamen, nunc maximè pœnitendum dolendumque esse, cùm periculum est, ne dolere incipiamus in æternum. *Possidon. in vit. Augustin. cap. 31.*

Benedictus Abb.

BENEDICTVS Abbas diem suum postremum præcognouit, & quibus hoc indicauerat, ne cui antequam euenis-

Digitized by Google

euenisset dicerent, iniunxit. Sexto autem die ante euentum aperiri tumulum iussit, & febricitare cœpit. Deinde ingraueſcente morbo, in oratorium delatus, ſublatis manibus Deo ſe commendans, inter diſcipulorum manus expirauit ea ipſa quæ prædixerat die. Quidam in viſu viderunt viam in ſublime tendentem, panno ſtratam, multisque lampadibus quaſi ſtellis fulgentem, & reſponſum accepere, patri Benedicto, per quam ad cælum aſcenderet, paratam. Qualis, quæſo, gloria illa ad quam fruendam pergebat, ſi talis via quam calcabat? *Gregor. Dialog. lib. 2. cap. 37.*

ODILONI Cluniacenſi Abbati cùm ægrotaret, diabolum tetra horribiliq́ue forma propiùs aſtitiſſe ferunt, ſed mox ab eo contemptum confuſumq́ue diſceſſiſſe. Ille ergo fugato aduerſario, confidentiùs finem ſuum expectauit. Quem enim terrere diabolus non potuit, ei ne mors quidem timori fuit. *Hugo Cluniac.* *Odilo Abbas.*

AD Probum Reatinę vrbis Epiſcopum, puer qui ægro tanti aſſidebat, vidit duos viros ingredi candidis veſtibus indutos, radiantiq́ue facie lucentes, & mente conſternatus, qui eſſent, clamare magis quàm interrogare cœpit, donec ab Epiſcopo Probo ſedatus, audiuit, illos Iuuenalem & Eleutherium eſſe, pro Chriſti nomine olim ſupplicia necemq́ue paſſos. At neque hoc ferre valens, è cella profilijt, & rem alijs detulit, qui mox vnà cum ipſo ad cubiculum accedentes, offenderunt Epiſcopum iam expiraſſe, aliumq́ue ibi adeſſe neminem. Nec dubitarunt, quin ille cum iſdem, quos puer viderat, ad cæleſtem beatitudinem poſſidendam abiiſſet, dignus vtique Martyrum conſortio, qui vehementis languoris moleſtias æquo animo pertuliſſet. *Gregor. Dialog. lib. 4. cap. 12.* *Probus Epiſcopus.*

STEPHANVM quoque Abbatem ſanctimoniæ ſingularis virum, ij qui ad ægrotantem conuenerant, præ timore fugientes reliquere, pars Angelos ad eum intrantes viderant, pars nihil viderant, & omnes vnus idemq́ue occupauit pauor. Cùm ſedato timore redijſſent, defunctum inuenere quem vitium adhuc dimiſerant. Quàm putas glorioſi Angelorum cœtus hominis animam excepere, *Stephan. Abbas.*

Digitized by Google

cùm eorum aduentum illi etiam, qui non viderant, sustinere nequiuerint? *Ibidem, cap.* 19.

Antonius Monach. ANTONIO Monacho, qui Romæ in Gregoriano Monasterio vitam piè sanctèque degebat, die quodam dictum est: Paratus esto, & quia Dominus iubet, migra. Qui cum sibi viatica ad migrandum deesse respondisset, audiuit, si de peccatis ambigeret, iam dimissa esse sciret. Multum tamen ille hac de re dubitare cœpit, & sequenti nocte cùm se sopori dedisset, eodem oraculo solicitatus dubitare desijt. Exinde die quinto, febris repentino æstuans ardore, animam reddidit exactori ejus Deo, tam fœliciter quàm libenter. Et quis enim adeò mortis pauidus est, vt inuitus hinc cessisset, dum sic euocaretur. *Ibidem, cap.* 47.

Merulus Monach. MEROLO eiusdem monasterij Monacho, egregia morum sanctitudine prædito, in quiete visum est, coronam candidissimis floribus contextam è cœlo labi, ac super caput suum sisti. Post hæc aduersa valetudine agitatus, cum magna animi alacritate diem obijt extremum. Anno deinde decimo quarto Petri Abbatis iussu aperto eius sepulchro, incredibilis odoris inde suauitas exhalauit, Qua ex re illud, quod per somnium viderat, verum fuisse cognitum est. Qui tam fœliciter mori cupit, debet sicut ille vixit & ipse viuere. Non potest eius mors mala esse, cuius vita bona fuit.

Ibidem. Vrsinus Presbyter. NVRSIAE Presbyter Vrsinus, cùm animam ageret, prorupit in verba salutationis, quasi qui principes viros ad se accedere conspiceret, & aduentu eorum admodum gauderet: Optato, inquit, aduenistis domini mei, & gratias ago, quòd præsentia vestra me dignamini, qui vester seruus sum. Deinde tanquam ab ipsis inuitaretur: Venio, venio, respondebat. Tunc quid videret, vel quo cum loqueretur, ab ijs qui aderant interrogatus: Nunquid, ait, non conspicitis hîc Petrum & Paulum Apostolos, qui modò huc intrarunt? Et cùm rursum ad illos conuersus iam-iam se venire diceret, relicto corpore abijt. Hoc ferè ijs contingit, qui piè casteque vixere, vt decessuri Sanctos videant, ne in morte, mortis æternæ pe-

Digitized by Google

næ pericula formident, & dum tali ſpectaculo conſolantur, vltimæ anxietudinis dolorem non ſentiant. *Ibidem, cap.* 11.

SIC & Seruulus paralyticus (de quo ſæpe locuti ſumus) cùm extremos iam anhelitus duceret, & quo modo poterat, vnà cum ijs, quos circa ſe conuocauerat, Pſalmos concineret: mox, Tacete, tacete, inquit, nunquid non auditis, quanti & quàm dulces cantus reſonant in cælo, & dum intentos in cælum oculos tacitus teneret, vita elapſus eſt. Corpus verò donec ſepulturæ mandatum eſt, miro odore fragrauit. O fœlicem optandumque exitum, quem ſperatę beatitudinis duo certiſſima ſigna commendarunt; in cęlo, Angelorum melos, in terra, ſuauitas odoris. *Ibidem, cap.* 14. *Seruulus Mendicus.*

BEATVS Martinus Turonenſis Epiſcopus obitum ſuum multo antè prædixit, quo iam proximo, mala valetudine grauiter affici cœpit. Tunc diſcipulis flentibus: Nec mori, inquit, timeo, quia pij Domini ſeruus ſum, nec viuere recuſo, ſi vobis adhuc neceſſarius ſum. Languens autem & morbo tantùm non conſumptus, cubabat in cilicio & cinere, neque alio in ſtratu Chriſtianum mori oportere aiebat. Sublatis in cælum manibus indefinenter precabatur. Diabolum vidit, ſed cùm expiraſſet, cum Angelis abijt, quorum cantus in ſublime volantium quidam ſentire meruerunt. Tam ergo gloriosè ad immortalitatem aſcendit, quàm humiliter mortalitatem finiuit. *Seuer. Sulpit. circa finem.* *Martinus Epiſcopus.*

CVDBERTVS (vt Beda ſcribit) primò Monachus, deinde Epiſcopus, obitum ſuum in proximo futurum, ſibi diuinitus prænuntiatum, Herberto Presbytero, quem chariſſimum habebat, indicauit. Et ille ne in morte quidem amicum deſerere cupiens, obſecrare cœpit, vti ſe quoque ea in re comitem aſſumeret. Tunc Epiſcopus: Deum aliquandiu precatus: Herberte, inquit, Dominus noſter te voti tui compotem facit, proinde præpara te, mecum vnà diſceſſurus. Itaque anno pòſt, quamuis locorum interuallo diuerſi manerent, cùm die qua prædictum erat, deceſſiſſent, iunctis tamen ſpiritibus cælum *Cudbertus Epiſcopus.*

Digitized by Google

simul petiere. Grandis charitas, commori amico desiderantis; sed maior fœlicitas quod desiderauerat impetrantis. *Beda Hist. lib. 4. cap. 29.*

Liberalis. LIBERALEM quoque, qui Altini genitus, Taruisij sepultus honoratur, orasse perhibent vitę huius finem, & se exauditum Angelo nuntiante didicisse. Posthæc vicinas inuisisse Ecclesias, & in ea quæ sancti Laurentij est, Deo animam reddidisse. Quid misera mortalitas longioris ætatis annos expetis? Tædet Sanctos diu viuere, dum ad vitam, quæ in Deo est, proficisci festinant.

Beda Presbyter. Venerabilis Beda Presbyter Domino reuelante præcognouit, die tandem quinquagesimo se à corporis vinculis exoluendum. Itaque festo Dominicæ Ascensionis, dum in Ecclesia cum cæteris vesperas celebraret, nulla ægritudine affectus, atque etiam stans in hemicyclo, cubitisque innixus, finitis vesperis expirauit, mirabilisque odoris fragrantia subsecuta est, vt planè quo die in cęlum Christus ascenderat, eodem & seruum Christi, relicto in terra corpore, ascendisse nemo dubitaret.

Cassius Episcopus. CASSIVS quoque Narniensis Episcopus per visum cuiusdam Presbyteri accepit, se natalitio Petri & Pauli Apostolorum die, de terris migraturum, & anno tandem septimo, die quo prædictum fuerat, cùm Missale Sacrificium peregisset, mortuus est, atque inde viuere, nunquam moriturus cœpit. Nosse autem mortis tempus meruit, quia omni tempore mori paratus fuit, quotidie & Deo sacram offerens hostiam, & multam pauperibus eleemosynam. *Gregor. Dialog. lib. 4. cap. 56.*

Paulinus Episcopus. PAVLINI etiam Nolani Episcopi, vt vita ita vitæ exitus mirabilis fuit. Cubiculum, in quo æger iacebat, ipso expirante intremuit, & eos qui aderant, repentino pauore obstupefecit. Si viri sanctitatem consideres, ideo in morte eius concussum pauimentum dices, vt beatorum spiritum multitudinem ad suscipiendum defuncti animam eò conuenisse testaretur. Dignus quippe tali tunc comitatu fuit, qui dum viueret, omnia, quæ habere poterat, indigentibus dabat, & cùm res defecissent, seipsum dedit, vicaria seruitute redimens viduæ filium.

Meri-

Digitized by Google

Meritò nunc cum Angelis gaudet, qui sic homines dilexit. *Ibid. lib. 3. c. 1.*

Germanus Episcopus.

GERMANVS Parisiensis Episcopus supra lectulum suum inscripserat: Quinto Cal. Iunias: Nemo inscriptionis causam nosse potuit, donec eodem qui notatus fuerat die, ipsum vita defungi cõtigit. Quid hoc est, nisi quia digni sunt diem transitus sui non ignorare, qui semper pati sunt transire? *Fortunat. & Sur. Tom. 3.*

Amator Episcop.

NAM & Amator Antisiodorensis Episcopus, qui etiã in Matrimonio Virginitatem seruare potuit, vltimũ diẽ imminere sibi præsciuit. Et cùm ad Ecclesiam perrexisset; sermonemque ad populum habuisset, in solio suo sedens animam efflauit. Quam sub columbæ effigie in sublime volantem quidam conspexere, vt eo visu & puritas Virginitatis & meritum patesceret sanctitatis. *In vitæ S. Germani.*

Donatus Presbyt.

DONATVM Presbyterum apud Aureliam Galliarum vrbem ferunt cùm dies dormitionis eius instaret, nunquã preces intermisisse, donec animam exhalaret. Deprecatio enim misericordiam impetrat, gratiamque conciliat, vt vitæ huius finis illius vitæ initium sit, quæ fine caret. *Hist. Trip. lib. 9. cap. 46.*

Iuo Presbyter.

IVONEM quoque Presbyterum tradunt diem, qua mortem obiturus erat prædixisse, ac ne cùm ægrotaret quidem, consuetæ abstinentiæ modum remisisse. Postremò corpori & sanguini Domini communicatum, die nocteque intentis in imaginem Crucifixi oculis, orãdo perseueraſſe, & altero illucescente die spiritum reddidisse. Igitur dum passi Domini supplicia insatiabiliter considerat, dum ipsum obsecrare non cessat, resurgentis gloriam hora ipsa qua resurrexisse dicitur, vidit, & à dextris Patris sedentem iam sine fine beatus conspexit. *Sur. Tom. 3.*

Homobon.

Homo bonus Cremonensis multa sanctitate clarus, dum Missales Ceremonias genibus prouolutus audiuet, expirauit. Nemo eum non viuere putabat, donec dum Euangelium legeretur, eodem gestu perseuerantem, neq; se, vt solebat, in pedes erigentem, viderunt. O felicem

Digitized by Google

viri exitum, cuius beatitudinem locus, tempus, gestus testati sunt! Adde etiam defuncti miraculo, eo quod ægroti, & à spiritibus vexati, cùm ad tumulũ eius adducti essent, conualuere. *In ipsius Histor.*

Francisc. PATREM Franciscum legimus nudum se super nudã humum deponi fecisse, cùm diem expectaret supremum, fratribusque benedixisse, & dominico exemplo singulis buccellam panis dedisse, sumpto demum salutis viatico, vita discessisse. Sic ergo nudus, sic ad terram vsque humiliatus, cœlestibus abundauit diuitijs, & supra cœlos exaltatus est, illicque ipsi Seraph inseparabiliter iunctus, cuius olim stigmata in corpore suo portarat. *Bonauent. cap.* 13.

Dominic. PATER Dominicus vltimo vitæ die, ne intestatus obiret, hæc se fratribus suis legare dixit, charitatem, humilitatem, voluntariam paupertatem. O beatum virum, qui cùm hinc decederet, nihil habuit quod suis relinqueret præter exempla virtutum, quarum qui hæres fuerit, cælestis quoque regni hæres erit. *Garzo.*

Antonius Patauin. ANTONIO Hispano, cuius corpus Patauij in veneratione est, cũ aduersa valetudine oppressus iaceret, Christus apparuit; cuius conspectu lætus, atque intimis exultans præcordijs, Hymnum illum, cuius initium est: O glorioſa Domina, excelsa super sydera, voce qua potuit, decantauit, simulque Hymnum & vitam hanc finiuit, illam vitam feliciter inchoans quæ finem non habet. *Anton. hist. p.* 3.

IAM tandem & Regibus bene moriendi exemplum aliquod proponamus, quando ne illos quidem immodicæ opes ditiaque regna à morte redimunt, sed potiùs ad mortem, dum ab alijs concupiscuntur, impellunt. Quintus Ludouicus Gallorum Rex, cùm ingentibus copijs ad recuperandam Ierosolymam profectus, parteque iam regionis illius occupata, febris morbo interceptus esset, nequiuit præstare quod promiserat. Dum autem ægrotaret, non in sericis, sed in cinere iacere voluit, & extensus ad instar Crucifixi manibus, animam efflauit. Sic humiliatus regnum deseruit terrenum, & cum Christo regna re cœ-

Quintus Ludouicus rex.

Digitized by Google

re cœpit in cœlo. Sic deuotus dum infimam Ierusalem capere nititur, possedit supernam. Sic denique magnanimus caduca contemnens, ad illa quæ æterna sunt, perpetuò fruenda conscendit. *Iudic. Clicthou.*

Iam sicut viri à viris, ita feminæ à feminis mori discant, vt vitæ nunquam morituræ præmia & ipse consequi possint. *Feminæ.*

MARIA Magdalena Domini Iesu Apostola, cùm diè dormitionis suæ iam proximum præsciuisset, nolès quidem absque Eucharistiæ Sacramento decedere, à Maximino Episcopo illud accepit, & ante Altare humiliter prostrata spiritum tradidit. Corpusculum odore perquã suaui fragrauit: anima ab Angelis in cœlum sublata, pro laboribus, quos in terra sustinuerat, perpetuæ quietis felicitate gaudere cœpit; & quæ quondam lachrymis lauerat pedes Domini, nunc in conspectu eius exultat sine fine. *Iacob. de Vorog.* *Maria Magdal.*

MARTHA deinde soror illius, reuelato sibi vitæ fine, annum febris ignibus æstuauit. Cùm autem decessura esset, lampades accendi iussit, & astantibus vt vigilarent iniunxit. Nocte propè media ventus irruens luminaria extinxit, dæmones apparuerunt. Sed cùm illa orasset, soror è cœlo delapsa, affuit, malignos spiritus in fugam vertit, ipsam consolata est, lucernas accendit. Tunc & Christus ei præstò fuit, & vt secum veniret, hortatus est. Ipsa igitur tam optato itineri se accingens, efferri se sub dio fecit, eiq; reque conspergi, & Crucem sanctam iuxta apponi, atque Euangelium Dominicæ Passionis à Luca descriptum legi. Postremò in manus Domini spiritum suũ commendans, obijt. Itaque non minus cùm ad Christum proficisceretur solicita erat, quàm olim cũ ei ministraret, nisi quòd magis gauderet æternitatis hospitio, quàm temporalitatis. *Ibidem.* *Martha Virgo.*

MARIAE Aegyptiacæ vasta in eremo degenti, & ferarum tantùm sociæ, ne in fine vitæ sine salutari viatico decederet, Zozimas Abbas occurrit. Qui dato ei Trinitatis pane, cùm postea defunctam reperisset, reperit simul in puluere scriptum: Sepeli, Zozima, Mariæ corpus, & ter- *Maria Aegypt.*

Digitized by Google

terram terra tege, ac pro me ora. Tunc leo ad cauandam sepulturam operam præstitit, Zozimas ad cadauer condendum. Sic ergo & deserti bestiæ, deserti habitatoribus inseruiunt, & in solitudine Christum quærentibus, neq; sacra deest Communio, cùm oporteat, neque sepultura. *In vitis PP.*

Amata Abbatissa. AMATAE in Thebaidis Monasterio Abbatissæ Colonatus Martyr apparuisse dicitur, & vt proximo Dominico die ad Ecclesiam suam cœnatum veniret, eam inuitasse. Ipsa igitur, quæ iam per annos quadraginta limen monasterij transgressa nunquam fuerat, tunc primùm vt Martyri morem gereret, exijt, & cœnulam quam secum tulerat in Ecclesia eius peregit. Inde reuersa, sororibus propediem ex hac vita se migraturam prædixit. Ac post biduum nulla corporis infirmitate lacessita, vbi se veluti sepeliendam composuisset, expirauit. O omni melle dulcior cœna, Mannaque suauior, cui cœlestis conuiuij nunquam defuturæ dapes tam feliciter succedere. *Ruff. in vit. PP.*

Salaberga Abbatissa. SALABERGA quoque apud Lugdunum Abbatissa, cùm diem clausura esset extremum, iucundissima visione ne mortem timeret, roboratur. Vidit enim se ad locum immensi fulgoris adductam, & in eo patrum multiplici florum pictura decoratum, mirabiliq́ue odorum suauitate fragrans, & id sibi præparatum audiuit. Dormienti quoque zona, qua cingebatur, soluta, nec vsquam comparens, ipsam à corpore soluendam portendit. Nam & vox audita est, quæ diceret, die tandem centesima hoc euenturum. Dehinc sancta & prudens femina, vt veniens Dominus vigilantem inueniret, Psalmos legere non cessauit, nisi cum etiam viuere cessasset, ea quidem visione confidentior facta, sed non & segnior. Neque enim tale quid apparet, vt certiore præmij expectatione, piæ operationis ardor in nobis langueſcat, sed vt accendatur. *Apud Sur.*

Galla Romana. GALLA CHRISTO dicata in monasterio, quod apud ædem Petri Apostoli Romæ situm erat, dum cancri morbum in mamilla patiens iaceret, duo candelabra ante lectulum

Digitized by Google

culum eius ex monastico fortasse instituto accensa, per noctem lucebant, inter illa medius idem Apostolus ipsi apparuit, cuius repentino conspectu læta magis quàm perterrita, interrogauit, essent ne delicta sua sibi dimissa? & cum dimissa esse accepisset, ab eodem euocata, vt iam ex hac vita ad meliorem migraret: Rogo, inquit, vt soror Benedicta mecum veniat, & responsum accepit, alteram nunc secum venturam: Benedictam autem die postea trigesimo ipsas secuturam. Abijt visio, atque illa excitis ad se sororibus, quod viderat, enarrauit. Inde die tertio cum illa, quam Apostolus prædixerat, simul opetijt. Die deinde trigesimo Benedicta quoque moriens, oraculum impleuit. O verè omnes benedictæ, quæ sic euocantur, vt nullius culpæ conscientia eas terrere possit. *Gregor. Dial. lib. 4. cap. 13.*

Romula Virgo.

IN eadem vrbe Romula, Redemptæ religiosæ feminæ discipula, Christo fideliter seruiebat. Sed dum debilitatis paralysi membris langueret, Redemptaque & altera discipula iacenti assiderent, subita lux in cubiculo refulsit, & assidentium oculos pariter mentemque perstrinxit. Mox etiam intrantis turbæ strepitum audierunt, sed neminem viderunt. Excessit lumen, & secuta est odoris grata suauitas, quæ pauorem quoque ex luce illa tumultuque conceptum leniret. Sub hæc Romula ipsa, Nolite timere, inquit, non morior modò. Postea verò die quarto, cùm sacram Communionem accepisset, pro foribus cellulæ eius psallentium chori auditi, & illa corporis vinculis expedita, cum eisdem cœlum petijt. Quis dicere queat, quàm illi iucunda mors erat, quæ moriendo supernæ felicitatis tantam præguſtabat dulcedinem? *Ibid. cap. 15.*

Tarsilla Virgo.

TARSILLAE beati Doctoris ac Pontificis Gregorij amitæ in visis sanctus Felix Pontifex apparuit, qui sedem illi ostendens multa luce renitentem: Veni, inquit, te enim hæc sedes manet. Postero die Tarsilla febri implicita ægrotauit. Iamque in ipsius morbi accessione vehementer anxiebatur, cùm Christum vidit, atque ad eos qui aderant: Facessite hinc, air, abite, ecce Dominus Iesus venit.

Itaque

Digitized by Google

Itaque ad eum quem videbat toto animi affectu anhelas, expirauit. Odoris insecuta suauitas fidem fecit, verè ibi affuisse Iesum, & illam vnà cum ipso abijsse. Sed neque mortem timere potuit, quæ ante mortem mortis destructorem vidit. *Ibid. cap. 16.*

Musa Virgo.

MVSA tenella, adhuc, & nondum adultę ętatis Virgo, Virginem Deiparam cum multarum Virginum glorioso comitatu ad se venisse conspexit, & admonita est, ne quid vltra puellari more leuiter siue inconsideratè ageret, die trigesimo inter ipsas quas videbat Virgines ab eadem cœli Regina feliciter admittenda. His visis vitam mutauit, quintoque & vigesimo die in febrim incidit, trigesimo verò eandem beatam virginem cernens, dicere cœpit. Venio, Domina mea, venio, & in hæc verba de corporis carcere exijt. Quo modo hâc vllam mortis molestiam sensisse rear, quæ se non mori sed venire dixit? Aut quare non felicissimam putem, quæ de seculi huius miseria in consortium Dei. Genetricis Mariæ recepta, gaudijs perfrui cępit æternis. *Ibid. c. 17.*

Elizabet vidua.

QVID de Elizabeth illa dicam? quæ longè felicior fuit, quod Regis cœlestis ancilla esset, quàm terreni filia. Hæc ex febri iacens, cùm ad parietem se vertisset, apiculę fortè aduolantis tinnulo cătu admodum delectata, quasi iam Angelos in cœlo, quò mox itura erat, concinentes audiret, & ipsa Deo laudes voce ob languorẽ tenui pressaque succinere cœpit. Læta mortem expectabat, iugiter orabat, & cùm prope se dæmonem vidisset, vt protinus recederet, iussit. Eo fugato, Christum vidit, à quo ad cœlestẽ thalamum inuitata mox ire perrexit, & tunc exanime corpusculum diuinum spirauit odorem, quia in odorem vnguentorum Christi, dum viueret, cucurrit. *Conrad. Contion.*

Exhortat. Roman. 1. Prou. 29. 1. Ioan. 4.

AD istorum igitur exemplum, quos modò commemorauimus, nos componentes, tunc præcipuè cùm à corpore secedendum est, humilitatem seruemus, pœnitentiam agamus, precibus insistamus, fidẽ, spem, charitatem nullo modo in nobis labascere patiamur. Quia ex fide viuit iustus, & Qui sperat in Domino, subleuabitur, & Qui manet

Digitized by Google

manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Ad hæc Sacerdoti, cui ligandi soluendique indulta est potestas, confiteamur delicta nostra. Tum demum peccatorum vinculis expediti, submissius quàm possumus accedamus ad mensam Domini, & salutarem cibum ore sumentes, cordis hospitio suscipiamus Iesum. Hic est enim panis Ioan. 6 verus, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Si quis ex ipso manducauerit non morietur, sed viuet in æternum. Et quoniam maximè cum vitæ finis instat, Leo ille Rugiens modis omnibus ambit nos, vt deuoret, si aperte 1. Petr. 5 se ostenderit, solerti animi circumspectione opus erit, vt deprehendatur. Nam (vt alibi diximus) Angelum lucis interdum malignus assimilat, & callidis inductionibus fidem primùm euertere nititur, vt subruto fundamento, destruat in nobis ædificium virtutum. Idcircò Apostolus: Licet, inquit, aut Angelus de cœlo euangelizet Galat. 1 vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Quamcunque igitur verspellis bestia formam induerit, in quamcunque speciem se verterit, siue Angeli, siue hominis, siue Sancti, siue etiam Christi: in hoc profectò agnosci poterit, si dicto facto ve aliquo ab orthodoxæ fidei veritate per erroris anfractus abducere nos incipiet, si ab humilitate ad inanem gloriam fictis laudationibus erigere tentabit, si veniæ spem terrore iustitiæ opprimere conabitur, si denique mentem nostram terrenarũ fragiliumque rerum recordatione ab earum cogitatu, quæ cœlestes & æternæ sunt, auocare atque auertere molietur. Tu igitur, qui ex fructibus malis malam arborem iã nosse poteris, vbi patuerint insidiæ, protinus exclama: Psal. 118 Discedite à me maligni, & ego scrutabor mandata Dei mei. Tum demum ad Saluatorem mente, ore, oculisque conuersus, illum contemplare, illum ora, illi te committe, totumque trade, & dic: In manus tuas, Domine, commẽdo spiritum meum. In ijs verbis frigescentia de- Psal. 30 ficiant labia, & palpitantis pectoris interrupti anhelitus finiantur. In his desinant laboriosa suspiria, ipseque nouissimus exhaustus vitalibus conticescat singultus. Felix illa anima, & plus quàm dici

Digitized by Google

dici queat beata, cui ſupremum vitæ huius diem ſic tandē claudere contigerit.

De Purgatorio, CAP. XI.

AD minores culpas poſt obitum expiandas ignem purgatorium, ſicuti ad maiores perpetuò plectēdas, æternum, & quem gehennam nuncupamus, à Deo conſtitutum eſſe credimus. Idq; puto per Malachiā Prophetam ſignificatum, vbi de Domino loquens, ait: Ipſe enim quaſi ignis conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum. De hoc & ipſe Dominus in Euangelio: Omnis, inquit, igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur, quaſi diceret: Sicuti caro ſalitur, vt corruptibili humore exſiccato dierum multorum vſui apta ſit: ita qui purgatorio igne ſalitus fuerit, aptus erit vſui vitæ æternæ. Niſi enim ad purum excocti fuerimus, nunquam ſummæ illi puritati Deo iungi adhærereque poterimus. Neque enim Apoſtolis ipſis licuit partem habere cum Ieſu, niſi pedes lauari ſibi permiſiſſent. Et qui mundus eſt, inquit, non indiget niſi vt pedes lauet: vt ſcilicet mūditiem eius augeat etiam illarum ſordium deterſio, quibus nemo, dum in huius vitæ via eſt, carere poteſt. Sic & agricola ille Euangelicus palmitem quamuis fœcundum purgat, & excolit, vt adhuc fœcundior ſit, & fructus plus reddant. Ita ignis iſte bonos purgando vrendoque efficit meliores. Nemo quippe tam bonus eſt, vt nulla in illo mali labes reſidua ſit. Quis enim ſine peccato, ſi ſepties in die cadat iuſtus? Eſſe verò ignem, qui fideles animas vrendo purificet, ex Domini verbis colligitur, dicentis: Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Qui grauiſſimum crimen in futuro ſeculo irremiſſibile dixit, nōne dedit intelligi, leuiora ibidem remitti poſſe? Quòd ſi nullum illic remitteretur peccatū, de hoc quoq; quod non remittatur, ſimpliciter abſoluteque dixiſſet, neque ſecula diſtinxiſſet. Diſtinxit autem, quia ſciebat eſſe

Malac.3.

Marc.9.

Ioan.13.

Ioan.15.

Prou.24.

Matt.12.

quaſ-

Digitized by Google

quasdam in homine maculas peccatorum, quæ si in præsenti seculo conuenienti castigatione penitus dilutæ nõ fuerint, dilui debeant in futuro: vtique in carcere illo, de quo non exitur, donec redditus fuerit nouissimus quadrans qui debetur: non in illo, in quo neque soluendi debiti facultas vlla est, neq; exeundi potestas. Huic quidẽ sententiæ etiam Apostolus adstipulatur, dicens: Vniuscuiusque opus quale fuerit, ignis probabit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quis est iste, quæso, cuius opus ardet, & detrimentum patitur, & tamen ipse saluus erit per ignem? Non ille, qui supra fidei fundamentum imponit aurum, argentum, lapides pretiosos, id est, meras defecatasque virtutes: non etiam qui ferrum, æs, plumbũ, hoc est, delicta grauiora? quis ergo? quis, nisi qui superextruit ligna, fœnum, stipulam? quæ quidem leuia tantò leuiora fiunt, quantò magis exuruntur. Et si secus res se habent, dicant assertionis nostræ calumniatores, vbi illos collocabunt, qui statim vt conuersi confessique fuerint, vita decedunt? Damnari non merentur, quia doluerunt se peccasse: absolui non debent, quia nondum iusto dolore satisfecerunt. Neque enim implere illis per mortem licuit, quod à Sacerdote pœnæ nomine iniunctum fuerat. Quia ergo iustitiæ ratio exigit, vt nullum prorsus crimen relinquatur impunitũ: profectò necesse est, vt aliquis alicubi existat pœnarum locus, in quo puniantur ij, qui ad æterna supplicia delegandi nõ sunt, sed potiùs temporalibus purgandi, vt expurgati eo demum regno digni euadant, in quod nihil intrabit coinquinatum, & in quo intrantes gaudeãt & dicant: Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Veritas ista ne in obscuro lateret, quorundam defunctorum manifestis apparitionibus illustrata est, perspicatiusque patet, quàm vt argumentis ad se probandam indigeat. Ne qua igitur huiusce rei in cuiuspiam animo residere possit ambiguitas, ea nunc miracula in medium proferre operæpretium erit.

1. Cor. 3.

Aduerte hæc hæretici.

Apoc. 21.

Psal. 65.

Digitized by Google

Tres viri per B. Hieron. à morte resuscitati

IN ea Epistola, quàm Cyrillus Ieroſolymitanus Episcopus de ſignis D. Hieronymi poſt obitum factis ad Auguſtinum ſcribit, legimus per id tempus hæreſim quandam inſurrexiſſe, quæ diceret, defunctorum animas nec beatitudinem nec pœnam ſentire, donec communis Reſurrectionis die ſuis iungantur corporibus, hoc cum ipſis vnà meſſuræ, quod ſimul ſeminarunt: Purgatoriũ quoque poſt mortem nullum eſſe. Cumq; falſitatis huius peſtifera malignitas inualeſcere cœpiſſet, iamque altiùs multorum animis hæreret, quàm vt verbis euelli poſſet, Hieronymus Euſebio apparens, iuſſit ſaccum ſuum, quo pro indumento vſus fuerat, trium virorum cadaueribus (qui ea nocte obierant) imponi, vt vitæ redditi docerent, quanto errore teneretur, qui talia aſſererent. Reſuſcitati ergo, coram omnibus, qui ad Eccleſiam, vt hoc miraculum viderent, magno cœtu conuenerant, confitebantur, & beatorum præſentem gloriam, & damnatorum pœnã, & eorum qui minùs plenè pœnitentiam peregiſſent, purgamentum Per quæ omnia, vt viuis teſtari poſſent, à beato Hieron. ſe circumductos, & ſic ad vitam redire iuſſos affirmabant, rurſum die vigeſimo vnà cum Euſebio eius diſcipulo deceſſuros, & cum eodem (ſi modò æqualẽ interim delictis pœnitentiam egerint) vitæ æternæ præmia conſecuturos. Itaque tanto tamque euidenti miraculo exploſa & exibilata Hæreticorum ſententia eſt, atque illi qui paulò antè ſubmerſi fuerant, ſtatim reſipiſcẽtes, Catholicam amplexi ſunt fidem: cùm præſertim eos, qui à morte ſurrexerant, pœnarum recordatione indefinenter atque inconſolabiliter flere lamentariq; viderent; ac tandem qua prædixerant die, Euſebio morientẽ, & ipſos iterum mori, vt etiam eiuſce rei euentu magis conſtaret, quam vera eſſent ea, quæ per illos dicta fuerãt. *Inter Epiſt. Aug. Epiſt. 206. cap. 2.*

Hæc antiquæ hæreſis, nunc recens renata eſt.

Elias Eremita.

ADHAEC Elias quidam in deſerto AEgypti Solitarius, multæ ſanctitudinis vir, & quondam beato Hieronymo familiariter vſus, in quiete vidit (ſicuti idem Cyrillus teſtatur) animam cuiuſdam Epiſcopi Anconitani, cum ante diuinæ Maieſtatis Tribunal ſiſteretur, ob vitæ luxum

Digitized by Google

luxum atque delitias ad æternam pœnam destinari, animam verò Theodosij Senatoris, quòd beatum Hieronymum magno semper honore coluisset, ad Purgatorij tormenta deducendam decerni. Cumque diem signasset, quo ista viderat, comperit eodem ipsos ambos fuisse vita defunctos, & credidit vera esse quæ sibi per somnium apparuerant. Ex hoc præterea liquet, quantum expediat cœlestis regni ciues perfanctè venerari, cùm sæpe contingat, vt ipsis opitulantibus ij, qui ad infernum corruissent, infernum Purgatorio commutent, & de futura beatitudine consequenda certi fiant. *Ibid. c.* 24.

HI autem eo facilius maturiusque purgari possunt, quo magis viuorum precibus, ieiunijs, eleemosynis, peregrinationibus iuuantur. Pascasius Apostolicæ Curiæ Diaconus, pietate erga Deum & homines præstans, (vt à Gregorio traditum est) nisi quòd contra Simmachum, iã omnium suffragijs Maximo Pontificatu dignum iudicatum, pertinaciùs quam fas erat, pro Laurentio, quem ipse digniorem censuerat fieri. Cùm itaque hanc culpã post mortem lueret, a Germano Capuano Episcopo in Angulanis thermis opera serui fungens intentus est. Qui Germanus vt causam didicit abijt, & per dies aliquot pro illo supplicationes fecit, sicuti ipse rogauerat, atque eodẽ rediens, liberatum onere illo cognouit, quem iam ibi nõ comparere animaduertit. Hoc est illud quod Ioannes Apostolus præcipit, dicens: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. *Greg. Dial. lib. 4. cap. 14.* *Pascasius Diaconus.* *1. Ioan. 5.*

PRESBYTER quidam Centumcellis, cùm ad balnea lauatum venisset, & homini, qui ibi sæpè illi operam lauandi gratuitam præstiterat, panes aliquot muneri obtulisset: accepit, ipsum eis non indigere. Loci enim illius, olim dominum fuisse, & post mortem ibidem angustiari noxæ cuiusdam expiandæ causa, piaculique soluendi, verùntamen multum profore ei, si ipse panem consecratũ Deo offerendo pro illo oret. Quamobrem Presbyter sacram Hostiam obtulit, Deum precatus est, ad balnea redijt, sed non inuento homine, à pœna liberatum intel-

Digitized by Google

intellexit. Agnus igitur, qui immolatus abstulit peccata mundi, & eorum peccata, qui in Purgatorio sunt, si pro illis offeratur, aufert; ita vt multo citiùs à debito soluãtur, quàm soluerentur. *Ibid. cap. 55.*

Iustus Monach. HOC idem sequenti quoque exemplo astruere possumus. Dum enim beatus Gregorius Pontifex (vt ipse in Dialogo suo refert) Abbatis adhuc munus obiret: quidã inter Monachos nomine Iustus grauiter ægrotans, & iã morti proximus fratri suo seculari Copioso indicauit sibi tres aureos nummos esse, quod nemo alius nosset. Cùm tamen ea res percrebuisset, Abbas indignans iussit, ne quis Monachorum Iustum monasticæ legis violatorem adire, neue cum eo vllum miscere verbum præsumeret. Id ille per ipsum, qui sibi assistebat, Copiosum fratrem resciens, considerauit secum quantum ea re flagitij commisisset, & vt par erat, magis doluit, quòd Deo peccauerat, quàm quod ab hominibus deprehensus esset. Vbi autem vita elapsus est, corpus eius in sterquilinio sepelierunt, cum aureis illis quos reliquerat, dicentes: *Actor. 3.* Pecunia tua tecum sit in perditionem. Hoc clarè ad reliquorum terrorem actum: illud occultè, vt scilicet prætiosus monasterij Præpositus per dies triginta quotidiè pro iniustitia Iusti offerret Dominicũ sacrificium. Postea tandem Iustus Copioso noctu apparens: Hactenus, inquit, in tormentis fui, nunc demum sacra Communione percepta, ab ijs me expeditum certò scias. Nemo præter Abbatem nouerat, pro quo Pretiosus quotidiè rem diuinam faceret, sed vbi visio Copiosi vulgata est, & ipsi palàm fecere, eum iam trigesimum diem esse Sacrificiorum pro Iusto actorum, propterea quæ illum à Purgatorio erutum cœloque illatum. O quanta hæc Missalis Hostiæ virtus, & præter hanc quam prudens pijssimi Abbatis erga suos cura? Sic delinquentem puniuit, vt & ipsi prodesset ad salutem, & cæteris ad exemplum. *Ibidem.*

Odilo Abbas. ODILONI Abbati Cluniacensi Vgo, qui vitam eius conscripsit, diuinitus reuelatum tradit, supplicationes pro defunctis die proximo post Festum omnium Sanctorum ab Ecclesia fieri oportere. Idque ipse primus obseruauit,

Digitized by Google

uauit, deinde obseruandum vniuersa recepit Ecclesia: Et quisnam tam temerariæ perfidiæ est, vt negare audeat, post mortem expiationi locum? *Surius Tomo 3.*

DECIMVS Benedictus Pontifex Maximus cùm mortem obijsset, Ioanni Portuensi Episcopo apparens, confessus est se Odilonis Abbatis precibus ab æternæ mortis periculo seruatum. Se autem ideò tunc ei apparuisse, vt ipse eundem Abbatem rogatum iret, ne sibi in flammis Purgatorij ardenti subtraheret auxilium, quod ferre adhuc in corpore viuenti consueuerat. Hoc nuntio sibi ellato Abbas, & ipse suppliciter pro illo orauit, & omnibus qui cum ipso erant Monachis, vt itidem facerent, iniunxit. Haud ita multo post Benedictus totus lucidus ac refulgens apparuit Eldeberto Monacho, seque à Purgatorio ad beatitudinem translatum dixit, Odilone ac Monachis pro se deprecantibus. Deinde & ipsi Odiloni, sub eadem forma se ostendens, gratias egit, eo quòd tam grande beneficium per eum potissimè accepisset. Non frustra igitur pro fidelibus defunctis orat Ecclesia, non incassum solennem pro eis instituit supplicationem, statutaque Sacrificia. Quam quidem rem nequaquam faceret, si nullum esset post mortem Purgatorium. *Benedict. Papa.*

HOC etiam ante Euangelium sub Lege factitatum esse Machabæorum historia testatur, de Iudæ Israelitarum ducis erga eos pietate, qui in bello desiderati fuerant, sic loquens: Fortissimus Iudas facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium; benè & religiosè de Resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis: Et quia considerabat, quòd ij, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur. Sic soluti vox illa in Psalmo ad Deum est: Misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam, ex inferno inferiori. *Iudæ Machabæi. 2. Mac. 12.* *Psal. 85.*

Digitized by Google

Eccl. 7. PRAETER hæc etiam in Ecclesiastico quod scriptum est: Mortuo non prohibeas gratiam. Quis mortuo prohibet gratiam, nisi qui illum in Purgatorio pœnas luentem cum iuuare possit, negligit? Tale est & illud eiusdem libri præceptis interseritum: In requie mortui requiescere fac memoriam eius. Quę alia memoria in requie, hoc est, in morte mortui potest requiescere, nisi quæ officio constat pietatis? id est, quando ij qui supersunt, pro eo qui defunctus est orant, ieiunant, & in paupere Christum pascunt? Alia verò quæuis memoria non requiescit super mortuum, sed potiùs in ventos dilapsa euanescit. Quid enim conferunt animæ, vel dum effertur funus ardentes cæreiue vel dum conditur cadauer, dealbata sepulchra? Viuorum ista solatia sunt, non suffragia mortuorum.

Quã magna Purgatorij pœna. Gregorius Papa.

QVAM graues autem quamque acerbæ Purgatorij pœnæ sint illo celebri Gregorij Pontificis exemplo satis constat. Quoniam (vt aiunt) cùm sibi in pœnam piæ cuiusdam temeritatis, vel potiùs temerariæ pietatis, quòd pro Traiano orauerat, optio per Angelum à Deo offerretur; maluit hîc omnibus diebus vitæ suæ, vario ac multiplici languorum genere affici, quàm per biduum in Purgatorio cruciari. *In vita Gregorij liber secundus, cap. 44.*

Ratio.

HVIVS cruciatus grauitatem nó mediocrem, sed propè maximam esse, etiá ratione argumentisq; probari posse videtur. Quippe exuto corpore quod aggrauat, purior fit in anima intellectus. Vnde in Psalmo dicitur: Anima mea cognoscet nimis. Quanto autem quis Deum magis intelligit, tantò magis appetit. Hic verò appetitus ex certitudine quoque spei capit passionis incrementum. Auidiùs enim bonum illud quisque appetere solet, quod se minùs dubitat affecturum, ideoque ex dilatione rei magis appetitæ, magis animo torquetur. Hinc est illud Prophetæ: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.

Psal. 138.

Psal. 83.

Ratio.

DOLET præterea qui in Purgatorio est, quod dum viueret, non hic potius voluntaria pœnæ exactione pro reatu satisfecerit, cùm multo leuiore cruciatu id effici potuisset. Etenim debitum quod sponte redditur, pluris æ-

Digitized by Google

sti-

æstimat Deus, quàm quod ab inuito iustè extorquetur. In hoc obseruatio æquitatis est, in illo remissionis meritũ, vt pauca etiam libenter soluenti, multa condonentur. His igitur intimis animæ angoribus extrinsecros adde, ardorem vtique illum, quo omnis delictorum scoria ita penitus excoqui debet, vt ad nihilum redigatur, & nulla prorsus culpæ nota, nullum vitij vestigiũ in anima, quod non deletum absterſumque fuerit, relinquatur. *Ignis.*

CAETERVM tametsi pœna vehementissima sit, in eo tamen consolatur qui patitur, quòd iam de adipiscenda immortalitatis gloria nihil dubitat, nec si posset, ad vitã hanc redire veller, malens illic torqueri cum certi tanti boni cõsequendi expectatione, quàm hic delicijs affluere cum periculo amittendi. Quod quidem bonum qui peccando amittit, supplicijs mancipatur æternis, vt non solùm non beatus sit, sed etiam infelicissimus ac suprà quàm quisquam dicere potest miser. Is ergo qui in Purgatorio affligitur, afflictiones suas gaudio quandoque futuro compensat. Flammis quidem torretur, desiderioque afficitur, sed videt has omnes inquietudines, omnemque laborem, ad illum finem indeclinabiliter tendere, in quo sempiternæ quietis initium est, & inter acerrimos dolores quos tolerat, contentatur ipsa dolorum conditione. Ac veluti lucri auidus negotiator, qui naui merces vehit, ventorum turbinem sustinet, procellarumque & aeris intemperiem tolerat, fluctibus iactatur, sentinæ fœtore torquetur, nausea contabescit, & commotis intestinis, algenteque stomacho, ipsa penè viscera euomit & eructat, & tamen grandem facturus quæstum, omnia turbulentæ nauigationis fastidia æquo animo fert: sic se habet, qui Purgatorio igne carpitur, præsentes enim pœnas futuræ beatitudinis lucro sustentat, & supplicia patiendo gaudet magis quàm tristatur, seque ipsum erigens: Quare, inquit, tristis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: Salutare vultus mei. & Deus meus. Et ad Dominum cõuersus deprecatur: Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec *Consolatio eorum qui purgãtur.* *Psal. 41.* *Psal. 141.*

Digitized by Google

retribuas mihi. Nobis ergo in primis enitendum erit, vt hic potiùs quæque etiam minima expurgemus pietatis officijs, corporisque labore, ne vel biduum illud, quod sanctissimus Pontifex tantoperè exhorruisse dicitur, in Purgatorio peragamus. Deinde si hoc difficile factu videtur, saltem caueamus, ne illis pœnis obnoxij simus, quarum nullus finis est, nulla requies, nullum leuamen, quas denique cogitare, nedum pati, pœna est.

LIBER SEXTVS.

De Signis vltimi Iudicij.

CAP. I.

MVLTO maxima cũ solicitudine hoc cauebimus, si pensitauerimus diuini illius Iudicij terrores, omniumque formidabilium magis expauescendum diem. Igitur cùm plurimũ nobis ea res conducat, peroportunum videtur, vt hoc vltimo volumine de ipso vltimo Domini Iudicio pertractemus. Et primùm de signis quę præcessura sunt, deinde de Antichristo, de Christo, de regno Christi, de damnatorum pœna, de iustorum gloria, & si qua alia interim occurrent non ab ijs aliena, neque memoratu indigna.

SIGNA ergo quæ antè euentura prædicantur, & quæ multi aliqua ex parte iam euenisse affirmant, horroris & iræ plena sunt: & si talia signa, quale, quæso, illud & quã terribile, quod per ea fuerit significatum? Audituri estis (inquit Dominus) prælia & opiniones præliorum. Videte ne turbeminini. Oportet enim hæc fieri; sed nondum statim finis. Magnũ quippè rerum apparatum multo antè fama nuntiare solet, quàm ipse se prodat. Priùs itaque prælia audienda sunt, postea etiãm videnda. Cùm autem supremus iam aduentare dies cœperit, tunc & bella magis sæuient, malaque malis cumulabuntur. Cõsurget, inquit, gens in gentem, & regnum in regnum: neque

Matt. 24.

Digitized by Google

neque id satis. Erunt pestilentiæ, & fames, & terremotus per loca, & terrores de cælo. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Quomodo, Domine, initia dolorum, & non dolores, vbi tot ac tanta mala? vbi hominum odia, opum rapinæ, vrbium excidia, liberorum seruitus, sanguinis sitis, cædes mutuæ? Vbi statim perimens morbus, repentè multas domus vastans lues, & super terram putrescentia humana cadauera, deficientibus qui ea sepeliant? Vbi etiam illos qui gladio, qui pestilentiæ supererunt, torquebit furies, inedia consumet? Vbi postremò & cælum supra verticem fulgurans; & terra sub pedibus tremens, miserorum corda nouo metu concutiens, ita vt hæc iam se dehiscere velle videbitur, vt viuos deglutiat: illud ruere, vt opprimat & elidat. Tetra sanè omnia ista & terrifica nimis, & tamen penè nihil ad ea quæ secutura sunt. Pleraque enim talia iam & ante nos & nostra ætate contigere. Nouimus Italiam intestino bello sæpe afflictam, peregrino vastatam. Audiuimus Hispaniam, Galliam, Germaniam, Britanniam, inter se frequenter concurrisse, Pannonios quoque cum vicinis gentibus cruenta bella assiduè gerere. Scimus Bythiniam, Asiam, Syriam, Græciam, Macedoniam, Mysiam, plurimas denique Christianorum Prouincias à Barbaris natonibus aut vi, aut deditione occupatas. Non ignoramus pestilentiam crebrò in populos famemque sæuisse. Ad hæc cometas in cælo crine sanguineo lugubre minantes, facesque & bolidas, & ignitas trabes longo admodum tractu sed celerrimo aëra transuolantes, & multa id genus ostenta interdum apparuisse: Terræ quoque vibratione magnas ædificiorum moles funditus conuulsas procubuisse. At verò de hac, quam futuram expectamus, ærumna dicitur: Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, nec fiet. Et nisi, inquit, breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi. Hîc ergo dolores, hîc gemitus, hîc meræ iam angustiæ, illic initia tantùm dolorum. Quamuis enim graue malum, si vni ifti compares, aut leue, aut nullum putabis. Matt. 24.

Digitized by Google

Aduerti te diligenter nostrorum temporū miseriam.

SED iam audi quale hoc malum, quantoque reliquis omnibus plus habeat infelicitatis, diligenter tecum pende. Et multi, inquit, Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Miserum est, ferro, pestilentia, fame perire: sed multo miserius infidelitatis errore, & alicuius hæreseos prauitate, à veritatis Religione deficere. Et quia hîc quidem maius periculum, idcirco Saluator noster, haud parum nostri solicitus, præmonet nos & ait: Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent. O misera vtrorumque conditio, & qui seducent, & qui seducentur! Felices quidem sibi videbuntur ob delicias voluptatesque, & rerum omnium copiam, quæ illis satis superque erunt, & non animaduertent nec recordabuntur, quòd lata via illa, quam ingredientur, via perditionis sit. Quoniam ergo abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum, succedentibus vitijs deficiet virtus. Quid autem infelicius, quàm charitatem amittere, sine qua cætera animi bona nihil sunt? Abundabit iniquitas, quæ iniquitas? Illa planè, de qua Apostolus ad Timotheum scribens, ait: Hoc autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protерui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et quemadmodum Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistent veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Quis locus tunc iustis in tam perditorum hominum cœtu? Quod consortium pijs cum infidelibus? Quæ bonorum quies esse poterit, vbi improbissimi homines terram cælumque per licentiam conturbabunt? Sed non diu feret tantam nequitiam Deus, ideo breuiabit dies, vt inuocantibus adsit, & peruersitate malorum irritatus, maturabit Iudicium suum. Hinc Oseæ Propheta vociferatur & clamat: Audite verbum Domini, filij Israel, quia

Matth. 7.

Matt. 24.

2. Tim. 3.

Oseæ 4.

Digitized by Google

quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli, sed & pisces maris congregabuntur. Hoc ergo propter sceleſtos, & qui terrenarum rerum cupiditatibus capti, cælestia contemnere. Porrò propter iustos non solùm dies breuiabuntur, sed etiam ne interim vel hominum improbitate, vel diaboli supplantationibus, euertantur, Enoch & Eliam mittet eis clemens & misericors Dominus. Et illi quidem alios iam lapsos pijs exhortationibus erigent, alios ne labantur confirmabunt. Sic quippe de ipsis in Apocalypsi scriptum est: Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia in conspectu Domini terræ stantes, & si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum, & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus Prophetiæ illorum, & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint. Per Enoch & Eliam alios quoque fideles verbi Dei prædicatores intelligimus, qui orbem peragrantes, consulent credentium saluti, dicente Domino: Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio, id est, seculi finis. Quòd autem Elias venturus sit, etiam in Matthæo testatur Dominus, dicens: Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Quid est, restituet omnia, nisi quia tunc & ipsi conuertendi sunt, qui occidentem Legis literam adhuc sequuntur? Sic enim in Malachia legimus: Ecce ego mittã vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Tunc igitur & Ieremiæ impletũ erit vaticinium dicentis:

Enoch & Elias.

Apoc. 11.

Matt. 24.

Matth. 17.

Malac. 4.

In die-

Digitized by Google

Ieremi.33. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Quanto autem tempore durabit prædicatio hæc, & quibus miraculis proficiet, superiùs expressum est. Posthæc verò Antichristi aduersus Ecclesiam furere incipiet persecutio, de qua non sine vehementi animi dolore nunc nobis restat dicendum.

De Antichristi persecutione. CAP. II.

TETERRIMAM bestiam, omni immanitate atrociorem Antichristum, ab aquilonis finibus venturum autumant, iuxta illud Ieremiæ: Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ. A Tribu verò Dan oriturum, ex eo quod Iacob ad filios Gen. 49. prophetante dicitur: Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Antichristus enim partim doli veneno, vt coluber, partim potestatis cornu, vt cerastes, eos inuadet, quos per viam veritatis, & semitam iustitiæ ire viderit. Cùm itaque Enoch & Eliæ prædicatio per vniuersum terrarum orbem vulgata fuerit, tunc Satanę filius prodere se, & aduersus eos inualescere incipiet. Sic enim in Apocalypsi Apoc. 11. legimus: Et cùm finierint testimonium suum, Enoch scilicet & Elias, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritaliter, Sodoma & AEgyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est. Iacebunt quippe Catholicorum fidelium corpora in plateis, quoniam pro veritatis religione mori præoptabunt, quàm in infidelitate viuere. O gloriosa martyria! iacebitis quidem in plateis, sed habitabitis in cælo. Pro Christo cadetis, sed cum Christo regnabitis. Sanguis vester super terram effundetur, sed spiritus vester supra cælum requiescet. Pro breui supplicio gloriam capietis æternam. Non vos fraudis laqueis irretire poterit inimicus, quia in Christo credentibus astutia non deerit ad cauendum, non furoris immanitate terrere, quia non timebitis illum, qui tantum corpus potest occidere,

Digitized by Google

dere, sed eum potiùs, qui corpus & animam potest mittere in gehennam. Quantò terribilior erit hostis, tantò patientia vestra fortior, & gloria insignior, & remuneratio maior. De illo simul ac de vobis per Ieremiam prophetatum: Ecce afflictio egredietur de gente in gentem, & turbo magnus egredietur à summitatibus terræ, & erunt interfecti Domini in die illa à summo terræ vsque ad summum eius, non plangentur, & non colligentur, & non sepelientur, in sterquilinio super faciem terræ iacebunt. Diuina enim permissione fiet, vt diabolus contra Ecclesiam sæuiendi potestatem accipiat. Oportet ergo illum, quem Christus nunc vinctum tenet, nouissimo tempore dies aliquot solui ac dimitti. Quod Ioannes in Apocalypsi cernens ac dolens, clamat: Væ terræ ac mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet. Et idem rursum ait: Soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, & congregabit eas in prælium, quorum numerus est sicut arena maris, & ascenderunt super latitudinem terræ, & circumierunt castra Sanctorum & ciuitatem dilectam. Ciuitas dilecta, vel Ierusalem, vel Ecclesia Dei est. In eam impetum faciet hic diaboli filius, & illorum multitudine quos decipiet, eos opprimere molietur, quos decipere non poterit. Ad hæc etiam, ô facinus indignum! ista desolationis abominatio in Templum Dei irrumpens, omnia sancta prophanabit, & in medio sedens Deum se & Christum impudenter improbeque mentietur, mittet malignitatis suæ satellites per prouincias & loca qui dicant: Ecce iam venit Christus, Venite ad adorandum illum. Quam futuram fallaciam præsciens Dominus, cauere nos iubet, dum ait: Si quis vobis dixerit: Ecce, hîc est Christus, aut illic, nolite credere. Si dixerint vobis: Ecce, in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. Cur ita? quia non talis aduentus Filij Dei erit, qualis filij diaboli. Qualis aduentus filij diaboli? in deserto cum bestijs, in penetralibus cum facinorosis turpique luxuriæ deditis hominibus. Qualis filij Dei?

Ierem. 25.

Apoc. 12.

Ibid. 20.

Matt. 24.

Matt. 10.

Sicut

Digitized by Google

Sicut fulgur exiens ab Oriente, & apparens vsque in Occidentem. Illius ab aquilone, huius è cælo: illius locorum interuallis latens, huius in aëre omnibus æquè manifestus: illius in tenebris, huius in luce. Hoc plenius postea monstrabimus, nunc interim pessimi omnium tyranni audaciam, arrogantiam, impietatem, astum, vim, atque potentiam, vt cœpimus, prosequamur.

Dan. 8. DANIEL Propheta cùm visionem de quorundam regum futuro euentu vidisset, sic demum de Antichristi regno sibi dictum audiuit. Post regnum eorum, cùm creuerint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis, & supra quam credi potest, vniuersa vastabit; & prosperabitur, & faciet, & interficiet robustos, & populum sanctorum secundùm voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius, & cor suum magnificabit, & in copia rerum occidet plurimos, & contra Principem principum consurget. Quòd ait, roborabitur fortitudo eius, facturum signa & prodigia significauit, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam iusti: & hoc non in viribus suis, sed dæmonis, cuius instigatione agitatus ad tantam prorumpet temeritatem, vt sui oblitus Deum se reputabit, & contra Christum consurget, &

Matt. 24. Ecclesiam vastabit, & superbiæ spiritu inflatus, diuina omnia prophanabit, polluet, contemnet, ac tantùm Satanam illum, cuius consilijs opeque nitetur, colet. Nam ali-

Dan. 11. bi etiam in Daniele scriptum est: Et faciet iuxta voluntatem suam rex, & eleuabitur & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia. Tum ne quid impuritati spurcitiæque eius desit: Et erit, inquit, in concupiscentijs fœminarum, præterea nec quenquam Deorũ curabit, quia aduersum vniuersa consurget. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur, & Deum quem ignorauerunt patres eius colet, auro & argento & lapide pretioso, rebusque pretiosis. Vide hominis dementiam, dæmonio supplicat, dæmonium veneratur, & se ab hominibus pro Deo vult coli haberique. Quasi verò non ser-

nus dia-

Digitized by Google

uus diaboli sit, qui ei ancillatur, sed Dominus & Deus. Rursum idem Propheta impietatem eius audaciamq; designans, etiam quamdiu regnaturus sit, declarat: Sermones, inquit, contra excelsum loquetur, & Sanctos altissimi cõteret, & putabit quòd possit mutare tempora & leges, & tradentur in manus eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis, hoc est, vsque ad annos tres cum dimidio. Hanc temporis præscriptionem Apocalypsis apertè indicat, vbi dicitur: Et ciuitatem sanctam, hoc est, Ecclesiam conculcabunt mensibus quadraginta duobus. Adhęc quidam opinantur, ipsum vt se Deum probet, cùm post tridui latebram rursum apparuerit, mortuũ se fuisse, & resurrexisse simulaturum, ex eo quòd in Apocalypsi scribitur: Et vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortẽ, & plaga mortis eius curata est. Hinc etiam dicunt, quòd finget se cælum velle conscendere, atque à malis spiritibus in aëra feretur, eoq; modo plaga mortis eius curabitur, quia scilicet illi quibus illudet, verè mortuum & resuscitatum fuisse credent, quem in cælum quoque sublimem ire conspicient, vnde sequitur: Et admirata est vniuersa terra post bestiam, & adorauerunt draconem qui dedit potestatem bestiæ, & adorauerũt bestiam, dicẽtes: Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea? Sed bene illi qui draconem & bestiam adorant, terra idicuntur. Terrena enim sapient, nescientes quia Christus am non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur. Qui verò posthac mori & resurgere simulabit, Christum se esse asserens, non Christus, sed Antichristus erit.

Idem 7c.

Apoc. 11.

Apoc.

Rom. 6.

INTEREA verò dum dira agetur persecutio, dum Christianorum passim innoxius effundetur cruor, dum vastans omnia prophanorum rabies debacchabitur, dum denique Conditor omnium Deus ore sacrilego vbique blasphemabitur, indignabuntur elementa, & verso naturæ ordine, Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum, stellæ cadent, terra quassabitur, commotis mare fluctibus rugiet. Et, proh scelus, tam trepida rerum facies non commouebit impios, vt ab impietate sua desistant. Erunt signa (inquit Dominus) in Sole, & Luna, & stellis,

Luca 21.

Digitized by Google

stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Putabunt maligni hanc se pressuram pati, quia nondum satis vlti sunt illos qui Antichristum recipere noluerunt, & ob id magis magisque increscent, dum cædendo eos
Ioan. 16. arbitrabuntur obsequium se præstare Deo. Ita de errore in errorem prolapsi, grauius postea diuinæ vindictæ ferent supplicium. De signis autem his etiam veteres Prophetæ itidem locuti sunt, non alio afflati spiritu, quàm illi qui Euangelia scripsêre. Isaias: Stellæ, inquit, cæli &
Isaiæ 13. splendor earum non expandet lumen suum, obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine
Ierem. 10. suo. Ieremias ait: Ipse Deus viuens & rex sempiternus, ab indignatione eius commouebitur terra, & non sustine-
Ioel. 2. bunt gentes comminationem eius. Et Ioel Propheta: A facie eius, inquit, contremuit terra, moti sunt cæli, Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et iterum: Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Hinc iam Satanæ artificia deficere, prodigia cessare, vires languescere, animi concidere incipient, & sicut maleficorum Pharaonis virtus in faciendis miraculis per Moysen & Aaron superata succubuit, ita tunc omnis vis diaboli & Antichristi & Pseudoprophetarum indies deperiens contabescet. Etenim post Sanctorum cædem super omnes repentinus irruet pauor, & antè illos flagitiorum suorum torquebit conscientia, quàm vl-
Ierem. 4. tio consumet diuina. Ac sicut Ieremias ait: Erit in die illa, dicit Dominus, peribit cor Regis, & cor Principum, & obstupescent Sacerdotes, & Prophetæ consternabuntur.

Posthæc Elias & Enoch, ab Antichristo interempti, ex diuina virtute resurgent viui; vt fideles, qui residui erunt, in spe Resurrectionis mox futuræ corroborentur.
Apoc. 11. Legitur enim de ipsis in Apocalypsi: Et post dies tres & dimidium spiritus vitæ à Deo intrauit in eos, & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui vide-

Digitized by Google

viderunt eos, & audierunt vocem magnam de cælo dicentem eis: Ascendite huc, & ascenderunt in cælum nube, & viderunt illos inimici eorum, & in illa hora factus est terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit, & occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia, & reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cęli. Terrentur iniqui qui terruerant, & magna pars ipsorum Ecclesiæ sanctæ persecutorum concussis terræmotu ædificijs ruina oppressi sunt, vt Dauidicum illud impleatur: Confundantur, & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euelletur exaruit. Arescent quippe illi partim domorum casu elisi, partim pauore perculsi, qui dudum se tutos putabant, & qui innocentum sanguine manus fœdauerant, cadente super eos Ecclesiæ lapide, conterentur. Iusti verò videntes tot terribilia in cælo, & in terra, & in mari, fortasse & ipsi expauefacti contremiscent; sed tamen manibus in cælum sublatis gloriam Deo dabunt, neque spes eos destituet futuri regni quam semper habuerunt, quem inter tot læuientes persecutionum procellas integram inuiolatamque seruauerunt, nunquam à fide desciscentes, vt vsque in finem perseuerando salui fierent. Timebunt quidem horrendum iudicij diem iam instare cernentes. Sed memoria repetent, Dominum sibi in Euangelio dixisse: His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquabit redemptio vestra. Et in Ioele Propheta: Eum qui ab Aquilone est, procul faciam à vobis, & expellam eum in terram inuiam & desertam. Qui ergo adhuc reliqui cum Antichristo erunt, limphatico quodam furore acti, veluti dementes discurrent, ac præ horrore circumspectantes latebram quærent, & non inuenient, iam liquidò cernentes, ad scelerum suorum vindictam elementa conspirasse, & creaturas pariter omnes contrà Creatoris aduersarios iusta indignatione esse commotas. Vnde ad eos Isaias: Vlulate, inquit, quia propè est dies Domini, quia vastitas à Domino veniet: propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis tabescet &

Psalm. 128.

Luc. 21.

Ioelis 2.

Isaiæ 13.

Digitized by Google

conteretur, torsiones & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt, vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum. Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius
Ierem.3. conterendos de ea. Et Ieremias ait: Ecce turbo Domini, furor egrediens & procella ruens in capita impiorum conquiescet, non auertet iram indignationis Dominus, donec faciat & compleat cogitationem cordis sui: in nouissimo dierum intelligetis ea. Eadem illis obnuntians
Ioel. 2. Ioel Propheta, ait: Clamate ad Dominum, a, a, a, diei, quia propè est dies Domini, & quasi vastitas à potente veniet.

De die Iudicij incerta. CAP. III.

Marc.13. DE die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater. Sic in Marco legimus. Quod si rectè interpretari voluerimus, dicemus: Ideo Pater scit, quia communicat filio. Ideo Filius nescit, quia nemini reuelat. Non autem putemus aliquid latere Filium quod nouit Pater, aut quicquam minus esse in Filio quàm in Patre, ne in Arrij vel Eunonij hæresim erroremque incidamus, qui Filium Patri negant esse æqualem. Sicut ergo Iudicij & diem & horam ille qui iudicaturus est, sicut & ille qui omne iudicium dedit Filio, & qui cum Filio vnum sunt. Sed ob hoc nos diem hunc ignorare voluit, vt semper verentes ne fortè is crastinus sit, quotidie occurrere illi parati simus. Itaque etiam post Resurrectionem suam de ipso die in-
Actor. 2. terrogantibus Discipulis respondit: Non est vestrûm nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Hinc & Apostolus ad Thessalonicenses scribens
1. Thess. 5. ait: De temporibus autem & momentis, fratres, non indigemus vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Cùm enim dixerint: Pax & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Et vt ostenderet qui sunt, quos repentè venien-

Digitized by Google

nientis opprimet: Vos autem fratres, inquit, non estis in tenebris, vt vos dies ille tanquam fur comprehendat: Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei. Vtique qui in luce sunt, inuigilant virtutibus; qui autem in tenebris, in vitia impingunt, & mentis oculis capti; furem venientem videre nequeunt. His igitur tanquam fur veniet ipse tremendi Iudicij dies, quoniam imparatos offendet. Quamobrem diluuio illum comparans Dominus: Sicut in diebus Noe, inquit, ita erit aduentus Filij hominis. Sicut enim in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noe in Arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis. O miseri & sibimet infensi, qui tanto periculo se expositos agnoscunt, & tamen tanquam nullum sit, negligunt. Comedant, bibant quantum possunt, gulæ ventrique indulgeant, nubant, nubantur, aut etiam (vt faciunt) illicitis libidinibus incumbant; nunquam tantum haurire poterunt voluptatis, vt non pro eo omnes mundi labores, omnes miserias in vita pertulisse mallent, cùm ad eas peruenerint miserias, quarum finis nullus est. Et si tam nequiter viuant, tempus quo iudicandi sint nescientes, fortasse cras aut perendie futurum: quanto nequiùs viuerent, si ad multorum annorum spatium id prorogatum scirent? Vtiliter ergo diem hunc, de quo loquimur, occultum nobis esse Dominus voluit. Diceret enim quispiam, hinc ad annos quinquaginta iudicandus sum: cur non interim otio delicijsque me oblectem; iocis, risibusque, lusibus non vacem, gaudijs præsentibus non fruar: si tantum temporis ad pœnitendum mihi restat. Itaque dum vitæ spatia secum computaret, cupidinibus frena permitteret. Quamobrem hunc secundi Aduentus Domini diem ne Prophetæ quidem definire potuerunt, cùm cætera omnia definissent: Et erit, inquit Zacharias, dies vna, quæ nota est Domino: addens, quæ nota est Domino, significauit, alijs notam non esse. Danieli quoque de hoc quærenti responsum est: Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones vsque ad

Matt. 24.

Zach. 14.

Dan. 12.

Digitized by Google

præfinitum tempus. Cæterùm quamuis ignoretur quando præfinitum sit, longè tamen esse non potest. Nam in Apocalypsi scriptum est: Ecce venio citò, & merces mea mecum, reddere vnicuique secundùm opera sua. Et ante Apocalypsim Isaias: Vlulate, inquit, quia propè est dies Domini, quia vastitas à Domino veniet. Et iterum. Hæc dicit Dominus: Custodite iudicium & facite iustitiam, quia iuxta est salus mea vt veniat, & iustitia mea vt reueletur. Ioel quoque Propheta ait: Conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia propè est dies tenebrarum & caliginis. Idem & Sophonias affirmat, dicens: Iuxtà est dies Domini magnus, iuxtà est velox nimis. Ante hos etiam Abdias Propheta dixit: Iuxtà est dies Domini super omnes gentes. Et hunc quidem constat prophetare cœpisse anno quinto Ioſaphat regis Iuda, & quarto Achab regis Israel. Ex quo ad hanc vsque diem, qua ista scribimus, computantur duo millia quadringenti triginta septem anni. Quòd si tam multo nobis propior factus sit iudicij dies, quàm illis fuerat, qui tot antè seculis proximum vicinumque denuntiarint, certè nos eundem iam ad ianuam, iam in limine esse, & dicere, & credere possumus. Verùm ne incerta pro certis asserere videamur, concedamus quòd non ita propè sit dies ista, quia mille anni in conspectu Domini tanquam dies vna: dum tamen non negetur quandoque ventura, illam euitare nullo modo possumus, aut viuentibus sese offeret, aut resurgentibus. Quid ergo refert, si antè moriamur, quàm Iudicium fiat, cùm quandocunque futurum est, tales ante Iudicem sistendi simus, quales hinc decedimus? Igitur si mille vel plures adhuc anni restant, vt omnium extremus ille numeretur dies, tunc vnicuique nostrûm adesse putandus est cùm obimus. Alioquin non ad eos pertineret, quibus iam ante mille quadringentos sexaginta sex annos dictum est: Videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit. Et rursum: Nescitis quando Dominus domus veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an manè: ne cùm veniat repentè, inueniat vos dormientes. Et ne ad illos tantùm dictum suspicaremur,

Apoc. 22.
Isaiæ 13.
Idem 50.
Ioelis 2.
Sophon 1.
Abdiæ 1.

Digitized by Google

mur, adiunxit: Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate, hoc est omnibus & qui tunc erant, & qui nunc sunt, & qui postea futuri sunt. Omnibus quippe vigilandum est, quia, Stat sua cuique dies, breue & irreparabile tempus. Omnibus est vitæ. Si breue: cur sic viuimus, tanquam longissimum sit? Si irreparabile, cur ætatem otio conterimus, tanquam ea ignauiter transacta, repuerascere liceat? & non eo concedere necesse sit, vbi & omnis labor irritus est, & omnis dolor perennis? Ecce venio sicut fur, inquit, Dominus: Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius: Vestimenta sua custodit, qui gratiam in Baptismo acceptam integram illibatamque conseruat: qui verò eam vitijs deturpauerit, & sic Sponsi cælestis thalamum intrare præsumpserit, nónne audiet? Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? nónne ligatis manibus & pedibus, proijcietur in tenebras exteriores? Ibi erit fletus & stridor dentium, ibi erit ignis qui nunquam extinguetur, vermis qui nunquam morietur. Illi autem qui vestem hanc, vel sicuti accepit, ita & custodierit impollutam, vel postea maculatam pœnitentiæ lachrymis eluere, & antequam dies iste incertus veniat, mundam puramque reddere curauerit, nónne dicetur? Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui, gaudium perpetuum, gaudium plenum, gaudium quo maius aut melius neque desiderari, neque cogitari potest. Profectò si quem talia & ad bene agendum non mouent, & ad malè non deterrent, stupidior est terra: nam & ipsa contremiscet. Durior est saxis: nam & ea liquescent. Asperior est montibus: nam & ij sicut cera fluent. Tumidior est cælo: nam & illud plicabitur vt liber. Aduenier, aduenier dies Domini, vt fur, & tanquam laqueus implicabit omnes qui sedent super terram, hoc est, qui terrenarum rerum curis inhærent, vt ad contemplanda cælestia nunquam inde diuertant. Hi humanitatem omnem penitus exuentes, & pecudum amplexi naturam, quocunque appetitus fert, eò

Marc.13.

Apoc.16.

Matt.28.

Isaiæ 66.

Matth.25.

Digitized by Google

Psalm. 31. vadunt, non quò ratio suader. Facti sunt sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus: cum bestijs & feris habitatio eorum est, & ex hominibus abiecti cum
Daniel. 4. Nabuchodonosor, fœnum vt bos comedunt: vtinam & cum Nabuchodonosor tandem aliquando resipiscerent, atque ad se redirent, oculosque à terra sublatos in cæ-
Exod. 14. lum erigerent, & non cum Pharaone obdurati, ac semper in omne nefas procliui, præcipitesque mergerentur in profundum. Nos illis relictis, quoniam & ipsi se reliquerunt, ad diem istum subeundum gnauiter accingamur, quem quidem venturum non dubitamus, sed quando veniet nescimus. Vt autem ea quoque parte certus sit, qua incertus est, quotidie ipsum expectemus, quotidie adesse & ceruicibus imminere cogitemus. Non poterit imparatos offendere, quem semper erimus parati suscipere. Hæc hactenus; nunc reliqua propositi nostri prosequentes, qualiter iam Domini & Iudicis nostri è cælo aduentus apparere incipiet, contemplemur.

De apparitione Crucis & Christi, interituque Antichristi. CAP. IV.

Matt. 24. POSTQVAM igitur virtutes cælorum commouebuntur, sicut in Euangelio scriptum est, tunc apparebit signum Filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes Tribus terræ. Si virtutes cælorum tunc commouebuntur, id est, Angelici spiritus, quantus timor, qualis stupor in pectoribus mortalium erit? Si beati Angelorum chori turbationem aliquam patientur; quid tunc acturi sunt multorum flagitiorum conscij peccatores? Apparebit Signum filij hominis, de quo Isaias
Isaiæ 18. ait; Cùm eleuatum fuerit signum in montibus, vide-
Ibid. 20. bitis, & clangorem tubæ audietis. Et iterum: Eleuate signum ad populos, ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ. Hoc illud signum est, quo fideles ipsi signari iubentur, loquente ad Angelum Domino, sicut
Ezech. 6. Ezechiel Propheta testatus est: Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Tau super frontem virorum gementium & dolentium super cunctis abomi-

Digitized by Google

abominationibus quæ fiunt in medio eius. Signum ergo Filij hominis Crux sancta est, quam ante aduentum eius in cælo splendentem conspiciemus, & nisi multum splenderet, Sole iam obtenebrato, conspici non posset. Itaque luce sua visibilis omnibus apparebit. Plangent autem omnes Tribus terræ, quoniam & ipsi fortasse quos non accusabit conscientia, pauebunt. Sed illi præcipuè, qui IESVM quidem crucifixum credentes, minimè tamen ei obsequentes, carnem suam cum concupiscentijs non crucifixerunt, & illi qui, Crucifixum contemptui habentes, de Filio credere noluerunt. Crucisque ignominiam per ludibrium deriserunt, plangent videntes Crucem Domini micare in cælo, quam in terra veluti maledictam abominati sunt. Et cùm maximè venerari debuissent, maximè despicere soliti erant. Plangent & omnes illi, qui adhuc reliqui cum Antichristo erunt Ecclesiæ sanctæ persecutores, & vnà cum ipso conteriti fugam meditabuntur. Sed peribit fuga à potente. Idcirco repenti pauore consternati, in faciem suam ad terram procident, nec ferre conspectum supra se radiantis Crucis poterunt, cuius adoratores à se paulo ante peremptos recordabuntur.

Legãt & aduertãt hæc dilig̃eter, qui nunc signum Crucis ne intueri quidem possunt.

O præclarum regis nostri triumphaleque vexillum! Si eo viso sic formidabunt inimici, quid facient, cum mox & ipsum Dominum cum virtute magna & Maiestate post illud prodeuntem cernere incipient? Et tunc videbunt, inquit, Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria. Videbunt iniqui, quem videre supplicium illis & mors erit. Iam enim ex timore in stuporem versi animis deficient, & tandem Spiritu oris eius percussi, crudeles animas cum diris gemitibus ingentique cruciatu exhalabunt. Siquidem dici non potest, quàm horrendus tunc erit impijs vel solus conspectus Iudicis irati. Egredietur enim Dominus (vt Isaias ait) de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltrà interfectos suos. Et rursum idem: Ecce, inquit, nomen

Signum Crucis vexillum Christi est, & nunc & in iudicio futuro.

Marc. 13.

Isaiæ 26.

Idem 30.

Digitized by Google

Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum: labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans, Spiritus eius veluti torrens inundans vsque ad medium colli, ad perdendas Gentes in nihilum, & frænum erroris quod erat in ma-
Apoc. 1. xillis populorum. In Apocalypsi quoque legitur: Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes Tribus terræ: etiam, Amen. Igitur terribili minacique facie ad nefandissimum illum impostorem, bonorumque interemptorem Antichristum, & impietatis eius ministros
Isaiæ 63. conuersus clamabit, & dicet: Dies vltionis meæ in corde meo, annus retributionis meæ venit. Hunc clamorem
Ioelis 2. præuidens Ioel Propheta admiratur, & ait: Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius. Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, &
Apoc. 19. quis sustinebit eum? Vox ista gladius ille est, quem Ioannes in Apocalypsi vidit ex vtraque parte acutum procedere de ore fidelis & veracis, vt in ipso percutiat gentes.
Iob 19. Et de quo Iob ait: Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum est gladius, & scitote esse iudicium. Hoc ergo gladio, id est, hoc Spiritu oris sui, Dominus IESVS transuerberabit impijssimum tyrannum, & eos qui illum secuti fuerint simul delebit, dicente Isaia Prophe-
Isaiæ 27. ta: In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi & forti super Leuiathan serpentem veterem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum
Ierem. 46 qui in mari est. Hoc neque Ieremias tacuit, dum ait: Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis suis, deuorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum. Itaque quemadmodum Sol ortu suo fugat noctem, tenebrasque dispescit, sic apparente iustitiæ Sole, perfidiæ nox & erroris tenebræ interibunt. Latè iacebit interfectorum strages, & iusti videbunt vindictam. Id futurũ cecinit Isaias,
Isaiæ 11. dicens: Et percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium, & erit iustitia cingulum

Digitized by Google

gulum lumborum eius,& fides cinctorium renum eius.
Hoc & Apostolus affirmat,cùm ait: Et tunc reuelabitur 2. Thes. 2.
ille iniquus,quem Dominus Iesus interficiet Spiritu o-
ris sui,& destruet illustratione aduentus sui. Non ergo
armis,non virum vi,non veneno perimetur ille nequis-
simus,sed solo Spiritu oris Domini. Et hoc est illud quod Daniel 8.
Daniel de illo prædicens, ait: Contra principem princi-
pum consurget,& sine manu conteretur . Etenim qui in
humilitate veniens , armatorum manum se quærentem
(cùm dixisset,Ego sum)retrò ruere in terram fecit: quo-
modo idem in Maiestate apparens verbo aut spiritu iræ
suæ non posternet malignos? Aut quem mitem aut placi-
dum in monte cum Mose & Elia visum Apostoli aspicere
nequiuerunt,cum resplenduisset:quomodo indignatum
aduersarij sustinere poterunt,innumerabilium cęlestiũ
spirituum exercitu septum , Sole ipso (cum septemplici
luce lucebit)lucidiorem,& iam virtute gloriæ suæ ter-
ram,maria,cœlosque concutientem ? Ambulabunt ergo
(vt Sophonias inquit)veluti cæci,quia Domino peccaue- Sophon. 1.
runt,& effundetur sanguis eorum sicut humus,& corpo-
ra eorum sicut stercora.Sed & argentum eorum non po-
terit liberare eos in die iræ Domini . Quibus ita per Eze- Ezech.38.
chielem minatus est Dominus,dicens : Ecce ego super te
Gog principem capitis Mosoch & Thubal,& circumagã
te,& educam te,& ascendere te faciam de lateribusaqui-
lonis,& adducam te super montes Israel , & percutiam
arcum tuum in manu sinistra tua, & sagittas tuas de ma-
nu dextera tua deijciam . Super montes Israel cades, &
omnia agmina tua,& populi qui sunt tecũ; feris, auibus,
& omni volatili cœli,& bestijs terræ dedi te ad deuorã-
dum.Per Gog Antichristus intelligitur,quia Gog tectum
interpretatur,quæ est pars domus superior,& ipse super
omnes efferet sese , etiam supra Deum tanto superbiæ
spiritu inflatus incederet. Mosoch autem & Thubal filij
fuere Iaphet,& hoc loco designant illas gentes , quæ ab
ipsis originem trahentes,cum Antichristo contra Eccle- Zach. 14.
siam venturæ sunt. Sed de earum plaga Zacharias quoq;
vaticinatur,dicens:Et hæc erit plaga qua percutiet Do-

Digitized by Google

minus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduersus Ierusalem. Tabescit caro vniuscuiusque ſtãtis ſuper pedes ſuos, & oculi eius contabeſcent in foraminibus ſuis, & lingua eorum contabeſcet in ore ſuo. De nece verò Antichriſti, & Principum qui eius factionis erunt, Daniel prophetans ait: Et vidi quoniam interfecta eſt beſtia, & perijſſet corpus eius, & traditum eſſet ad comburendum, aliarum quoque beſtiarum ablata eſt poteſtas, & tempora vitæ conſtituta eſſent eis vſque ad tempus, & tempus. Sicque Eccleſia ſublatis perſecutoribus conquieſcet iam ſecura, niſi fortè tam glorioſum Sponſi ſui aduentum & ipſa ſtupens timebit, donec ab illo euocata introducatur in cellaria ſua, & gaudens dicat: Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.

Daniel. 7.

Cantic. 2.

De horrendo Chriſti ad iudicandum Aduentu, & creaturarum aduerſus peccatorem accuſatione, & igne quo conſumenda ſunt omnia.

CAP. V.

QVAM enim formidabilis atque horrendus Iudicis Chriſti Aduentus, cunctis qui tunc in terra erunt, apparebit, ſed illis præſertim qui damnandi ſunt; quis fando exprimere poſſit? Quia tamen hoc impenſiùs conſiderare plurimum expedit, nos vt poſſumus, adhuc indicare pergemus. Verùm ita ſit, vt non meis verbis, aut humanæ ſapientiæ argumentis quicquam affirmem, ne quis minus credibilia putet quæ audit: ſed diuinarum teſtimonijs vtar Scripturarum, eaque duntaxat aſtruam, quæ veriſſima eſſe nemo niſi qui errat, dubitat. In Pſalmo dicitur. Nubes & caligo in circuitu eius, iuſtitia & iudicium correctio ſedis eius. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit & commota eſt terra. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra. Ignis ergo ſæuiet, terra tremet, montes liqueſcent.

Pſal. 96.

Digitized by Google

quescent. Et quis hominum inter tot terribilia subsistere poterit, nisi cui Dominus manum suam supponet ne cadat? Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi apparebunt? In Sapientiæ libro scriptum est: Et accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem: acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Tot ac talibus armis munito quis resistet? quis à lancea iræ illius satis tutum se putabit? aut quid respondebit is, quem coram Creatore omnis accusabit creatura? Ait enim: Pugnabit cum illo orbis terrarum cõtra insensatos. Videamus quomodo pugnabit. Omnia quippe arguent peccatorem ingratitudinis erga Deum, cùm nihil sit vsquam ab eo conditum, ex quo humano generi non accedat aliquid siue gratiæ, siue honoris, siue vtilitatis. 1. Pet. 4. Sapient. 5.

Arguet ergo illum terra, & dicet: Domine, feciſti me ad hominis huius vsum, & tunc iussu fructus protuli ei quibus vesceretur: Arbores, sub quarum vmbra æstum pluuiasque declinaret; Syluas, ligna, lapides, herbas, odores, flores, succos, vnguenta, linum, byssinum, bombycinum, fericumque suppeditaui, quibus ei ad varium vitæ commodum opus fuerat. Dedi oues, quarum lana vestitus est: boues, quorum labore fruges comedit: equos, mulos, asinos, camelos, qui ipsum & sarcinas ipsius, quò vellet, ferrent. Dedi omnis generis animalia, quorum lacte, butyro, caseo, carne nutriretur, & quorum pellibus tectus, frigora ridere posset. Dedi æs, ferrum, plumbum, argentum, electrum, aurum, gemmas. Et ipse pro omnibus his non obediuit tibi. TERRA.

Arguet illum mare, arguent flumina, arguent lacus, & dicent: Nos quoque tuum opus sumus Deus, & te volente piscibus aluimus hominem hunc, & dorso nostro nauigia eius tulimus, potum, salem, lauacrumque ministrauimus, aquas quibus ab incendio se defenderet, & AQVA.

quibus

Digitized by Google

quibus arescentes agros irrigaret, præstitimus. Corallia, & margaritas, & vniones ad corporis ornatum, formæq; decorem tum etiam conchilia, arenam, algam, spongias, ad multarum rerum necessitatem contulimus, & ipse legem tuam præuaricatus est.

AER. Arguet illum & etiam aer, dicet: Et me, Domine, condidisti, vt huic seruirem, teq; iubente respirandi illi potestatem feci, vocis tribui sonum, pluuias & rorem, ventos & auram, nubes & serenum vtilitati eius aptaui, mea opera iste percurrit maria, Solis ardores temperauit, arua siccitate pereuntia reparauit. Impendi ei auium genera, vt earu m cãtu permulceret aures, earum plumis mollius quiesceret, earum carnibus dulciùs pranderet, & ipse talium immemor tibi seruire contempsit.

IGNIS. Arguet quoque illum sublimior aere ignis ac dicet: Me etiam vt huic commodarẽ esse iussisti, Domine. Mea itaque opera, cùm algeret, calefactus est, cum in tenebris cæcutiret, illustratus vidit: per me metalla in opus conflauit ac procudit, per me vasa testacea indurauit, vitrea formauit, ceram glaciemq́ue & quædam duriora in vsũ suum liquefecit, petram ad ferruminandam murorum structuram in calcem conuertit, ad linienda nauigia de flagranti teda picem liquauit, per me panes coxit, cibos confecit, carnes nunc elixas nunc assas manducauit, sterilescentes glebas & effœta arua incensis culmis pristinæ fœcunditati restituit, meo cauterio morbos curauit, meis cineribus ad caudificandos poliendosq́ue pannos vsus est. Et cum tot ex me commoda colligeret, nunquã animum induxit, vt tibi obtemperando gratiam referret.

Cælum. Posthæc arguet illum & aere & igne excelsius cœlũ, & dicet: Me etiam, æterne Deus, vt hunc iuuarem, desuper extendisti. Solem ei lucere feci per diem, Lunam & stellas per noctem, per me cognouit horas, dies, menses, annos, ver, æstatem, autumnum, brumam: per me distinxit mundi ætates, ætatumq́ue secula; per me certiorum temporum ordinem rerumq́ue vices tenuit & obseruauit. At idem donorum tuorum oblitus iussis tuis non paruit,

Digitized by Google

ruit, legem tuam implere neglexit.

Postrem ò & Angeli & Sancti, qui cum Christo erunt, arguent peccatorem, Angelus inquiet: Ad custodiam huius hominis, Domine, ego per te missus frequenter eum protexi à periculis, frequenter à dœmonum iniuria tutatus sum. Sed dum in vitia subinde prolabentẽ tacita cordis ipsius reprehensione cohiberem, suam sequi voluntatem quàm tuam maluit. *Angeli.*

Sancti verò dicent: Multa prædicauimus, multa scripsimus, multa fecimus, vnde iste pleniùs apertiusque discere poterat, quà iter esset ad salutem. Sed omnibus his contemptis, per abrupta facinorum auersus abijt, nec promissis beatitudinis conuerti potuit, nec æternæ damnationis minis deterreri. Sæpenumero in memoriam illi reduximus, vt per te ad imaginẽ Dei factus sit, paulo Angelis minoratus, in Paradiso positus. Vt etiam cùm inde per inobedientiæ crimen eiectus exularet, tua tandem pietate reuertendi potestatem acceperit, ad patriã multo feliciorem, quàm illa fuerit quam amisit. Tu Deus, homo factus, ludibria, vincula, sputa, alapas, flagella, spinas, clauos, crucem, fel, acetum, hastam in tuo corpore pertulisti, vt pro hominis peccato hostiam pacificam te offerres Deo Patri mori voluisti, vt ipsum viuificares: ad infernum descendisti, vt ipsum super sydera exaltares. Resurrexisti, & in cœlum ascendisti, vt ipsum post te traheres, & beatificares. Dedisti ei carnem tuam in cibum, & Sanguinem tuum in potum, vt vitæ æternæ compotem faceres, atque in tuum susciperes consortium. Et hic quidem tot tantorumque immemor beneficiorum, non retulit tibi gratiam, sed offensam, cupidinibus deseruiens, & iussa tua parui pendens, bonis fragilibus inhærens, & æterna non multi æstimans. Eat ergo sub terram, qui cœlestibus præponere non dubitauit terrena. Hæc & ijs plura olim exprobrabuntur peccatori. Sicque aduersum iniquos armabitur creatum. Sic orbis terrarum decertabit contra insensatos. Quid facient miseri peccatores, vbi tot aderunt accusatores? vbi omnia contra illos in iudicio stabunt, & pro illis nihil? *Sancti.*

Pecca-

Digitized by Google

Oratio. Peccauimus tibi, Domine, multumque deliquimus;
Psal. 50. miserere nostri secundùm magnam misericordiam tuã, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates nostras. Da vt nunc ploremus ingratitudiné nostram, ne tunc confundamur: vt nunc lugeamus, ne tũc
Psal 31. semper lugendi causam habeamus. Remitte facinora clementissime Domine, & præsta veniam, quia: Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Remitte illa precamur in præsenti, ne imputentur in fu-
Isaiæ 51. v turo cùm etiam cœli (vt Isaias inquit) sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt: Cumque & illa euenient,
Ezech. 38. quæ ipse per Ezechiam minatus est, dicens. In igne iræ meæ locutus sum, quia in die illa erit commotio magna super terram Israel, & commouebuntur à facie mea pisces maris, & volucres cœli, & bestiæ agri, & omne reptile quod mouetur super humum, cunctique homines qui sunt super faciem terræ, & subuertentur montes, & cadent sepes, & omnis murus corruet in terram! Inter hæc tam expauescẽda esto refugium nostrum, Redemptor noster, ne metu concussis fides titubet, spes deficiat, charitas langueſcat: commoueantur bestiæ & homines qui te ignorant, & montes & muri subuertantur; non commoueamur nos, neque subuertamur, neque à te vsquam discedamus, neque vi vlla separemur.
Isaiæ 64. Vtinam (inquit Isaias) dirumperes cœlos & descenderes, à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent: aque arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis à facie tua gentes turbarentur, cùm feceris mirabilia, nõ sustinebimus. Desiderat aduentum Iudicis Propheta, quia tunc demum se plenam beatitudinem consecuturum sperat, & tamen non sustinebimus,
Mich. 1. inquit, vt ostendat eo die, ne Sanctos quidem sine pauore futuros. Et quis non formidabit videns furere igne, montes conteri, valles diuidi, dicente Michea: Ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ, & consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cera a facie ignis, sicut aquæ quæ

decur-

Digitized by Google

decurrunt in præceps. Quis non timebit, cùm Naum Propheta dicat: Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt, & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo? Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? Indignatio eius effusa est vt ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo. Quis denique non concidet præ timore, cùm Ioel Propheta conqueratur, dicens? Clamate ad Dominum, a, a, a, diei, quia propè est dies Domini, & quasi vastitas à potente veniet. Et rursum idem: Ad te, Domine, clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis. Et iterum: Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma, quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum. De hac mundi per ignem vastatione Sophonias quoque Propheta vaticinatur & ait: In igno zeli eius deuorabitur omnis terra, qui consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. Hoc idem & Petrus Apostolus testatur, dicens: Adueniet autem dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Et rursum: Expectantes, inquit, & properantes in aduentũ diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.

Naum. 1.

Ioelis 1.

Sophon. 1.

1. Petr. 3.

Ignis igitur, & terribilis flammæ inundatio, summi Iudicis faciem præcurrens, operiet terrarum orbem, excedetque montium cacumina, & contra naturam suam ardebunt aquæ, siccabitur mare, fontes fluminaque deficient, & tanti ardoris torrens veluti diluuium latè omnia inuoluet, sed arca, qua aliquis euadere posset, nulla erit: bonos malosque simul fluctus iste igneus absorbebit, sed bonos expiabit, malos verò affliget tantùm; & idem ardor alijs erit in salutem, alijs ad pœnam, dicente Malachia Propheta: Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituũ, quæ non derelinquet eis radi-

Malac. 4.

cem

cem & germen. Et orietur vobis timentibus nomen meū Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Id sanè ita erit, quēadmodum etiam nunc videmus aurum in igne purius effici, lapides & ligna corrumpi, & in cinerem redigi. Illo præterea igne terra & cœlum immutabuntur, dicente ipso Domino: Cœlum & terra trānsibunt, verba autē mea
Luce 21. non præteribunt. Vnde in Psalmo dicitur: Initio tu, Do-
Psal. 101. mine, terram fundasti, & opera manuū tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Et tunc demum terra cultoribus suis vacua relinquetur, & vbique erit vasta solitudo, nullus prorsus vsquam locorum erit, non homo, non iumentum, non pecus, non fera, non in mari piscis, non in aere volucris, nō saltem sub terra vermis, nullum postremo animal tanto incendio superesse poterit. Quod quidem per Sophoniā
Sophō. 1. significauit Dominus, dicens: Congregans congregabo omnia à facie terræ, congregans hominem & pecus, cōgregans volatilia cœli & pisces maris, & ruinæ impiorū erunt, & disperdam homines à facie terræ. Quam rem &
Ierem. 4. Ieremias Propheta in spiritu admirans. inquit: Aspexi terram, & ecce vacua erat & nihil, & cœlos, & non erat lux in eis. Vidi montes & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati sunt; intuitus sum, & ecce non erat ho-
Hebr. 12. mo, & omne volatile cœli recessit. Rectè ergo ab Apostolo dicitur: Deus noster ignis consumens est.

De Resurrectione mortuorum.

CAP. VI.

1. Thes. 4. POST hęc autem iussu Domini angelica vox intonabit, mundum concutiens, & mortuos ab Adam vsq; ad nouissimum hominem omnes veluti ex somno excitans. Omnes repentè resurgent viui, suis quisque artubus incorporabitur, & capillus de capite eorum non
Zach. 10. deficiet. Sic quippe per os Zachariæ loquitur Dominus & ait: Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos.
Ierem. 23. Hoc significauit Ieremias, cum prophetaret, dicens: Dominus

Digitized by Google

minus de excelso rugiet, & de habitaculo sancto suo dabit vocem suam, rugiens rugiet super decorem suum, celeuma quasi calcantium concinetur aduersus omnes habitatores terræ, quia iudicium Domini cum Gentibus. Dicens, super decorem suum, & aduersus habitatores terræ, iustos & iniustos complexus est. Quia omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Sic & Ioel Propheta. Dominus, inquit, de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cœli & terra, hoc est, boni & mali simul resurgent. Longè tamen diuersa erit horum illorumque conditio, teste Apostolo sic inter vtrosq; discernente: Ipse Dominus, inquit, in iussu tubæ, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cũ Domino erimus. Mali ergo in terra quam dilexerunt relinquentur, boni autem cœlum versus in sublime tollẽtur, eò quòd illorum cõuersatio semper fuerit in cœlis. Qua autem ætate resurrecturi simus, idem declarat, dicens: Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Cæterùm eorum quoque, qui saluandi erunt, corporibus diuersa inerit claritas. Quamuis enim eiusdem generis semina sint, aliud tamen centesimum fructum reddit, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Quam diuersitatem Paulus edisserens ait: Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum. Imparia quidem merita, sed in omnibus idem Deus. Et quia Deus charitas est, mutuus inter illos amor efficiet, vt beatitudo singulorum, beatitudo simul omnium sit.

1. Cor. 15.
Ioelis 3.
1. Thes. 4.
Ephes. 4.
Matt. 13.
1. Cor. 15.
1. Ioan. 4.

QVOD si quis Saducæorum hæresim secutus, negare voluerit futuram Resurrectionem, respondebimus ei quod illis responsum est. Erras nescies Scripturas neq; virtutem Dei. Si enim Scripturas scires, nosses vtique per Ezechielem, sed non ab Ezechiele dictum: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populo meus, & inducam vos in terrã Israel, & scietis quia

Matt. 22.
Ezech. 37.

Digitized by Google

tis quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris, populeus, & dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis. Nosses & in Daniele scriptum esse: Multi de ijs qui dormiunt in terræ pulueré, euigilabunt: alij in vitam æternam, alij in opprobriū, vt videant semper. Nec ignorantes Osee Prophetā idem astruere, cùm dicat: Viuificabit nos, post duos dies, & die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, sciemus sequemurque, vt cognoscamus Dominū. Sicut enim in Adam morimur, ita in Christo, qui die tertia resurrexit, viuemus. Ipse mortis nostræ destructor est, ipse & resurrectio nostra. Vnde per eundem Prophetam dicit: De manu mortis liberabo eos, de morte redimā eos. Ero mors tua, ó mors, ero morsus tuus inferne. Quæ res nequaquam latuit virum iustum Iob, qui futuram corporum resurrectionem, & constanter credidit, & firmiter sperauit, & fideliter confessus est: Scio, inquit, quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum. Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Et ne veterum tantùm autoritate hoc nobis persuasū putes, audi recentiora. Dominus in Euangelio: Amen amen dico vobis, inquit, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: & qui audierint, viuent. Et paulò post iterū ait: Venit hora in qua oēs qui in monumētis sunt, audiēt vocē Filij Dei. Et procedēt qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Et rursum idem: Hæc est enim voluntas eius qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Martha fratre sepultū resurrecturū quidem non diffidebat, sed vix credere poterat, vt iam quatriduanus reuiuiscere posset, antequam resurrectio, quæ omnibus promissa est, veniret, & responsū Domini accepit: Ego sum Resurrectio & Vita, qui credit in me, etiā si mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Qui

Dan. 12.
Osee 6.
1. Cor. 13.
Osee 13.
Iob 19.
Ioan. 5.
Idem 6.
Martha. Lazarus
Ioan. 11.

credit

Digitized by Google

credit ergo, viuet: Incredulus autem quamuis & ipse resurget & viuet, inter mortuos tamen non inter viuentes deputabitur, atque (vt apertius intelligas) neminem non resurrecturum, Ioannes in Apocalypsi ait: Et dedit mare mortuos suos qui ineo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum. Paulus quoque Apostolus per quem Christus locutus est: Mysterium, inquit, vobis dico, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionẽ, & mortale hoc induere immortalitatem. Possem argumentis niti, quibus eam rem non esse factu impossibilem, atque etiam fieri debere probarem, si plus apud me argumenta valerent, quam sanctarũ autoritas Scripturarum, & si nostri nunc propositi esset, incredulis fidem suadere, & non magis credentes ad virtutem exhortari, apud quos nihil est quod Deus æternus facere non possit: quippe qui in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, qui dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt, denique per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Nos itaque qui Catholicam veritatem plena fide sequimur, sic Resurrectionem futurũ mente agitemus, vt prius nobis resurgere à vitijs curæ sit. Malè illam expectat, qui hanc qui prior esse debet; non peregerit. Beatus autem & sanctus (vt Ioannes in Apocalypsi ait) qui habet partem in Resurrectione primaiin eo secunda mors non habet potestatem. Tales enim cũ suis corporibus de limo terræ sese ad sonitum tubæ cœlestis erigentes, atque in altum sublati obuiam ibũt Christo, & in parte dextera, hoc est, in beatitudine, in qua nihil est sinistrum, collocabũtur. Scriptũ quippe est: Et mittet Dominus Angelos suos cum tuba & voce magna, & cõgregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum, hoc est, omnes qui vbicunque erunt, ad se conuocari iubebit. Quod Propheta etiã præuidẽs ait: Deus Deorum Dominus locutus est, & vocauit

Apoc. 20.

1. Cor. 15.

Psal. 134.

Psal. 145. Ioan. 1.

Apoc. 18.

Matt. 13.

Psal. 49.

Digitized by Google

terram. A solis ortu vsq; ad occasum, ex Sion species decoris eius. Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Postea infert: Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant Testamentum eius super Sacrificia. Et annuntiabunt cœli iustitiam eius, quoniam Deus Iudex est.

De Domini descensu ad iudicandum viuos & mortuos. CAP. VII.

DESCENDENS igitur Maiestatis Dominus cũ Angelis suis, & cum omnibus sanctis suis, cõspicuus in aere stabit supra Ierusalem, vt inde homines iudicet, vbi pro hominibus pati voluit. Sed supra illam partem imminebit, vnde postquam à mortuis resurrexit, sublatus est in cœlum, vt locus ille, à quo olim deuicta morte triumphans cœlum petijt, rursum è cœlo aduenientis gloriam testetur. Quod futurum Zacharias prophetauit, dicens: Et stabunt pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est in Ierusalem ad Orientem. Et tunc sedebunt sedes in iudicio, hoc est, Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes, Apostoli, Discipuli, Martyres, Cõfessores, Virgines, Viduæ, coniugatæ, Sancti, Sanctæque omnes. Tunc implebitur illud: Qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cum Filius hominis ad iudicandum venerit, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Israel. Inde est quod Paulus ad Corinthios scribens ait: An nescitis, inquit, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis secularia? Hinc iam multo terribiliora, quam quis dicendo exprimere possit horrenda, & signa, & iudicia, & angustiæ, & dolores. Iam primùm sicut Zacharias ait: Scindatur mons Oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem. Mons iste ideo (vt equidem reor) supererit reliquorum conflagrationi, quo magis terreat scissus, quàm terruisset consumptus. Quid autem innuet scissura tam horribilis & vehemens, nisi discretionem illorum statim futuram, qui iudicandi erunt. Et veniet, inquiet, Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo, & erit in die illa, non lux, sed frigus & gelu.

Zach. 14. *Psal. 131.* *Matt. 11.* *1. Cor. 6.* *Zach. 14.*

Digitized by Google

gelu. Non enim erit illis lux, quos iam æternæ noctis timor occupabit, in quibus charitatis flamma refrixit, & amoris diuini ardor malitiæ gelu extinctus est. Heu quã miseri, quàm infelices, quos ista sors manet, qui se in terra residere conspicient, cum alij in aera ferentur: qui se iam ad sinistram compelli cernent, & alios constitui ad dexteram: qui se carne liuida, lurida, nigra, & quasi sanie taboque confecta vestitos animaduertent, & alios pulchra elegantique, & iam beatitudinis fulgore luculenta atque splendenti, & illos quidem Angelorum cœlestium consortio copulari: se verò cum apostaticis spiritibus, quibus in vita mortali magis quàm Deo obtemperabãt, ad inferna trudi, ad gehennam mitti, nullo tempore, nullis seculis, nullo vnquam die, inde egressuros. Cæterum antequam eo compellantur, tremebundi & eiulantes & plangentes consistent coram illo tanti horroris tantæq; Maiestatis Tribunali, Quod olim admirans Daniel ait: Aspiciebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierũ sedit, id est, Christus Deo Patri coæternus, vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus, fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius, millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit, & libri aperti sunt. Explicabuntur igitur libri prædestinationis, præscientiæque diuinæ, & Dominus iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua. Iustum & impium iudicabit Dominus, ipso per Ezechielem dicente: Ecce ego iudico inter pecus & pecus arietum & hircorum. Quemadmodum enim pastor (vt in Euangelio dicitur) segregat oues ab hœdis, ita separabuntur iusti ab iniustis. Et ij quidem ad sinistram raptim cogentur, quia opera illorũ sinistra sunt: Illi verò ad dexteram concedent, quia semper dexteritas quædam atque agilitas ad bene beateque viuendũ in ipsis effulsit.

Quàm infelices iniqui.

Dan. 7.

Psalm 9.
Ezec. 34.
Matt. 25.

Locvs verò iudicandorum, ad quem congregabuntur, vallis Iosaphat assignatur, dicente Domino per Ioelem: Congregabo omnes Gentes, & deducã eas in valle

Locus iudicij. Ioel. 3.

Digitized by Google

Ioſaphat,& diſcepr abo cum eis ibi. Et iterum: Conſurgant & aſcendant Gentes in valle Ioſaphat, quia ibi ſedebo,vt iudicem omnes Gentes in circuitu. Sed quoniã vallis illius anguſtiæ nõ ita multorũ hominum capaces ſunt,credimus alios in valle alios circa vallẽ confluxuros,atq; (ideo in ea omnes cõgregandos dici, quia ſuperõs indie iudicij ſententia proferetur. At verò antequam
Amos 5. proferetur, antequam (ſicut Amos ait) reuelabitur quaſi aqua iudicium,& iuſtitia quaſi torrens fortis:peccatores interim illam præſtolantes intra ſe grauiſſimè conflictabuntur,clamabunt,vlulabunt, ora lachrymis rigabunt, pugnis pectora plangẽt,quia deliquerũt ei à quo iudicabuntur.O miſerandum ſpectaculũ,& quidem venia dignum,ſi tunc veniæ locus eſſet,cùm iudicij erit. Scriptum
Prou.6. eſt autem: Zelus & furor viri,id eſt, Filij hominis, non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus,nec ſuſcipiet pro redẽptione dona plurima. Sera.n. nimis eſt pœnitentia,cùm iam pro delictis paratur pœna. Tunc fleſſe decuit,cùm vacabant iocis: tunc triſtari operæpretiũ erat,cùm irrefrenato animi appetitu voluptatibus indulgebant,cũm denunciabatur eis:Væ vobis qui nunc ridetis,quoniã flebitis.Vę ergo illis,quibus nũc veritatis verba pro ludibrio ſunt,quoniã tũc quã vera fue-
Iſaiæ 13. rint,dãno irrecuperabili experiẽtur.Viſitabo ſuper Orbis mala, inquit per Prophetã Dominus,& cõtra impios impietatẽ eorũ,ſuper hoc cœlũ turbabo,& mouebitur terra de loco ſuo,propter indignationẽ Domini exercituũ,& propter diẽ iræ furoris eius, & erit quaſi damula
Idem 12 fugiens,& quaſi ouis,& nõ erit qui congreget. Quã hoc vehementer doleret,idẽ Propheta oſtẽdit dicẽs: Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore, & anguſtia poſſedit me,ſicut anguſtia parturientis:corruiſ cũ audirẽ,cõturbatus ſum cũ viderẽ,emarcuit cor meũ,tenebræ ſuperuenerunt mihi. Et ſi hic alieno malo,quod futurum vidit,ſic cõtriſtatus eſt,quãtus illõs afficiet mœror,quibus tale malum propriũ aut peculiare erit?Meditabuntur fugã. Sed idem
Ierẽ. 46. vbiq; occurret pauor,nec fugiendo effugere poterũt,nec latendo latere. Vnde in in Ieremia ſcriptum eſt: Terror

vndi-

vndique ait Dominus, non fugiet velox, nec saluari se putet fortis. Deniq; temporis huius calamitatem designans Sophonias Propheta: Iuxta est, inquit, dies Domini magnus, iuxta est, & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis: dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarũ & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos, hoc est, super potentes & superbos, & tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt. Neq; enim nisi cæci sunt qui Domino peccant, quoniam dum peccant, nec quantum boni amittant vident, nec quantũ mali comparent, perspiciunt. Talibus per Malachiam cõminatur Dominus, dicẽs: Ecce accedã ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calũniantur mercedẽ mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinũ, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituũ: ego enim Dominus, & non mutor. Igitur cùm iam (vt in Psalmo dicitur) aduocabit Dominus cœlum desursum, & terram discernere populũ suũ: cũ paterfamilias, peregre rediẽs, exiget rationẽ à seruis de pecunia ipsis olim ad negotiandum tradita, cũ etiã de omni verbo otioso ratio reddi iubebitur, cũ deniq; Dominus mittet Angelos suos, & secernẽt malos de medio iustorũ: illos, qui à sinistris erunt, incredibilis (vt dictum est) timor ac mœror exigitabit. Sed & eos qui ad dexteram deducentur, spes meliusq; inuicẽ solicitabunt, non tam pœnam timentes, quàm ne tanta gloria, quam in Christo vident, indigni sint. Itaque & ipsi de se dubitabũt, donec illam optatissimã pij erga se iudicis vocem audiẽt, quę cõtinuò illi & metum omnẽ abiget, & perficiet spem. Audient enim: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. O vox omni melle dulcior, omni cibo suauior, omni auro & omni lapide pretioso desiderabilior, omni terreno regno felicior, vox perpetui gaudij, immẽsæ lætitiæ cęlestis iucũditatis, vox omnia superãs desideria, omni voto maior, omni spe plenior. Venite benedicti Patris

Sophō. 1.

Malac. 3.

Psal. 49.

Matt. 25.

Matt. 12.

Matt. 13.

Digitized by Google

mei, possidete regnum. Verè benedicti & beati, quibus contigerit vt sic euocentur. Quibus autem operibus tam benignè euocari, tamque feliciter benedici, ac tanto potiri regno meruerint, declarat, dicēs: Esuriui enim, & dedistis mihi māducare: Sitiui & dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me: Nudus, & operuistis me; Infirmus, & visitastis me: In carcere erā, & venistis ad me. Tum iustis admirantibus tantæ remunerationis magnitudinem, ac simul quærentibus, quando ea, quæ commemorata sunt, ei præstiterint, respondebit: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis, Christo igitur præstatur, quicquid pauperi Christiano impenditur. Non est contemnendus etiam minimus pauper fidelis, qui frater Domini nostri est; nō est in necessitate deserendus, ne in illo deseratur Christus. Omni ope qua indiguerit subleuandus est, cùm in eo subleuando tantum lucri sit, quantum æstimatio non capit humana. Comparātur agri, ædificantur villæ, construuntur vrbes, vt inde annui reddit⁹ capiantur, cumulenturque diuitiæ; alij negotiantur, alij manibus laborant, alij militant, alij nauigant, atque alij alijs artibus indulgent, vt pecuniam acquirāt. Vis tu omnibus ijs minus fatigari, & plus acquirere? Opera exerce pietatis: modicum est quo pauper indiget, sed immēsum est quod largienti compensatur.

Matt. 25.

Eloemosyna.

De Sententia Christi aduersus impios. CAP. VIII.

DIDICISTI piæ miserationis præmiū; disce nunc eorum, qui miseris misereri negligunt, supplicium. Tunc, inquit, dicet & ijs qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Tam plena est indignationis, & iræ, & ærumnārum vox ista, quàm illa superior benignitatis ac munificentiæ. Vtrumque infinitum, verumq; immensum, & quod illa obtulit, & quod hæc inflixit. Deutraque in Ecclesiastico prædictum est; Benedicto illius quasi fluuius inundabit, & quo modo cataclysmus aridum

Matt. 25.

Eccl. 33.

Digitized by Google

dum inebriauit, sic ira ipsius Gentes, quæ non exquisierunt eum, hæreditabit. Causam autem subdens cur sic eos damnauerit, ait: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non operuistis me; infirmus & in carcere, & non visitastis me. Quàm ergo melior nunc eorum conditio, qui cunctarum oppressi sunt onere calamitatum, quàm illorum qui rerum copia abundant, & nihil impertiunt indigenti. Non ob paupertatem in iudicio damnabimur, sed ob impietatem. O infelices diuites, qui diuitijs vti nesciunt. O felices, qui sciunt. Nesciunt profectò illis vti, qui cùm regnum cælorum illas dilargiendo lucrari possint, auarè retinendo cum illis pariter arsuri sunt. Discedite, inquit, à me maledicti. Quid infelicius, quàm à Christo discedere? Discedite in ignem æternum. Quid miserius, quam nullum finem pœnæ sperare? Discedite in ignem paratum diabolo. Quid horribilius, quàm cum diabolo & à diabolo semper cruciari? Si grauitatem damnationis huius iugiter pensabimus, nihil tam graue est, quod pro ea vitanda non lubenti animo perferemus. Sed interim quidam sinistri gregis, & ipsi perditæ pecudes, non ad se damnationem pertinere arbitrabuntur, eo quòd aliquando egenis opem tulerint, licet ipsi in poponis ganeisque versati sint, atque etiam contra vnum eleemosynæ bonum, quod quandoque exercuerunt, plurima perpetrarint mala; At longè aliter illis, quàm putabunt, eueniet. Postquam enim pius Dominus eos, qui viscera pietatis non habuerunt, condemnauerit; continuò reliquorum criminum cognitionem suis committet assessoribus, vt illud quod per Isaiam prædictum est impleatur; Brachia mea populos iudicabunt. Itaque Apostoli ac Prophetæ aduersum cæteros peccatores sententiam dicent. Matth. 25

Isaiæ 51.

Digitized by Google

De Sententia Apostolorum aduersus peccatores. CAP. IX.

Petrus. PRIMVS igitur omnium ipse Apostolorum Princeps Petrus, in illos insurgens, exclamabit ac dicet:
2. Pet. 2. Nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos verò in die Iudicij reseruare cruciandos. Deinde ad Simonem Magum conuersus, omnes in eo simoniacos execrabitur,
Actor. 8. dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Post illum
Iacobus. Iacobus Zebedæi eos, qui intemperanter sine delectu verba effutiunt, siue turpia, siue vana, nimiæ loquacitatis
Iacobi 1. damnabit, dicens: Si quis putat se religiosum, non refrenans linguam suam, huius vana est religio. Arguet etiam illos qui inter se odio dissident, simultatibusque
Iacobi 3. decertant. Vbi, inquiet, zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Et contra proximorum diffa-
Iacobi 4. matores dicet: Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, legi detrahit, & iudicat legem. Postremò ijs,
Iacobi 5. qui felicitatem suam in cumulandis opibus ponunt, insultabit ac dicet: Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs vestris quæ aduenient vobis: diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus: ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit: epulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda vestra, in die occisionis adduxistis & occidistis iustum, & non resistit vobis. Ad hæc, vt illum etiam, qui vel vnum tantum ex mandatis Dei præuaricatus fuerit, morte dignum
Iacobi 2. ostendat, inquiet: Quicunque totam legem seruauerit,
Ioannes. offendit autem in vno, factus est omnium reus. Ioannes deinde frater eius de peccatoribus definiet in hæc verba:
1. Ioan. 3. Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Omnis qui non est iustus, non est ex

Deo,

Digitized by Google

Deo, & qui non diligit fratrem suum. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Idem eos qui terrenis inuoluti diuina negligunt, damnabit dicens: Væ, væ, væ habitantibus in terra. Et illos qui nimis delicatè vixerunt: Quantum, inquiet, glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Tum de multis vnam proferens sententiam, dicet: Timidis autem & incredulis, & execratis, homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Mox etiam quasi indignabundus exclamabit: Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Tunc & ipse Gentium Doctor Paulus, quos olim docendo corrigere nequiuit, increpando damnabit & dicet: An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et in eos qui sibi sapientes videntur, contestabitur atque affirmabit, quòd sapientia huius mundi, stultitia sit apud Deum. Et in eos quoque, qui sermonis magis quàm morum elegantiæ student: Non in sermone est regnum Dei, inquiet, sed in virtute. Ac ne ignorantes excusari posse sperent, qui necessaria ad salutem discere contempserunt, dicet: Si quis ignorat, ignorabitur. Præterea aduersus impudicos impurosq; & cupidos hunc in modum sententiam promulgabit: Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Et iterum: Fornicatores, inquiet, & adulteros iudicabit, id est, damnabit Deus. Et rursum: Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. Quod alibi distinguens atque exponens, ait: Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmula-

Apocal. 1. *Ibid. 10.* *Idem 21.* *Idem 22.* *Paulus.* *1. Cor. 6.* *1. Cor. 14.* *1. Cor. 3.* *Idem 3.* *Ephes. 5.* *Heb. 13.* *1. Cor. 15.* *Ephes. 5.*

Digitized by Google

æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & ijs similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Idem de illis qui suorum vel sibi commissorum saluti nihil aut parum prospiciunt,
1. Tim. 4. definiet, dicens: Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Infidelitatis ergo arguentur Episcopi & Ecclesiæ Præsides, qui magis seipsos quam gregem suum pascunt, & lupum venientem videntes, dimissis ouibus fugiunt. Arguentur Principes, qui sibi subiectos minus rectè gubernant. Arguentur patres matresque familias, & omnes qui eorum, quibus præsunt, saluti atque vtilitati consulere negligunt. Post hæc idem Apostolus aduersus perfidos Iudæos excutiens vestimenta sua dicet:
Act. 18. Sanguis vester super caput vestrum: mundus ergo ex hoc ad Gentes vadam, vt scilicet Iudæis ob incredulitatis pertinaciam ad æternas tenebras relegatis, ipsos Gentiles conuersos & credentes in cælestia recipiat tabernacula.

De Sententia Prophetarum aduersum iniquos.
CAP. X.

Dauid. Psal. 14. POST Apostolos sancti Prophetæ iudicabunt. Dauid de Psalmis suis proferet sententias contra impostores: Ad nihilum deductus est in conspectu
Psalm. 71. eius malignus. Contra amicitiæ simulatores: Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Da illis secundùm opera eorum, & secundùm nequitiam adinuentionum ipsorum. Contra detra-
Psal. 30. ctores; Erubescant impij & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem, in superbia & abusione. Contra homicidas &
Psalm. 36. raptores: Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum. Vt decipiant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur. Contra eos qui honores ambiunt, cùm honoribus indigni sint: Vidi impium

Digitized by Google

pium superexaltatum & eleuatum sicut Cedros Libani. Transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Et iterum: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hæc via illorum scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebunt. Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Contra malignos delatores: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate. Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Contra superbos: Exalta te qui iudicas terram, redde retributionem superbis. Et iterum: Increpasti superbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis. Contra Ecclesiæ persecutores: Confundantur & conuertantur retrorsum, omnes qui oderunt Sion. Fiant sicut fœnum sectorum, quod priusquam euellatur exaruit. De quo non implebit manum suam qui metet, & sinum suum qui manipulos colliget. Deinde aduersus omnes qui cùm vitiorum morbo laborarent, pœnitentiæ remedium contempsere, clamabit & dicet: Longè à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt. Et rursum: Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. Cadent super eos carbones, in ignem deijciet eos, in miserijs non subsistent. Postremò dicet: Conuertantur peccatores in infernum, omnes Gentes quæ obliuiscuntur Deum. Iob quoque, vir iustus & timens Deum, impios & malos damnabit, & execrabitur, dicens: Quoties lucerna impiorum extinguetur, & superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui? Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turbo dispergit. In diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. *Psalm.14.* *Psalm.51.* *Psalm.93.* *Psal.118.* *Psal.128.* *Psal.118.* *Psal.139.* *Psalm.9.* *Iob.* *Iob 21.*

SALOMON & ipse aliquando peccator, sed per pœnitentiam iustificatus, arguet peccatores de inconstantia *Salomon.*

eorum,

Digitized by Google

eorum, qui ad omnem fortunæ flatum circumaguntur, &
Prou. 1. dicet: Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas
Idem 2. stultorum perdet eos. De impijs: Impij, inquiet, de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea. De ijs qui otio tempus terunt, quod exercendæ virtuti impendere deberent, dicet: Vsquequò piger dormies? Quando
Idem 6. surges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas, vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Et ad improbos conuersus, inquiet: Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias. Iterum aduersus mendaces proclamabit: Abominatio est Domino labia mendacia. Et rursum:
Prou. 12. Idem 19. Testis falsus non erit impunitus, qui mendacia loquitur non effugiet. Illis quoque qui in locos risusque plus æquo
Idem 14. effusi sunt, ita denunciabit: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Et quoniam etiam occulta cogitationes examinabuntur, dicet: Abominatio Do-
Idem 15. mini cogitationes malæ. In eos verò qui tergiuersantes obliquato iudicio recti tramitem deserunt, sic decernet:
Idem 17. Et qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abo-
Idem 19. minabilis est vterque apud Deum. Et illos quibus institutio spiritalis ludibrio esse solet, damnabit, dicens: Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus. Et illos qui parentes probro lacerant:
Idem 20. Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lumen eius
Idem 30. in medijs tenebris. Rursum alibi: Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.
Idem 21. Et de his qui ad hæreses declinant, inquiet: Vir qui erra-
uerit in via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur. De illis quoque qui de vsura, furto, rapina, aut aliquo tur-
Ibidem. pi lucro eleemosynas efferunt, dicet: Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere. Superborum etiam

etiam arrogantiam contundens, dicet: Per tria mouetur terra, & quartum quod non poteſt ſuſtinere. Per ſeruum, cùm regnauerit: per ſtultum, cùm ſaturatus fuerit cibo: & per odioſam mulierem, cùm in matrimonium fuerit aſſumpta: & per ancillam, cùm fuerit hęres dominæ ſuæ. Idem 10.

Poſthæc impijs maledicet: Non ſit bonum impio, nec prolongentur dies eius: ſed quaſi in vmbra tranſeant, qui non timent faciem Domini. Eccle. 8.

Post Salomonem conſurget Iſaias Propheta, & eorum primùm ſpem irritam faciet, qui cùm in proximos impij & immiſericordes ſint, in ijs duntaxat quæ Deo offerunt, confidunt. Audite, inquiet, verbum Domini Principes Sodomorum: Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis. Et cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Ad iudices verò, qui pecuniam plutis quàm iuſtitiam faciunt, dicet: Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc, ait Dominus Deus exercituum, fortis Iſrael: En ego conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Deinde aduerſus mulieres, quæ plus operę ponunt in corporis decore, quàm in pudicitiæ cultu, vociferabitur ac dicet: Pro eo quòd eleuatę ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nictibus oculorũ ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarũ Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamẽtum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mytras, & diſcriminalia, & perichelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & anulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſyndones, & vittas, & teriſtra, & erit pro ſuauí odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium. In illos quoq; quos luxuria voluptasque corrumpit, exclamabit, dicens: Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, Iſaiæ. Iſaiæ 1. Iſaiæ 2. Iſaiæ 3.

Digitized by Google

dam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis: cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. De tyrannis autem qui ip-
Idem 10. iustis exactionibus plebem vexant, inquiet: Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, & opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent: quid facietis in die visitationis & calamitatis de longè venientis? Ad cuius confugietis auxilium? & vbi relinquetis gloriam vestram, ne incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis? De super-
Idem 23. bis dicet: Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret superbiam omnis gloriæ, & adignominiam deduceret vniuersos inclytos terræ. Notabit etiam illos qui
Idem 33. aliena vi occupant, & contemptui proximos habent: Væ, inquiet, qui prædaris, nónne & ipse prædaberis? & qui spernis, nónne & ipse sperneris, cum consummaueris deprædationem, deprædaberis: cùm fatigatus defieris contemnere, contemneris. Tum etiam in mathematicos, qui ex syderum motu futura temere iudicant, sic sententiam
Idem 47. dicet: Augures cæli qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annuntiarent futura, ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos, non liberabunt animam suam de manu flammæ.

Ieremias. POST hunc sequetur Ieremias, & pro concionem ex-
Ierem. 5. urgens declamabit contra obstinatos, dicens: Confregerunt iugum, ruperunt vincula, quia scilicet nec iugum legis, nec vincula Euangelij ferre voluerunt. Idcirco percussit eos leo de sylua, lupus ad vesperam vastauit eos, pardus vigilans super ciuitates eorum, hoc est, propterea vitijs corrupti sunt, percussitque eos leonis superbia, vastauit lupi auaritia, excitauit pardi leuitas. Vel aliter: Percussit eos diabolus fortis vt leo, rapax vt lupus, & multarum fraudum maculis distinctus vt pardus. Deinde in eos qui cibo potuque repleti in libidinem turpiter effunduntur, sub persona Domini indignabitur, & dicet:
Idem 5. Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuria-

Digitized by Google

luxuriabantur. Equi amatores in fœminas & emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, & in gente tali non vlciscetur anima mea? Et aduersus iniquos iudices respiciens, vociferabitur: Causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non dixerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super gentem huiuscemodi non vlciscetur anima mea? Et incredulos Iudæos manu ostentans: Hæc est gens, inquiet, quæ non audiuit *Idem 7.* vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam: perijt fides, & ablata est de ore eorum. De adulantium verò malignitate dicet: Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum *Idem 9.* locuta est, in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias: nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut in gente huiuscemodi non vlciscetur anima mea? Illos quoque deuouebit, qui contempta Dei ope, totam spem in hominum auxilio collocant. Male- *Ierem. 17.* dictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit cùm venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili. Et iterum: Domine, inquiet, omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium, Dominum. Illos etiam in damnationem mittet, qui per dolum alienis damnis ditari student. Væ *Idem 22.* qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem non reddet ei. Qui dicit, ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa; qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitque synopide. De Præpositis autem Ecclesiæ, qui minus gnauiter suo funguntur officio, dicet: Hæc dicit Dominus Deus Israel, ad Pasto- *Idem 23.* res qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. Et Hypocritas execrabitur dicens: Maledictus qui *Idem 48.*

Digitized by Google

facit opus Domini fraudulenter. Ad ſuperbos inquiet:
Ierem.50. Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus Deus exercituum, quia veniet dies tuus, tempus viſitationis tuæ, & cadet ſuperbus & corruet, & non erit qui ſuſcitet eum, & ſuccendam ignem in vrbibus eius, & deuorabit omnia in circui-
Thren. 4. tu eius. Voluptarijs etiam inſultabit, dicens: Qui veſcebantur voluptuosè, interierunt in vijs: qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.

Baruch. 1 Exurget & Baruch Propheta contra diuites auaros, &
Baruch 3. dicet: Vbi ſunt Principes Gentium, & qui dominantur ſuper beſtias quę ſunt ſuper terram: qui in auibus cęli ludunt, qui argentum theſaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum, qui argentum fabricant, & ſoliciti ſunt, nec eſt inuentio opum illorum: exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij loco eorum ſucceſſerunt. In eoſdem & Eze-
Ezech.7. chiel Propheta ſuclamabit, dicens: Argentum eorum foris proijcietur, & aurum eorum in ſterquilinium erit, argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Idem aduerſus diuinos &
Idem 13 ariolos loquetur, dicens: Hæc dicit Dominus Deus. Væ Prophetis inſipientibus qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident, qui locuti eſtis vana, & vidiſtis mendacium: ideo ecce ego ad vos, ait Dominus Deus, & erit manus mea ſuper Prophetas qui vident vana & diuinant mendacium, in conſilio populi mei non erunt, & in ſcriptura domus Iſrael non ſcribentur, nec in terra Iſrael ingredientur, & ſcietis quia ego Dominus Deus. Tum quoque ad Pontifices Epiſcoposque conuerſus, qui relicta Eccleſiæ gubernandæ cura, in voluptatibus & delicijs contabuerunt, dicet: Hęc dicit Dominus: Vę paſtoribus Iſrael,
Idem 34. qui paſcebant ſemetipſos. Nónne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis, quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum non alligaſtis, & abiectum non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis & cum potẽtia.

POST

Digitized by Google

Post illum Osee Propheta Sacerdotes illos, qui sibi necessaria discere neglexerunt, & cæci cæcos in foueam ducentes, arguet in persona Domini, & abominabitur, dicens: Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi. Sed aliorum quoque ignorantiam accusans, dicet: Populus non intelligens vapulabit. Assentatores etiam, qui arrogantiæ fomitem subdere cordibus Principum eos offerendo solent, reprehendet, & increpabit, & dicet: In malitia sua lætificauerunt regem & in mendacijs suis Principes, omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente. Auaris quoque & cupidis exprobrabit: Aurum suum, inquiet, & argentum suum fecerunt sibi idola vt interirent. Et quoniam hinc decedentes nihil ex his ferre secum possunt, dicet: Desiderabile argentum eorum vrtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum; cùm venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis. Hunc sequetur Ioel Propheta, & helluones, meribibulosque arguens, inquiet: Expergiscimini ebrij, flete & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam perit ab ore vestro. Et de ijs qui in carnis lasciuia longo vsu obsorduerunt, dicet: Computruerunt iumenta in stercore suo. In eosdem & Amos Propheta clamabit, dicens: Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris, id est, vitijs quorum serui facti estis: Afferte, & bibemus! Iurauit Dominus in Sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus. Deinde Præsides Ecclesiæ, qui luxuriosæ vitæ exemplo etiam eos perdunt quibus præsunt, damnabit, inquiens: Væ vobis qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum ingredientes pompaticè domum Israel, qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem Psalterij. Postremò ad frumentarios qui horrea obturant,

Osee.
Osee 4.
Idem 7.
Idem 8.
Ioel.
Ioel. 2.
Amos.
Amos 4.
Amos 6.

Digitized by Google

turant, vt ingruente fame, annonam cariùs vendant, con-
Idem 8. testabitur ac dicet: Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit messis, & venundabimus merces & sabbatum & aperiemus frumentum, vt imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, vt possideamus in argento egenos & pauperes, pro calceamen-
Micheas. tis, & quisquilias frumenti vendamus. Inde Micheas quoque Propheta auaritiam multorum detestabitur, ita illis
Mich. 2. denuntians: Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris, in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Dominum est manus eorum, & concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos, & calumniabantur virum & domum eius, virum & hæreditatem eius. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum, vnde non auferatis corda vestra, & non ambulabitis superbi, quoniam tem-
Abacuc. pus pessimum est. Tunc etiam Abacuc Propheta in raptores, in auaros, in sanguinolentos, fraudulentosque excla-
Abacuc 2. mabit, dicens: Vę ei qui multiplicat non sua, vsquequo & aggrauat contra se densum lutum? Nunquid non repentè consurgent, qui mordeant te? & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali. Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate. Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.

Sophonias. Sophonias Propheta sub persona Domini aduersus malos Principes, & Hæreticos, & superbos, & malignos,
Sophon. 1. & molles proferet sententiam, dicens: Visitabo super Principes, & super filios regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrina, id est, qui alieno dogmate se imbuerunt. Et visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa, qui complent domum Domini Dei sui iniquitate & dolo, & visitabo super viros defixos in fœcibus suis. Ac ne quis opibus redimi se posse speret, inquiet: Argentum eorum & aurum eorum non poterit libera-

Digitized by Google

liberare eos in die iræ Domini. Postremo loco Malachias Propheta in persona Christi peccatoribus minabitur ac dicet: Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus Deus exercituum. Ego enim Dominus, & non mutor. Ac fortasse ridebit aliquis hanc nostram de Sanctorum iudicio assertionem, & quî scis, dicet, quòd Sancti ita die illo iudicaturi sint? Cui respondebimus: Cùm eos iampridem ita iudicasse constet, haud aliter postea quoque iudicaturos. Quoniam qui spiritu Dei aguntur, sibi ipsis contrarij esse non possunt. Itaque tales illorum sententiæ in die iudicij erunt, quales & ante fuisse, Scripturarum veritas testatur. *Malach.* *Malach. 3.*

De damnatorum ad inferna abductione.

CAP. XI.

CVM igitur tot Sanctorum accusationibus convicti fuerint infelices illi, quos non antè scelerum suorum pœnituit, quàm cùm pœnitere nihil profuit, quid agent? quò se vertent? Nulla erit reliqua cauillatio, nullum argumentum, nullum effugium. Videbunt supra se Deum iratum, infra se ignem paratum, circa se terribiles dæmones grauiter infrendentes, & iam ad terrima illa inferni loca cum furore vrgentes, compellentes, trahentes. Qui clamor, qualis planctus, quantus & quàm flebilis vlulatus inter illos audietur, quàm miserabile spectaculum illud erit, cùm & pectora pugnis, & ora vnguibus fœdantes incedent? laniabunt capillos, percutient fœmora, complodent palmas, compriment digitos, totis artubus, toto corpore contremiscent: alij in terram proni corruent, alij horrore attoniti rigebunt, alij lymphatico pauore acti, huc illuc veluti amentes discurrent; ora pallor, corda dolor, mentem stupor, membra tremor languorque occupabunt; atque interea inessabilis immugiet gemitus, personabit planctus, obstrepet eiulantium nunquam mœstior

Digitized by Google

Apocal. 9. ſtior auditus clamor. Et vt Ioannes ait: Quærent mortem, & non inuenient eam, & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Quòd ſi populus Iſrael, qui ad montem Sinai, vt præcepta Dei audiret, ſanctificatus acceſſerat, eo loquente adeò exterritus ſit, vt ſtatim inde pedem referentes Moyſi dicerent: Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur: quomodo ij qui nihil in ſe ſanctitudinis habebunt, ſed è diuerſo multorum criminum conſcij erunt, ferre poterunt, non iam præcipientis Dei vocem, ſed iracundi damnantis clamorem, & in ignem æternum abigentis? Adde illas omnium creaturarum accuſationes, omnium Sanctorum execrationes, non quòd ſanctipietatem tunc relinquent, ſed quòd Dei iuſtitiæ conformes erunt, hominibus quidem miſerantes, ſed Deo obſequentes, quoniam miſericors & iuſtus Dominus.

Pſal. 110. Adde etiam dæmoniorum inſultantium, & ſingula cuiuſque facinora exprobrantium, diros rugitus ingentesque minas. Quomodo deinde non etiam ob hoc ſuprà modum confundentur? quia iam nihil abſconditum erit, quod non ſciatur, nihil occultum, quod non reueletur, dicente Apoſtolo: Omnes autem nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Et in veteri Inſtrumento de ſceleſto homine ſcriptum eſt: Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra conſurget aduerſus eum. Et ad eundem per Naum Prophetam dicitur: Ecce ego ad te, dicit Dominus Deus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam in Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. Quot ergo furta, quot adulteria, quot veneficia, homicidia, ſimulationes, perfidiæ, proditiones, inſidiæ, fraudes, quot peſſimæ cogitationes, cæteraque mala, quæ ad illam vſque diem nemo mortalium, niſi qui commiſit, nouerat, tunc cunctis in propatulo erunt, tam hominibus quàm Angelis? Et quem tam ignominioſæ manifeſtationis non vehementiſſimè pudebit, vt vel ob hoc ſolum peccaſſe nollet, ne toti mundo proditus

Matt. 10.

2. Cor. 5.

Iob 10.

Naum 3.

Digitized by Google

ditus erubescat? Itaque antè eos erubescentiæ, quàm inferni, flamma torquebit.

AD hæc etiam iustorum gloriam videntes turbabuntur, stupebunt, ac dicent: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. At nos vbi decidimus? quò perduxere nos concupiscentiæ nostræ, delitiæ molles, lauta conuiuia, obscœnæ libidines, auaræ opes, blandi sopores, ignaua otia, ioci, risus, luxus, luxuria, voluptas? Illa ocyssimè desiere, & successit nunquam desitura calamitas. Felices nobis videbamur, & heu quàm repentè in quantam collapsi sumus miseriam? Cur concepti fuimus? aut cur conceptos non est aborsa mater? vel cur non statim natos aboleuit mors? vel adultos oppressit valetudo? vel angustiauit egestas? vel despoliauit, & in seruitutem captiuos abduxit hostis? Cur vis aliqua non afflixit? non vexauit? vt aliam vitam, alios mores instituere nos cogeret, quàm eos pro quibus ista patimur. O si mors in igne illo esset ad quem compellimur, quàm libenter in eum irrueremus, vt sic consumptis fugere supplicia æterna liceret? Sed hoc omnino suprà quàm cogitari potest grauius est, quòd semper ardere cogemur, & nunquam dabitur mori: semper viuemus, vt semper tormenta patiamur. O quam breui labore quam magnam potuimus adipisci beatitudinem: & ecce pro quàm modica delectatione, momentaneisque delicijs, in quàm immensas incidimus ærumnas? In hæc & eiusmodi lamenta, qui damnati fuerint, flebiliter concitabuntur. *Sapient. 5.*

Inter hos autem & Iudæi erunt, qui in errore infidelitatis pertinaces obduratique periere. Videbunt Crucem in salutem credentium refulgentem, videbunt ipsum qui in illa crucifixus fuerat, ponentem inimicos suos scabellum pedum suorum, & tunc demum credere incipient, cùm credere nihil proderit. *Iudæi.* *Psal. 109.*

Videbunt ipsum & Gentiles, & dicent: Vbi sunt Dij quos *Gentiles.*

Digitized by Google

quos coluimus? Ecce Crucifixus quem contempſimus, ipſe eſt Deus. Ecce illi quos cum confitentes occidimus, noſtri nunc iudices ſunt. Cernebamus in illis miracula, & putabamus maleficia. Illi pro veritate moriendo vicerunt, nos eos perſequendo perimendoque defecimus. Et quia mendacium ſecuti ſumus, meritò nunc ad inferna relegamur, vnà cum ipſis fatuitatis noſtræ Dijs cruciandi.

Hæretici. Tunc & qui varias hæreſes aſſerere conati ſunt, iurgantes ac ſemet inuicem mutuis compellationibus mordentes, dicent: Ecce Ari, quem Patre minorem affirmabas, in Maieſtate & poteſtate Patris venit, vt ſe Patre æqualem probaret, & te condemnaret erroris. Ecce Cherinte, & Hebion, & Marcion, & Paule Samoſatane, & Photine, quem purum hominem putabatis, ſupra omnes Angelos & Sanctos eminet, & mundum ſibi ſubditum ipſe iudicat. Nunquid homo tantùm hic: & non etiam Deus? Nunquid non ideo venit, vt à vobis infidelitatis pœnas exigeret? At tu Manichæe, & tu Valentine, ecce ille quem non ex Virgine genitum, ſed alter in phantaſmate apparuiſſe, alter è cælo corpus attuliſſe dixiſtis: nunc eandem ipſam Virginem ſupra omnes lucidam ac ſublimem iuxta ſe oſtentat, & veram matrem præ cæteris honorando confitetur, vt vos tantæ prauitatis arguat, & in tenebras exteriores mittat. Vos quoque Manichæe, Marcion, Baſilides, qui Prophetas & Legem non accepiſtis: ecce Prophetæ & Legis obſeruatores, vnà cum Euangelij profeſſoribus communi beatitudinis gloria illic collucent. Quoniam ipſe angularis lapis Chriſtus parietem ad parietem iungens, fecit vtraque vnum. Meritò igitur quos ipſi olim diuidere conati eſtis, eorum nunc pari concordique iudicio condemnamini. Et tu Nouatiane, qui miſericordiæ Dei nimium diffidens, negabas poſt Baptiſma peccantibus eſſe veniæ locum: aſpice quàm grandis numerus eorum cum Chriſto in aëre ſit, qui etiam poſt Baptiſmum lapſi, per pœnitentiam ſaluati ſunt. Te verò tuus perdidit error, etiamſi nihil aliud commiſiſſes. Hinc & reliqui

Hære-

Digitized by Google

Hæresiarchæ atque eorum sectatores inter se vicissim lacessentes, alij alijs proprium dogma exprobrabunt. Mox verò communicatis doloribus, lugentes pariter exclamabunt: Væ miseris nobis. Deprauauimus enim sensum Scripturarum, peruertimus veritatem, induximus errorem, vbi non erat error: nunc gehenna nos excipiet, non vt corrigat, sed vt puniat, & sicut hactenus animas nostras, ita deinceps etiam corpora simul atque indesinenter exurat. Sic & vnumquemque sua scelerum accusabit conscientia, & communis infelicitas ad vnam omnes compellet querelam. Insuper ipsi nequam spiritus fœda terribiliq́ue facie obcursantes in illos exclamabũt: Quid moram facitis? quid cunctamini venire nobiscum? nostri estis, & à Deo reprobati: quoniam nobis magis quã Deo paruistis. Ibunt ergo omnes maledicti in supplicium æternum, in pœnas indicibiles, & in multo acerbiores, quã vt verbis exprimi possit, cruciatus.

Lutherani omnes Caluinistæ, Puritani, &c. hæc aduertãt seriò.

Mat. 25.

De Sanctorum cum Christo ad cœlum ascensione.

CAP. XII.

POST hæc Sol & Luna, qui amisso fulgore lugere dãnatorum calamitatem videbantur, rursum ob lætitiam gaudiumq́; beatorum reparato lumine, multo clariores quàm vnquam antea visi sunt, apparebunt. Ac iuxta illud Isaiæ vaticinium. Erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum. Eruntq́ue noui cœli & noua terra, dicente Apostolo: Cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Nouos verò cælos, & nouam terram, & promissã Domini expectamus, in quibus iustitia habitat. Vnde & Ioannes in Apoc. Vidi, inquit, cœlum nouum, & terram nouam. Primum enim cęlũ & prima terra abijt, & mare iam non est. Interim omnes Sancti Christi ad cęlum comitantes, vnà cum Angelicis choris glorificabunt in Hymnis, & Psalmis, & Canticis, & vno ore omnes benedicent ei. Sicut per Sophoniam Spiritus sanctus olim locutus est, dicens: Tunc reddam populis labium electũ, vt inuocent omnes nomen Domini, & seruiant ei in humero

Isaiæ 30.

2. Petri 3.

Apoc. 21.

Sophon. 3. Isaiæ 66.

Digitized by Google

mero vno. Sicut etiam ipse per Isaiam ait: Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Tunc enim etiã illi qui damnati erant, confitebuntur Christum, experti virtutem potentiamque eius, qua sibi subiecit omnia: Et
Psal. 72. tunc adorabunt eum (vt in Psalmo dicitur) omnes reges,
Psal. 101. omnes gentes seruient ei. Et timebunt Gentes nomen
Psal. 109. tuum, Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Tũc tu Domine, implebis ruinas, vt vnde reprobi spiritꝰ præcipites corruerunt, ibi homines à te electi cecum habitent, & te ad dexteram Patris in magnificentia æqualitatis confidentem semper videant, semperque laudent.

Dan. 7. Hoc sanè illud erit, quod Danieli quondam reuelatũ credimus dicenti: Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & vsq; ad Antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, Tribus, & linguæ ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur. Iam enim omni prorsus dœmonum malignitate ad inferos cum impijs ablegata & in abyssum detrusa, iam Sanctorum omnium animis corporibusque beatificatis, Christo victori triumphus æternus celebrabitur in cœlo, vt ipso regnante regnent & ij, qui illum fide & confessione, & opere in terra coluerunt, eodem Propheta dicente: Et
Idem 7. iudicium sedebit, vt auferatur potentia & conteratur, & dispereat vsque in finem, hoc est, potẽtia principis tenebrarum, & eorum qui illum secuti sunt. Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est super omne cœlum, detur populo Sanctorum Altissimi, cuius regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges seruient ei & obedient. Et
Zach. 14. erit (vt Zacharias inquit) in die illo Dominus vnus, & erit nomen eius vnum. Omnes enim vnum erunt in Deo, ideo & vnus rex omnium erit Christus, & in Christo Pater, & Christus in Patre, & cum vtroque Spiritus sanctus. Humanitas Diuinitasque pariter in illo videbitur, sicut scriptum est: Et in lumine tuo videbimus lumen. Inde

iam

Digitized by Google

iam gloria in excelsis Deo concinetur, neque in terra vt olim, sed in cœlo pax hominibus bonæ voluntatis erit. Inde voces illæ magnæ, quas Ioannes in Apocalypsi audiuit, personabunt, dicentes: Factum est regnum huius mundi Domini nostri & Christi eius, & regnabunt in secula seculorum, Amen. Et iterum ait: Et audiuit quasi vocē tubæ magnæ, & sicut vocē aquarū multarū, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium alleluya, quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerūt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se, id est, Ecclesia, & datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum, & dixit mihi Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. *Psal. 35. Lucæ 2. Apoc. 11. Idem. 19.*

Hi quidem iam in tāta beatitudine se constitutos cernentes admirabūtur. Fortasse quærent, quibus operibus, quo labore, qua exercitatione tantam percipere meruerint mercedem? Sed audient: Non ex operibus iustitiæ quæ fecistis vos, sed secundùm suam misericordiam pijssimus Dominus saluos vos fecit. Neque enim condignæ erant passiones seculi tanta ac tali gloria, sed omnium bonorum largitor Deus, diues in omnibus, nouit dare magna pro modicis, pro breuibus sempiterna. Modica sanè imperata sunt, sed magna promissa sunt: hæc accepistis, quia illa obsequenter soliciteque impleſtis. Credidistis in Deum, nunc perpetuo eius conspectu gaudete. Timuistis eum: nunc in illo exultate. Dies festos ei sanctificastis, nunc festiuitate nunquam finienda fruimini. Parētes Præpositosque vestros digno honore prosecuti estis: nunc à cœlesti Patre honorem accipite Angelorum, & in mansionibus à quibus Lucifer cùm satellitibus suis ob superbiam lapsi sunt, vos pro humilitate vestra Domino fauente succedite. Dilexistis proximos vestros: nūc amici Dei facti estis, & domestici, & filij. Pudicitiam, castitatē, virginitatē obseruastis nunc incorruptionis, immortalitatisque lucē induimini. Ieiunastis ablato Spōso: nūc *Tit. 3. Rom. 8.*

illo

illo vobis reddito cœlestis conuiuij indeficienti dulcedine saturamini. Flestis aliquando: nunc consolamini. Preces obtulistis: nunc quod precando petistis, accipite. Vigilastis in nocte: nunc in die qui noctem nescit, conquiescite. In vinea Domini laborastis: nunc promissum vobis perfectæ felicitatis denarium sumite. Viciſtis concupiscentias carnis: nunc in spiritu iubilate. Viciſtis mũdum: nunc in cœlo coronamini. Viciſtis diabolum: nunc in Deo cum Christo triumphate. Nemo à vobis tollet gaudium vestrum, nullus imminuet casus, nullum finiet tempus. Sicut modò, ita & semper, & in secula seculorum beati eritis in Deo, & Domino Iesu, & Spiritu sancto. Amen.

Caro. Mundus. Diabolus.

De damnatorum pœna, CAP. XIII.

DE istorum beatitudine paulo diffusiùs Deo adiuuante dicemus, si priùs illorum ærumnam, quos proprium damnauit scelus, pœnasque indagare pro virili parte conabimur. Quanto enim plenius æternę perditionis considerabimus periculum, tanto ad vitandum cautiores ac solicitiores efficiemur.

Locus inferni.

Pœnalem igitur locum damnatorum subterraneum esse, credi par est, & eum quidẽ, à quo maximè distat cęlum. Quantum enim peccando iniqui à iustitia pietateq; recesserunt, tantum & mansione à mãsionibus Sanctorũ separari, cõgruum atque consentaneum videtur. Sed neque nomen sedis infelicissimæ in eo discrepat, cùm ab omnibus vocetur infernus. Quid autem aliud infernus, quàm terræ centrum, si cœlum hoc, quod terram quaqua versum ambit, mundi pars summa sit? Legimus præterea, Dathon, & Abiron, & Chore, quia à Deo ob delicta improbati sunt, viuos terræ hiatu fuisse absorptos, vt vel hinc constet, sub terra esse tormentorum locum, nõ supra terram. Vnde & per Ezechielem dictum est: Descenderunt incircuncisi ad terram vltimam, hoc est, in viscera terræ, ne scilicet cęlum, Solem, Lunamque, & reliqua sydera videre possint, qui dum viuerent, cœlestium contemplationi nunquam vacauerunt. Ideo & in tenebras

Ezec. 32

mitti

Digitized by Google

mitti dicetur, quoniam illic nulla dies est, nulla omnino lux lux, nisi quam fuerint flammæ illæ inextinguibiles, quæ sic fulgent, vt etiam fulgore ipso torqueant & excrucient. Cum enim sine intermissione vrant peccatorem, hoc insuper ei præstant, vt etiam illos inibi vricernat, quos charissimos habuit, & duplicentur sibi pœnæ, dum suas cumulat alienis, vtque idem conspectis terribilibus dœmoniorum figuris, ex pauoris magnitudine magnitudinem augeat supplicij. De his postea: nunc locum istum (quamuis sub terra sit) perscrutemur, vt qualis & quàm tristis existat, saltem ex parte nosse possimus, & cum nouerimus, cauere enitamur, ne illò concidamus, vnde spes nulla reuertendi. *Ignis.* *Locus.*

In Isaia scriptum est: Præparata est ab heri topheth, ab heri, hoc est, à principio. Topheth autem interpretatur gehenna pauoris, vel ampla pœna vitæ stultorum, vt per hoc intelligas & horrorem loci, & immensitatem pœnarum. Deinde sequitur: A rege præparata profunda & dilatata, vt scilicet capax esset multorum, quoniam multi sunt vocati, pauci verò electi: si illorum qui vocati sunt numero comparentur. Idem Propheta pœnæ quoque genus indicat, dum subdit: Nutrimenta eius ignis & ligna multa. Flatus Domini, id est, diuina iustitia, sicut torrens sulphuris succendens eam. De hoc alibi idem ait: Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur. In ijs quidem partim fomenta ignis apparent, partim grauitas fœtoris. Et erit, inquit, terra eius in picem ardentem nocte & die, nō extinguetur in sempiternum, ascendet fumus eius à generatione in generationem, desolabitur in secula seculorum. Quomodo desolabitur in secula seculorum, si res quę desolantur, minui & deficere soleāt, & ad nihilum redigi? Alia ergo conditio infernalis foueæ erit, quæ & ardendo desolabitur, & nunquā ardere desinet, perpetuæque combustioni perpetuò sufficiet, nec ignis extingui, nec ipsa consumi poterit. Et non erit, inquit, transiens per eum: Quia fortasse ignei torrētes illi, vel vbique aduersi & occursantes nequitiæ spiritus transitum denegabunt. Vel aliter: Non erit transiēs, *Isaiæ 30.* *Matt. 20. & 22.* *Isaiæ 34.*

ita

Digitized by Google

Isaiæ 24. ita vt inde exire possit, dicente Propheta: Congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum, & claudetur ibi in carcere. Carcer ergo nunquam aperiendus homines dæmonesque pariter continebit inclusos, obstructo omni exitu portis æreis vectibusque ferreis, ac seris sempiternis. Hinc igitur idem Propheta ait: Et possidebunt eam onocrotalus, & ericius, & ibis, & coruus habitabunt in ea. Per hæc sane animalia, quæ in Deuteronomio inter immunda censentur, homines peccatores designat, flagitiorumque immunditia pollutos. Postea infert: Et erit cubile draconum, & pascua struthionum. Et occurrent dæmonia, onocentaurus & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem. Ibi habuit foueam ericius, & nutriuit catulos, & circunfodit, & fouit in vmbra eius: illuc congregati sunt milui, alter ad alterum. Miluus quoque ex immundis est. Draco verò diabolus est, vt in his etiam bestiarum vocabulis peccatores & simul improbos spiritus intelligamus. Quod autem ait: Inuenit sibi requiem, non requiem significat qua finitur labor, quia ibi nulla laboris quies est, sed quia sedes domicilium que non mutatur. Semper enim in tenebris, & in igne, & in fœtore, & in tumultu, & in luctu, & in omnibus miserijs pœnisque permanebunt. Vnde concludens Propheta dicit: Vsque in æternum possidebunt eam. In generatione & generationem habitabunt in ea.

Isaiæ 34.

In inferno dæmones & homines.

Quæ tormenta in inferno.

Tale ergo erit damnatorum cum diabolo habitaculum talis carcer. In quo tenebræ, multo quidem illis tenebris, quibus in Aegypto Pharao flagellatus est, tristiores. In quo ignis, non sicut noster consumens est, sed longè quã noster grauius exurens, vt qui in illo torquentur, vehementiorem morte dolorem sentiant, & mori non possint. In quo picis & sulphuris assiduè bullientis intolerabilis fœtor, fumique omni nausea grauius olentis nũquã definẽs exhalatio. In quoetiã omnia perturbãs procellarum spiritus, iuxta illud: Ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Spiritus tamen non qui ardores ignis refrigeret, sed magis flammarum impulsu

Psal. 10.

sæui-

Digitized by Google

sequire cogat: veluti si quis in nemoroso monte vnam tantùm arbusculam incendat, mox flamma ventis agitata totum montem comprehendit, lateq; omnem occupat sylua. Aut si magnis parua cõferenda sunt: Veluti cùm faber alterno follium flatu prunas in vnum coactas exuscitat, scintillæ crepitant, flamma furit, vstrina refulget, & sub prunis positum ferrum concepto calore candescit, æraque liquantur: sic procellarum illarum irruente turbine concussum infernale incendium flammarum ingentes globos anhelanti vapore difflabit. O diram loci faciem, ô sortem omnibus seculi huius ærumnis, omni calamitate, omni exilio, omni tormento, omni morbo magis expauescendam, non solùm quia æterna sit, sed etiam quia cunctis vitæ huius (si in vnum conferantur) malis acerbior sit. Sicut enim beatorum gloria verbis explicari nequit, sic nec damnatorum pœna, tantum in hac mali est, quantum in illa boni, quoniam inter se opposita sunt, vt dies & nox, lux & tenebræ, vita & mors. Id quidem manifestiùs patebit, si etiam illud quod superiùs propositum à nobis fuit, paulo plenius considerabimus, quòd scilicet ignis iste in tenebris micans, non solùm calore cruciet, verum etiam fulgore ipso. Tantum quippe inter tumidas nubes lucis ostentat, vt miseri nihil aliud oculis haurire possint, nisi quod visum aut terrore affligat, aut dolore. Vident igitur, præter horribilem inferni situ, formidabiles dæmones in diuersas portentorum facies ex industria identidem se transmutantes, vt ipsa quoque deformitate conturbent eos, quos persequuntur immanitate. Videbũt, inquam, & videndo contremiscent, serpentem illum antiquum, colubrum tortuosum, Mammonam iniquum, Satanam dolosum, Asmodæum cruensum, Belial peruersum, Beelzebub dæmoniorum principem. Videbunt & illos beluinos ferosque spiritus, quos Isaias Propheta bestias, dracones, struthiones, pilosos, vlulas, syrenas appellat. Videbunt Behemoth illum immanem, cuius (vt in Iob legitur) fortitudo in lumbis, & virtus in vmbilico ventris, qui stringit caudam quasi cedrum, & absorbet flumina, & depascitur montiũ

Cõparatio.

Quã horrendi in Inferno dæmones.

Isaiæ 34. Iob 40.

Digitized by Google

Idem 41. fœnum. Videbunt parem illi, vel eo etiam vastiorem Leuiathan, cuius per dentium gyrum formido, cuius corpus quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus: cuius sternutatio splendor ignis, oculi & palpebræ diluculi, de cuius ore procedunt lampades, & de naribus fumus, cuius halitus prunas ardere facit, & in cuius collo moratur fortitudo, & in cuius faciem præcedit egestas, qui feruescere facit quasi ollam profundum maris. Denique de quo dicitur: Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret, omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiæ. Nemo me Poetarum commenta loqui putet: de veritatis fonte haurimus quæ dicimus. Ibi ista leguntur, vbi nefas est credere quicquam inesse fabulosum, aut mēdaciter confictum, sed vel mysterio adumbratum, vel ita vt res habet positum.

Isaiæ 54. Videbunt ergo & fabrum illum de quo per Isaiam ait Dominus: Ecce ego creaui fabrum sufflātem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creaui interfectorem, ad disperdendum. De quibus Naum Propheta loquitur, dicens: Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis, adspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia. Et quorum sæuitiam Abacuc admirans, ait: Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens, & congregabit quasi arenam captiuitatem, & ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt, totum in hamo subleuabit, traxit illud in sagenam suam, & semper interficere gentes non cessat.

Num. 2.

Abac. 1.

Daniel. 7. Aderunt ibi & feræ bestiæ à Daniele quondam visæ: Leæna expandens alas. Vrsus dentibus infrendēs, vt comedat carnes plurimas. Pardus quoque cum quatuor alis & totidem capitibus. Alia etiam bestia dentes ferreos habens magnos, & vngues ferreos, comedens atque comminuēs, & reliqua pedibus conculcans, & alia quæ Propheta se conspexisse commemorat, supra modum monstrosa atque horrenda. Aderit & ille qui de cœlo cecidit in terrā, cui data est clauis putei abyssi. De quo puteo (vt in Apocalypsi scriptum est) ascendit fumus sicut fumus fornacis

Apoc. 7.

Digitized by Google

eis magnæ. Et de puteo, inquit, exierunt locustæ in terrã, id est, dœmoniorum agmina in eos qui terrena bona beatitudinem putant. Et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ, & præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, id est, humiles. Neque omne viride, in quo scilicet fidei, spei, & charitatis viget succus: neque omnem arborem, hoc est, eum qui à terra sese erigens cœlestia contemplatur, & bonorum operum fructu exuberat. Sequitur: nisi homines qui non habent Signum Dei in frontibus suis. Electos enim, & sanctos, & fideles offendere nequeunt, sed illos duntaxat, qui licet labijs Deum honorent, corda tamen procul ab eo auersa gerũt, quibus dicturus est: Nescio vos. Discedite à me omnes qui operati estis iniquitatem. Attendendum autem quales locustæ istæ, quam terribiles. Et similitudines locustarum, inquit, similes equis paratis in prælium, super capita eorum tanquam coronæ similes auro, & facies eorum sicut facies hominum, & habebant capillos sicut capillos mulierum, & dentes earum sicut dentes leonum erant, & habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarum earum, sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum, & habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum. Præterea, Vidi, inquit, equos in visione, & qui sedebant super eos, habebãt loricas igneas, & hiacynthinas, & sulphureas, & capita equorum erant tãquam capita leonum, & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur. Porrò caudæ, inquit, eorum similes serpentibus habentes capita, & in his nocent. Aliam quoque bestiam vidit ascendentem de mari, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ. Et bestia quam vidi, inquit, similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes vrsi, & os eius sicut os leonis. Ac ne plura huiusce modi prosequi longum sit, flamma illa ad hoc tantùm lucebit, vt hæc vel his similia monstra obijciat obtutibus impiorum. Etsi enim ista, quæ à Ioanne vel Prophetis relata sunt, ad allegoricos sensus referri soleant: nihil tamen obstat, quin ipsi impurissimi spiritus

Matt. 15. Marci 7. Matt. 25. Apoc. 9. Idem 13.

Digitized by Google

in hasce formas (vel potiùs deformitates) vertere sese & possint, & velint, vt homines quibus semper infensi sunt & formidine ipsa vexent, antequam verberibus cædant. Quòd si sanctissimis viris quandoque tales apparuere, quomodo non apparebunt damnatis? Et si illis iniuriam inferre ausi sunt, quibus nocere Christo protegente non poterant, quanto magis eos, infestabunt, in quos iam sæuiendi ius accipient? Iob iustum Satan humani generis inimicus, impetrata in eum potestate, opibus exuit, liberis orbauit, seruis priuauit, vlcere percussit. Insuper quosdam, qui calamitatibus eius insultarent, concitauit. Idem beatos Apostolos veluti triticum cribrare expetiuit. Paulum vas electum colaphizauit. Antonium Alexandrinum Abbatem fustibus commitigando tantùm non exanimem reliquit. Machario bipennem manu vibrans hostiliter minatus est. Hilarionem variarum portentis vocum terrere aggressus est, & eiusdem orantis dorso insiliens, latera calcibus, ceruicem flagello verberare non timuit: & eis parcet, qui sibi traditi erunt, quos igneis vinctos catenis trahet secum in abyssum? Sed & ipse in igne cruciabitur. Dolore ergo stimulatus, acriùs ad inferendam homini iniuriam insurget.

Iob.

Apostoli. Paulus Apostolus. 2. Cor. 12. Antonius Abbas. Machar. Hilarion.

Dolor damnatorũ in inferno.

Diximus de terrore qui damnatis per lucem gehennalis ignis incutietur; dicamus nunc de dolore. Sicuti enim monstrosas dæmonum species in lumine illo atro caliginoso quæ cõcernendo formidabunt: ita eorum supplicia, quos in vita charos habuerunt, intuendo magis tristabuntur. Frater fratri commiserebitur, filijs parentes, parentibus filij, amicis amici. Dumque inuicem qui libet nunc suo nunc alieno malo dolent, duplicabitur omnibus grauitas mœroris. Hinc sanè diues ille sepultus in inferno, multum de fratribus quos superstites reliquerat solicitus, mittit ad eos Lazarum precabatur, vt ab ipso admoniti cauerent eò deuenire, vbi illorum afflictio suæ pœnæ additamentum foret. Audiuimus quosdã in furto deprehensos; cùm coram Iudice constituti crimẽ negarent, patienter tormenta tulisse. Vbi autẽ & filios in quæstionem adductos cõspexissent, eorũ ferre supplicium nequi-

Diues purpuratus. Luc. 16.

Digitized by Google

quiuisse, atque continuò furtum confessos. Et ꝯ necem ipsi subire maluerunt, quàm liberis fidiculas intendi videre: quali quantaque premerentur tristitiæ acerbitate, si vnà secum in inferno illos ardere vidissent, & flebiliter exclamare, & ab ijs qui ope indigent, opem implorare? Puto & ipsi exclamassent, obsecrantes, vt tota in se verterentur incendia, & illis leuaretur pœna. Aut si id effici non liceret, vt saltem procul ab eis, vbi etiam grauioribus afterendi supplicijs essent, secedere sibi permitteretur, tantùm ne illos quos genuissent, vri aspicerent, gemere audirent, affligi angique sentirent. Denique in imo infernalis baratri flendo demergi ac defigi præoptassent, & vt hunc vnum effugerent, omnes alios dolores non ita graues credidissent. Ad augendam ergo reorum anxietudinem, atque ærumnam, ignis iste (sicuti diximus) nô modò torrebit, sed etiam splendoris aliquid diffundet, illarum duntaxat rerum videndarum copiam suppeditans, quę spectatibus multo plus afferrẽt molestiæ, q̃ si etiã ipsas tenebræ caliginosiores occuluissẽt. Et de hoc hactenus: nunc patientiũ pœnas, vtrum diuersæ sint perpendamus.

pœnarum diuersitas

Diuersas esse nulli dubium est, nisi cui fortè libuerit Stoicorum more vitia omnia paria esse definire, vt parẽs etiam pœnæ vitiorum fiat. Quæ quidem sententia toto Catholicæ veritatis theatro exploditur & exibilatur. In Lege quippe veteri sacerdos eos, qui lepręmorbum contraxerint, considerare iubetur, ac dijudicare, alba, an nigra, an rufa sit: diuersa autem lepræ genera, diuersitatem significant peccatorum. Lex etiam illum qui infamauerit vxorem, verberibus afficiendum decernit. Qui verò alienam stupraũerit, lapidibus obruendum iubet. Inæqualis pœna, inæqualitatem criminis indicat. Idcirco de ijs quoque qui verberandi sunt, mandatur, vt pro mensura peccati, fiat & plagarum modus: Et plures plagæ irrogentur ei, cuius grauior fuerit culpa. Sed ne quis differẽ tiam hanc in præsenti vita, nõ in futura haberi, cauillari possit, in Sapiẽtię libro scriptum est: Iudiciũ durissimum in eos, qui præsunt, fiet, & potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio. Cur ita nisi

Leuit. 13.

Deut. 22.

Deut. 25.

Sapient. 6.

Digitized by Google

nisi quia in eodem quoque genere peccati magis deliquit, qui dignitate præcellit. Adhæc etiam in Euangelio perspicua est criminum & animaduersionum discretio.

Matth.5. Omnis, inquit, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.

Matth. 2. Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit cõcilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Frustra nimirum fieret isthæc diuisio, si nulla est vitiorum diuersitas, & si alia leuiùs alia grauiùs non punirentur. Aut si

Matt.12. *Luce 12.* diuersa non sunt, cur qui verbum dixerit contra Filium hominis, remittetur ei? qui autem dixerit contra Spiritũ sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo neque in futuro: Quare illo nequam spiritu cum septem alijs nequioribus se (differens enim etiam spirituum nequitia

Ioan. 19. est) reuertente ad eum à quo exierat, fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus? Quamobrem seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis? qui autem non cognouit & fecit digna plagis vapulabit paucis? Quomodo denique Iudæ peccatum maius dicitur Pilati peccato, dicente ad Pilatum Domino: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper, propterea qui me tradidit tibi maius peccatũ habet. Quòd autẽ aliud alio leuius sit, minusq; noxæ

2.Ioan.5. habeat, Ioannes Apostolus declarat dicens: Qui scit fratrẽ suum peccare peccatum ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortẽ non pro illo dico vt roget quis. Grandis distantia; alteri peccanti vita orando impetratur, pro altero qui, in morte est, ne orare quidem permittitur. Igitur sicuti distincta sunt delictorum genera, ita & delinquentium supplicia distincta sunt.

Tormẽtorum genera. EST Gehenna & caminus ignis inextinguibilis, est vermis & tinea immortalis, sunt tenebræ aliæ exteriores, aliæ interiores, est profundum & puteus abyssi, sunt glareæ cocyti, secundùm quod dicitur: Dulcis fuit glareis

Iob.21. *Iob 24.* cocyti; est sicut calor, ita & frigus, iuxta illud: Ad nimiũ calorem transiet ab aquis niuium. Sunt spiritus creati ad vindictam, sunt pix, sulphur, grando, sitis, fames, mors, scor-

Digitized by Google

scorpij, serpētes, est romphea vindicans in exterminium impios, est absyntium, & aqua fellis, est turbo indignationis Domini, & tempestas erumpens & irruens super capita iniustorum. Est &, de quo superiùs dictum est, procellarum spiritus, qui flammas non finit quiescere, neq; prunas consopiri, aut cinere obduci. Sunt denique omnia mala, & nihil prorsus boni, & hoc vnum omnium pessimum, nulla vnquam neque minuendę neque finiendæ tantæ acerbitatis expectatio. Quam rem quidam admirantes, quæ fiere qua ratione iustum esset, quod criminibus quæ tam breui temporis spatio perpetrantur (brevis enim est vita mortaliū super terram) pœna constituatur æterna. Quibus responsum est, hoc non tantùm diuinæ, verùm etiam humanæ conuenire seueritati atq; censuræ, vt scelera quædam, licet horæ vnius vel puncti momēto cōmissa fuerint, plurimorum annorum multentur exilio, diuturniore carcere castigentur, longioribus discutiantur tormentis, quoniam non tam tempus in peccando spectatur, quàm pondus. Peccat qui vno ictu homicidium peregit, peccat qui tota die verba blaterat otiosa, & absque intermissione garrit atque argutatur; & cùm vterq; peccet, alterque multum temporis, alter parum in peccando conterat: homicidium tamen pœna interdum longiore punitur, inconsulta verò loquacitas ne breui quidem coercetur. Deinde tametsi ad delinquendū non multum temporis hominibus præscriptum sit, animus tamen illius quem nunquam delictorum pœnitet, qui nunquam malè agere cessat tendit in infinitum. Et vt Gregorius inquit, vellent iniqui semper viuere, vt sēper possent peccare: ideo iustè quidem flagello plectuntur sempiterno. Præterea vt appareat qualis quantusque sit qui offensus est, oportet vt offensor ipse & grauissimè & diutissimè, id est, fine fine puniatur. Huc accedit, quòd ei quidem, qui breui tempore peccans æternis addicitur supplicijs, non fit iniuria neque dolus, quoniam antequā peccasset, hæc eadem peccantibus proposita esse non ignorauit. Sciuit etiam, quòd si breui tempore virtutis opera exercere studuisset, æterna remuneratione se fulsse

Quare pœna æterna constituatur tēporaliter peccātibus.

Digitized by Google

potiturum, & tamen virtute contempta vitium sequi maluit. Quis ei, quęso, fraudi fuit? quis eum in illam nunquã satiabilem carnificinã præcipitauit, nisi suamet peruersa in eligendo mala voluntas? Ad aquam ineffabilis dulcoris manum extendere poterat, & prunas potiùs ardentibus eam immersit. Talibus per Prophetam dicitur: Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & flammis quas succendistis.

Isaiæ 50. Profectò qui suis infinitæ beatitatis promissa paruipendit, infinitæque calamitatis minas non timet, quando & has euadere licet, & illa promereri, dignus est cruciatibus infinitis pro tanta animi sui temeritate, tantaq; stultitia. At aliquis fortasse incredulus eiusmodi minis non adhibet fidem: tanto magis meretur illas experiri, vt quod credere noluit libens, credat inuitus: cognoscat quia vera sunt quæ falsa esse impiè dubitauit: tradatur diabolo & angelis eius qui non credidit Christo & Apostolis eius.

Quòd minima in inferno pœna maior sit illa quæ hic habetur maxima. August. in Psal. 37.

Quoniam autem docuimus diuersa esse supplicia, ne quis aliqua vt alijs minus dura, ita etiam non multum acerba putet, ideoque ãd euitanda negligẽtior efficiatur: ostendemus ea quoque quæ illic leuissima sunt, omnibus quæ hîc habentur esse grauiora. Nihil hîc quidem tã triste est, tam luctuosum, vt non habeat aliquid consolationis: Pauper es, siti, fame, nuditateque confectus: inuenies qui miserebitur & stipem porriget. Incurabiles morbi doloris interualla habent, & post vehementem accessionem, vel festina remissio expectatur, vel protinus exitus. Perpetuum exilium non adimit patriam, sed mutat, & plerisque natale solum reliquisse vsui fuit. Qui in latomijs vinculisve coartantur, aut perfractis claustris aut Præsidis miseratione euadere sperant. Qui cẽditur, mutilatur, vritur, in equuleo suspẽditur, vngulis raditur, virgis verberatur, cruci affigitur, membratim discerpitur, omnia deniq; quæ crudeliũ tyrannorũ furor adinuenit tormenta in suo ipso corpore excipit, quanto vehementior dolor est, tanto citiùs finem affore doloris confidit, & totum quem intolerabiliter sustinet angorẽ, se morte

mox

Digitized by Google

mox effugiturũ gaudet. Soli illi qui ad tartarũ relegãtur, nihil penitus habere possunt, vnde conquiescant, nedum vnde gaudeant. Quis.n. illic miserebitur, vbi oẽs miseri sunt? Quis consolabitur, vbi omnes lugere non cessant? Quando dabitur vel modica tormentorum intermissio, vel vllum leuamen, vbi vrens ignis nunquã extinguitur, rodens vermis nunquã moritur, vexantia dœmonia nullo labore defatigantur, nulla crudelitate fatiantur? Quis postremò malorum sperari terminus poterit, vbi diuini Iudicij irreuocabilis maledictio in æternum perseuerabit? Deinde vitæ huius aduersitatũ tribulationũque causa hæc ferè est, vt aut iustus per patientiã coronetur, aut peccator per timorem corrigatur, sed causa gehennæ ignis alia non est, quã vt obstinatus, quẽ nunquam flagitij pœnituit, nunquã careat torméto: hîc ira, illic pietas Dei est. Nonne ergo satis patet, grauiorẽ esse animaduersionem Dei irascentis, quàm castigationem diligentis? Verberat aliquis filiũ, sed vt à vitijs deterreat: verberat hostem, sed vt intérimat. Nonne igitur leuissimus in hostem ictus duriùs feriet, quàm maximus in filium? Sic & minima in inferno pœna maior est, quàm quæ hîc inferri potest maxima, quoniam hîc filij, illic hostes Dei sunt, quãquam multi & hîc hostes, sed ita vt esse possint filij. Hoc idem nobis contrarij quoque ratio suadet. Nam quemadmodum in cœlesti gloria minimo beatorum ij, qui in terra felicissimi existimantur, comparari nequeunt: Ita è diuerso qui in inferno nimium miser est, omnibus quæ supra terram haberi possunt miserijs, miserior est. Quãto itaque plus haurit gaudij, qui in cœlo minimus est, quàm qui in terra maximus: tanto plus pœnæ sentit, qui in inferno minimam sentit, quàm qui maximam in hoc seculo.

De reuelationibus infernalium pœnarum. CAP. XIV.

HIS rationibus addamus etiam reuelationum argumenta, vt eorum ipsorũ, qui vel periere, vel à perditionis limine reuocati sunt, cõfessionib', quãta

Digitized by Google

Diues purpuratus. Lucæ 16.

pereuntium infelicitas sit, certiùs innotescat. Audiuimus epulonem diuitem de Euangelio perquam lugubriter conquerentem, & sancto Patriarchæ supplicantem, vt mitteret Lazarum, qui intincto in aqua digito guttulam vnam linguæ suæ instillaret, eo quòd totus in igne arderet, totusque cruciaretur. Quanta ergo calamitas est sic torreri, & vna aquæ gutta indigere, nullaque postulatione eam impetrare posse? Sed huic tam ingenti miseriæ additur præteritæ felicitatis amara recordatio. Responsum enim accipit; Memento quia bonis multis in vita fruebare, Lazarus verò pressus erat malis: tu nunc cruciaris, ille consolatur. Additur & fratrum superstitum irrequieta solicitudo, cùm tam vehementer expauescat, ne eandem & illi pernicié sortiantur, quos fortasse sciebat haud alijs moribus viuere, quàm ipse vixerat. Non ergo satis est flammis excoqui, & ne linguam quidem tãti ardoris habere expertem: multiplicium insuper curarum perpetua anxietudine exæstuandum est.

Duo Ioãnis discipuli.

STACTAEVM Ephesium Ioannes Apostolus, dum efferretur, ad vitam reuocatum percũctatus dicitur; Quid in alio orbe de illis duobus fratribus discipulis suis viderit, qui sibi aliquandiu religiosè adhærentes, rursum per inconstantiam lubricitatemque desciuerant. Cùm ergo is quantam beatitudinẽ cum quali infelicitate permutassent, coram recensuisset, cõtinuò illi ambo omnes diuitias paulo antè repetitas acceptasque, (hæ autem erant virgæ in aurum versæ, & lapilli in gemmas) vt his redimerent possessiones, quas pro amore Christi distraxisse dolebant, ad pedes Apostoli effudere, multis cũ lachrymis rogantes veniam, ac dicentes, omnia se perpeti paratos, tantùm vt pristinam gratiam apud Deum sibi recuperare liceret. Nequaquam tam citò tantas opes iterum contempsissent, & ad Apostolicam reuersi fuissent egestatem, nisi certò cognouissent & omnibus opibus maiorem esse Paradisi gloriam, & omni egestate angustiorem inferni ærumnam, *Abdias.*

Caluaria cuiusdam Ethnici.

MACHARIVS Alexandrinus, dum aliquando per Scithioticam solitudinem deambularet, caluariã homi-

nis

nis humi iacentem conſpicatus, cœpit per Chriſtum Ieſum obſecrare & interrogare, cuius fuiſſet dum viueret, quóve nunc in loco animus quondam inhabitator ſuus degeret: Grande miraculum: aridum os, carneque & neruis nudum, prorupit in vocem, ac ſe Gentilem fuiſſe, proximique vici indigenam, reſpondit: nunc verò in foueam baratri infernalis tam altè retruſum anguſtiari, quàm procul à terra diſtet cælum. Sed etiam ſe inferiùs corruere Iudæos incredulos, & ipſis inferiùs hæreticos Chriſtianos, qui reuelatam diuinitus veritatem mendacibus peruertere ſententijs moliuntur. Meritò quidem ipſi hæretici & Gentilibus & Iudæis damnabiliores ſunt. Nam vtrique illi apertè cum Eccleſia pugnant: hi verò amicitiæ ſimulatione ex inſidijs nocent, & cùm ſe Chriſtianos nuncupent, nulli Chriſtianis perniciofiùs lædunt. *Sur. Tom. 1.*

Cadauer cuiuſdam ruſtici.

EADMVNDO Cantuarienſi Archiepiſcopo die quadam in viſu apparuiſſe ferunt latè patentem campum, ſqualentibusque aruis vaſtum, & in eo ruſtici cuiuſdam ſola vitæ prauitate non ignobilis exanime corpus, ab ingenti coruorum multitudine certatim impeti diſtrahique & dilacerari. Deinde compertum ea ipſa die ruſticum illum fuiſſe vita defunctum. Quid mali, quid iniuriæ vſquam eſſe poteſt, quod nequiſſimi ſpiritus damnatorum animabus illic in inferno non irrogent: ſi hîc in cadauera eorum tam auidè debacchantur?

Ioſaphat regis filium.

IOSAPHAT Auenir Indorum regis filius Barlaam Eremitæ induſtria & diſciplinis ad Chriſtianitatem conuerſus, meretriculæ cuiuſdam forma blanditijsque & procacitate captus fuiſſet, niſi diuina miſeratione contigiſſet, vt parumper obdormiſcens, & Sanctorum gloriam & damnatorum pœnas videret. Eo ſomno confirmatus, in caſtitatis propoſito perſeuerauit. Tyrunculus adhuc in fide erat, & puto turpis voluptatis tam violentæ ſolicitationi ſuccubuiſſet, niſi per huiuſcemodi viſum, & Paradiſi delicias omnibus mundi oblectamentis magis expetiſſet, & omnibus formidabilius ipſa inferni tormenta magis expauiſſet. Si ergo iſta per ſpeculum & in ænigma-

Digitized by Google

te, & quandam ſoporis vmbram viſa tantam vim habuere, quid virium quantumque efficaciæ haberent, ita vt ſunt, conſpecta? *Damaſc. in vita Barlaam, cap. 36.*

Tres à morte ad vitam reuocati.

Sicuti conſpexerant tres illi Ieroſolymis bis morte defuncti, de quibus tunc quoque mentionem fecimus, cùm de Purgatorio tractaremus. Qui (vt Cyrillus tradit) ad deſtruendam hæreſim quandam, precibus ipſius Cyrilli & Euſebij, Hieronymiſque iam cum Chriſto regnantis meritis, qua die mortui fuerant, reſuſcitati ſunt. Tunc palàm teſtari cœperunt, ſe Hieronymo duce loca Paradiſi, inferni, Purgatoriiſque perluſtraſſe, & cùm damnandi eſſent, eiuſdem apud Deum gratia, antequam indicarentur, ad vitam redire iuſſos. Enarratis igitur omnibus quæ vidiſſent, ſola infernalium pœnarum recordatione à lachrymis ſe temperare nullo modo poterant, quòd dicerent, tales ac tantas eſſe pœnas illas, vt nullæ penitus excogitari poſſent cum ipſis comparandæ. Itaque ſine intermiſſione flebant, donec peracta viginti dierum pœnitentia, rurſum (vt prædixerant) ſuis exuti corporibus deceſſere, non vt priùs ad mortem, ſed ad vitam. Perpendamus horum teſtimonio, horumque luctu, quam immenſum malum ſit illud, quod cum nullo malo conferri queat, & cuius timor lachrymas cohibere non ſinebat. Horum quoque pœnitentiam imitemur, qui tam paucularum dierum fletu tantam euaſerunt perniciem, & ſimul beatitudinem conſecuti ſunt æternam. *Inter Epiſtol. Auguſtin. Epiſtol. 206. cap. 2. & 3.*

Rufus Cyrilli nepos.

Idem Cyrillus refert, dum mœſtus oraret, indicari ſibi petens, qualiter ſe haberet Rufi nepotis ſui nuper defuncti anima, ſe fœtorem primò ſenſiſſe ſupra modum grauem, neque naribus omnino niſi compreſſis tolerabilem, mox deinde Rufum conſpexiſſe catenis candentis ferri præcinctum, flammas fumo mixtas ore vomentem, & toto prorſus corpore ex ardoribus, quos intra ſe habere videbatur, ſcintillantem. Cumque hoc ſpectaculo conterritus miraretur, & vehem[illegible] expauidus quæreret, quam ob culpam iuuenis n[illegible] integer, & ob id quondam omnibus charus, talib[illegible]enis dignus iudicatus

Digitized by Google

catus esset, ab eodem didicisse, nihil ei aliud crimini fuisse datum pro quo ita vexaretur, præter aleæ lusionem, quoniam ipsa identidem vsus esset, & leuissimum vel nullum peccatum existimans, illud Sacerdoti confiteri neglexisset. O seuera diuinæ iustitiæ iudicia, & expauescendum examen! Si vnum in homine vitium tot virtutibus, quæ eidem inerant, non est compensatum, vt ipse à damnatione liber esset: quomodo illis compensabitur, qui pleni flagitijs nulla cum probitate decedunt? Et si tam sæuos patiebatur cruciatus aleæ lusor: quales, quæso, passuri sunt fœnerator, fur, adulter, homicida, vel hæreticus, vel idololatra? Non dubitamus, quin isti grauiùs peccent: proinde nec dubitemus, præter hæc Rufi supplicia esse adhuc quædam multo grauiora. *Ibid. cap.* 14.

Exempla quæ sequuntur, de beati Pontificis Gregorij Dialogo recitabo, ne quis ambigat, quin ea verissima sint, quæ tanto teste proferentur. *Gregorius Papa.*

Quidam in finibus Valeriæ Prouincię ægrotans, priusquam Seuerus Presbyter ad ipsum à peccatis absoluendum aduenire, diem suum obijt. Mox eiusdem Seueri lachrymis ac precibus, annuente Domino, reuixit. Interrogatus quid sibi, cùm è corpore migrasset, contigerat, respondit se à quibusdam hominibus nigrioribus quàm AEthiopes sunt, & qui ore naribusque ignem efflabant, repentè correptum fuisse, & per opaca loca atque aspera raptim deductum. Sed dum adhuc deduceretur, à candidissimis iuuenibus, multaque luce coruscantibus obuiam factis dimitti, ac vitæ pristinæ restitui iussum, quòd dicerent Seuero Presbytero hoc poscenti Deum concedere. Igitur cum peccata sua eidem confessus pœnitentiam peregisset, die septimo iterum, sed feliciùs, obdormiuit. Terribiles illi nondum confesso, cùm per tenebras traheretur, dæmones fuere; haud dubiè terribiliores futuri, si ad gehennam vsq; pertraxissent. At verò quam fortis Seueri pietas, quàm potès meritum, qui de ore tam rapacium luporũ eripuit prædam, & animam ab Orci faucibus auulsam inseruit cælo? Ex quo liquet, tunc maximè *Quidam Seueri precibus vitæ restitutus.* *Orcus, id est, infernus.*

Sancto-

Digitized by Google

Sanctorum precibus nobis opus esse, cùm expiramus. Iam iudicatis nihil proficiunt preces: Nulla est in inferno redemptio. *Gregor. Dialog. lib. 1. cap. 22.*

Theodoricus rex. Neque enim Theodoricum Italiæ regem Arrianum, ne in interitum rueret æternum, sua tenere vis suusque valuit potentatus. Quem Solitarius quidam in Lipara Siciliæ Insula Deo seruiens, in foueam illam quæ flammas eructat, vinctum deijci vidit à Ioanne Papa, Symmachoque Patritio, quos ille Catholicam tuentes fidem non multo ante occiderat. Meritò ab ipsis præcipitari visus est, quos ipse præcipitatos in mortis ignominiam putauit, dum martyrio coronarentur. Deprehensum quoque est, eodem die ipsum interijsse, quo talia de illo Solitarius viderat. *Ibidem, lib. 4. cap. 30.*

Ignis in Siciliæ insulis. Opinor locum illum in quem est deiectus, sicuti & alia quæ in illis circa Siciliam insulis, atque in ipsa Sicilia perpetuò ardere constat, infernæ fornacis insumibulum esse, & flammas ac fumum ipsum inde à Gehennæ igne sursum versus euaporari. Si enim is ignis eiusdem cum nostro naturæ esset, vnde illi materia sufficeret, per tot iam secula assiduè flagranti? Nónne iam pridem insulas illas omnes in nihilum redegisset? Is ergo ignis est, qui ad cruciandum factus est, non ad consummendum, nisi fortè quòd consumptum, aut terroris, aut pœnæ plus adijciat. Si quis autem nosse cupit, quàm alta profunditas sit, à summo ore bullientis foraminis ad vltimum vsque inferni fundum, Theodoricum interroget, quem ideo totum præcipitium illud emensum credimus, quia nullum crimen grauius est, quàm ab Ecclesiastica dissentire veritate, & Hæresum prauitatibus implicari. Quo autem minus dubitemus, esse apud inferos tormentorum ignem, huc vsque illum nostris oculis visendum diuina prouidentia iussit promicare. *Ibidem.*

Hæreseos crimen quàm grauissimum.

Eumorphus & Stephanus Optio. Quod ita esse, Eumorphi quoque Romani Gallæ viduæ filij exemplo probari potest. Qui cùm animam ageret, clamare cœpit, dicens: Pergite citò accersitum mihi Stephanum Optionem. Ecce enim nauis ambos nunc ad Siciliam vectura in portu nos præstolatur, iam ora soluit, iam ve-

Digitized by Google

iam vela suspendit. Insanire putabatur, donec rursus morantes famulos increpans: Non insanio, inquit, agite, iam ite, si libet, & quod vos volo, perficere ne cunctamini. Dum eunt, audiunt Stephanum illum decessisse: dum redeunt, Eumorphum extinctum offendunt. Vtriusque exitus eodem temporis puncto contigit, vt talis euentus doceret, haud temere visum eos ad Siciliam euocari, vbi AEthna sicut & infernus igni flagrat inextinguibili. *Ibid. cap.* 35.

Prosequamur adhuc ignis huius non leuia visa, vt aliorum casus repetentes discamus nobis cauere. Quo tempore Gothi Italiam vastabant: Reparatus Romanus improbus magis quàm ignobilis vir, dum defunctus plangeretur, reuixit: Et mittite, inquit, ad Ecclesiam Laurentij Martyris suscitatum, quid Tiburtius presbyter agat. Vidi enim eum rogo impositum acriter torreri, vidi & alium rogum, qui flammæ mucrone cælum lambere videbatur, de flamma quoque vocem erumpentem audiui, quæ indicaret quis ille esset, cui pœna parabatur. His enarratis, repentè obmutuit, non sydere, sed morte percussus, atque iterum illuc vnde redierat abijt. Tiburtius etiam infelicem animam tunc exhalasse compertus est, de quo hominum quoque prejudicium factum fuerat, nemine non vitam illius detestante. Cùm enim Presbyter esset, nihil Presbyteri habebat, præter figuram ac nomen. Reparato autem alios admonendi, non sui à perditione liberandi copia data erat, Deo per illum cæteris consulente, vt cauerent eorum vitia imitari, quos ad Gehennam damnatos satis certo indicio cognouissent. *Ibidem, cap.* 31.

Reparatus Romanus & Tiburtius Presbyter.

In Valeriæ prouinciæ regione fuisse Curialis quidam perhibetur, qui cùm in Vigilia Paschæ filiam cuiusdam sibi amicissimi iam adultam ad Baptismum tenuisset, contracta spirituali necessitudine eam illo die secum manere petijt, concessam lautè atque opiparè accepit, & quasi à se genitæ amoris signa ostendit, longè alium amorem cælans in corde. Nocte enim superueniente, misellam nihil tale timentem inuadens, vitiauit. Cæterùm cùm

Curialis ardens in sepultura.

Digitized by Google

cùm illuxisset, tanti sceleris conscius ad Ecclesiam procedere verebatur, ne tamen de se suspicionem alijs generaret, si tam solenni festo Missæ non interesset, perrexit non cum modico diuinæ vindictæ timore: sed diei illius impunitas reliquorum securitatem suppeditauit, quasi verò malorum obliuiscatur Deus, si non ita citò castiget. Die igitur septimo post commissum flagitium, cùm sanus ambularet, repentè concidit mortuus. Cumque sepelissent eum, flamma de tumulo erumpens ardere non desijt, donec cadauer simul cum conditorio consumpsit. Hinc coniectare libet, quanto vehementiùs anima eius viuens ac sentiens torqueatur in inferno, cuius exanime & insensibile corpus comburi dignum fuit in sepulchro. *Ibidem, cap. 32.*

Petrus Monachus Hiberus.

Monachus quidam natione Hiberus, cui Petro nomen fuit, cùm non satis monasticè viueret, mortem obijt. Mox autem corpori restitutus, dixit se vidisse inferorum tormenta, perpetuumque Gehennæ ardorem. Cumque propè esset vt & ipse in ignem proijceretur, ab Angelo fuisse ereptum, & ad mortalem vitam, quam reliquerat, redire iussum, hoc addito, vt iam disceret qualiter sibi deinceps viuendum esset. In tantum itaque postea immutatus est, vt ipsa corporis maceratione se vidisse testaretur, quod tantopere timeret. *Ibid. cap. 36.*

Stephanus Romanus.

STEPHANVS Romanus vir suæ ætate illustris, Constantinopolim profectus, in valetudinem incidens vita decessit. Et quoniam ij qui illum comitati fuerant, officij gratia corpus eius ad patriam referre volebant, quæsitus est Pollinctor qui illud exenteratum sale condiret, ne in itinere putresceret. Pollinctore tunc non inuento, is qui mortuus iacebat, die postero exurrexit viuus, vixitque postea non parum diu, sed minus quàm debuit emendatè, adeò quosdam ne visa quidem horrenda ita terrent, vt corrigant. Igitur narrare solebat tunc se ad inferos deductum vidisse formidabilia illa, quæ olim audita non crediderat, & dum veluti reus ante iudicis tribunal sisteretur, dimitti iussum, reprehenso errore eorum qui ipsum adduxerant, cùm non ipse, sed Stephanus Ferra-

Stephanus Ferrarius.

rius

rius adduci iussus esset: se itaque restituto, eadem hora Ferrarium hunc vicinum suum defunctum fuisse, & tantę visionis fidem feciſſe, ne somnium putaretur. Quòd autem non se satis correxerit, hoc quod sequitur exemplo perspicuum erit. *Ibidem.*

Miles quidam.

Miles quidam in eadem vrbe Roma pestilentiæ morbo extinctus, cùm reuixisset, dixit, apparuisse sibi pontem angustum, fluuiumque subterlabentem, tetrum admodum & caliginosum, ac fœtore incredibili grauem. At verò ad vlteriorem ripam loca amœna, & quæ oculos florum varietate, nares odorum fragrantia, multum præcipueque oblectarent, tum habitacula passim disposita diuini cuiusdam nitoris ac formæ, sed inter ipsa vnum cæteris maius elegantiusque, quod totum aureis laterculis adhuc construebatur, cui autem construeretur, se scire nequiuisse. Considerasse tamen, quòd iusti pontem securè pertransirent, reprobi verò laberentur, & in fluuium ruerent. Tunc vidit (vt aiebat) Peregrinum Presbyterum tam inoffensè per angustias illas gradum tulisse, quàm hîc piè vixerat. Sed inter eos quoque qui ceciderant, quosque rapidi gurgitis spumosi vortices agitabant, vidit Petrum ecclesiasticæ familiæ Irenarcham, qui quadriennio antè obierat, ferreis vinculis complicatum, & de horribili alueo enatare frustra conantem, atque idcirco ei supplicio mancipatum audiuit, quòd reos olim, quos puniendos accipiebat, sæuiter magis quàm obsequenter punierit. Vidit & Stephanum, de quo modò diximus. Qui cùm transire pontem vellet, ad medium perueniens pedibus delapsus est, ventre adhæsit ponti. Per pedes ergo ab immundis spiritibus in fluuium trahebatur, per manus ab Angelis, ne mergeretur, tenebatur. Interim qui talia vidit, vitæ restitutus, pendentis in ponte qui finis fuerit, scire non potuit. De quo ne beatus quidem Gregorius præiudicium facere ausus, lapsum adhæsionemque tantùm interpretatur, dicens: Deorsum deprimit carnis lasciuia, sursum attollit eleemosyna. Ex ijs autem duobus quid in Stephano magis excelleret, incertũ ideo. Ideo nec totus mergi visus est, nec totus emergi.

Peregrinus Presbyter.

Petrus Irenarcha.

Stephanus Romanus.

Nos in-

Digitized by Google

Nos inde discamus, non sic incedere vt labamur, cùm tam atra & sæua sit perditionis æternæ vorago, cumque tam virosam exhalet mephitim, vt non minùs fœtore ipso cruciet, quàm vertigine fremituque ruentium aquarum. *Ibidem.*

Adolescēs secularis. Fuit Romæ in monasterio beati Pontificis Gregorij (vt idem tradit) adolescens quidam secularis, cum fratre monacho manens, ita mundanæ vanitati deditus, vt nulla piæ conuersationis præcepta admitteret; proteruus, leuis, vecors erat, vt qui magis rei familiaris defectu, quàm amore fratrem secutus esset. Hic ipse pestilentia percussus, cùm iam morieus extremos ederet anhelitus, monachis assidentibus, & pro salute eius Deum deprecantibus, magno omnes pauore turbauit, dicens: Facessite hinc, cur prohibetis ne à dracone isto deuorer, si illi datus sum? iam ignitis faucibus hausit caput meum, & stridentibus squamis, quasi serris tractim terens enecat me. Abite, quæso: nam præsentibus vobis totum absorbere non potest, & idcirco magis cruciat. Cumque admoneretur, vt se Crucis signo contra illum defenderet: Quid possum, inquit, cùm & manus pedes meos caudæ suæ spiris circumuolutos colligarit? Hoc audito fratres in terra cum lachrymis prouoluti, ardentiùs pro eo supplicare cœperunt. Inde ipse meliusculus factus, gratias Deo agere, quòd exauditis fratrum precibus, à se tam immanem bestiam effugasset, insuper vitam se aliam, si conualesceret, inchoaturum polliceri, terrenaque omnia contempturum. Conualuit, & quod promiserat præstitit, tam sanctè posthac viuens, quàm antea petulanter. Timeamus & nos crudelissimum hunc draconem, qui non tantùm caput, sed totos penitus cupit deglutire, totos perdere, & in ardentem flammis alueum demittere, vt veluti fornace conclusos torreat semper & excruciet. *Ibid. cap. 37.*

Monachus Hypocrita. Cuius quidem credulitatem subsequentis quoque casus infelicitas facit manifestam. Iconiæ in monasterio (quod Tongálathon dicebatur) monachus erat, qui simulata sanctimonia magnam apud omnes æstimationem sibi com-

Digitized by Google

sibi comparauerat. At verò cùm ægrotans ad diem vitæ suæ supremum accessisset, expauefactus fratres conuocat, hypocrisim (quam diu cælauerat) prodit. Et nunc videte, inquit, quò me perduxit diu mentita sanctitas. Ieiunijs me identidem affligi fingebam, sed occultè comedens nunquam ieiunabam, nunc inimico traditus sum. Ecce me terribilis serpens tortuosi corporis voluminibus implicatum tenet, ecce in os meum, quod clandestinis dapibus replebatur, caput indidit suum, & letifero morsu sanguinem suctans, admit spiritum. Sub hæc verba miser defecit, quibus profectò non illi, sed nobis consultum est, vt cognito hypocritæ fine, hypocrisim euitemus. Nimis animæ suæ infensus est, qui tam diri serpentis venena non perhorrescit, cùm etiam in Ieremia scriptum sit: Ecce ego mittam vobis serpentes pessimos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus. *Ibid. cap.* 38. *Ieremi. 8.*

Chrisorium Romanum, opulentum quidem, sed scelestum hominem fuisse constat, ita vt diuitijs an vitijs magis abundarit, incertum sit. Cùm autem graui valetudine quateretur, & iam expirans anxiaretur, apparuere illi terrimi dæmones ipsum certatim prehensantes, trahereque ad inferna nitentes. Qui conterritus ac tremens, Maximi filij sui opem flebiliter implorare, seque super lectum, in quo iacebat, huc atque illuc vertere miseris coepit modis. Nemo spiritus videbat, & tamen nemo ibi conuenisse dubitabat, cum illius gestus lamentaque consideraret. Postremò cùm iam amicorum auxilium desperasset, ad hostes conuersus, inducias oro, inquit, inducias vel tantum vsque manè: dum hoc poscendo ingeminat, animam exhalauit. Quàm dura igitur & inexorabilis dæmoniorum improbitas, à quibus non solùm pax nulla impetrari potest, sed neque breuissimi temporis inducię, perijsse horam arbitrantur, qua ab inferenda homini molestia fortè cessarint. Assiduus itaque & perpetuus eorum qui damnantur tortor & carnifex est diabolus, nec solum animas perditas vexans, sed interdum etiam ossa pereuntium in sepulturis quiescere non sinens. *Ibidem.* *Chrisorius Romanus.*

Digitized by Google

Valentinus curator.

Valentinum namque Mediolanensis Ecclesiæ curatorem cum Genuæ defunctus in Ecclesia beati Syri Martyris sepeliretur, noctu terribili clamore exciti custodes, viderunt per pedes vinctum foras protrahi à dæmonijs, vlulantem vociferantemque, eo visu conterriti abierunt quisque ad cellam suam. Manè verò reliquis fratribus quæ viderant referunt, & vnà cum illis adeunt Valentini sepulchrum: aperiunt, vacuum inueniunt, admirantur. Deinde extra Ecclesiam corpus eius quærentes, illic vbi transpositum fuerat, iacere conspiciunt, sic vinctis pedibus, sicuti tractum custodes dixerant. *Ibidem, cap.* 35.

Tinctor quidam.

Romæ quoque tinctor quidam in beati Ianuarij Martyris Ecclesia sepultus, nocte sequenti eiulare auditus est, & quòd arderet, grauiter lamentari. Manè adaperta sepultura, vestimenta cum quibus positus fuerat inuenerunt, corpus nusquam comparuit. Hinc considerandum, qualiter animæ illorum torqueantur in inferno, quorum corpora à dæmonum iniurijs, ne in ecclesia quidem condita, tuta esse possunt. *Ibidem, cap.* 54.

Fœmina. Monialis quædam.

Nam in Sabinorum quoque Prouincia Monialem quandam fuisse traditum est, quæ corporis castitatem seruans, linguam procacitatis vitio polluebat. Cumque diem obijsset extremum, & in Ecclesia sepulta esset, ęditus nocte intempesta Ecclesiam ingressus, vidit illam ante altare distentam secari per medium, partemque superiorem igne cremari, inferiorem verò relinqui intactam. Manè igitur visa fratribus narrans, dum locum in quo eam vri conspexerat ostendit, deprehensa sunt in marmoreo solo ardoris vestigia. Qui ergo linguæ intemperantis est, timeat tam cruentam sectionem, timeat ignem; non ignem qui tunc in Ecclesia visus est, sed qui per illum significatus est, ignem Gehennæ, quouis alio igne acriorem. *Ibidem, cap.* 51.

Ignis cruciatus. Apoc. 16.

Cuius quidem ignis tam vehemens erit cruciatus, vt ad maledicendum Creatori suo multos compellat. Sic enim in Apocalyps. relatum est: Commanducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum cæli præ

Digitized by Google

li præ doloribus & vulneribus suis. Quorum impatientiam furibundaque lamenta Isaias cernens, dicebat: Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis? Quòd si illum blasphemare non verebuntur, qui paulo antè in iudicio tam timendus apparebit, satis constabit, ipsos censere, nihil iam posse sibi inferri grauius, quam quod illatum erit. Ex immensitate ergo pœnæ capient blasphemandi audaciam. Ista præterea tanta vis doloris atque acerbitas conturbabit peruertetque in illis intellectus rationem, memoriæque vigorem. Nihil cognoscent, nisi vnde doleant, nullius rei recordabuntur, nisi cuius recordatio augebit tristitiam. Cognoscent quantum boni amiserunt, dum eos peccati non pœnitet; quantum mali subierunt, dum à committendis malis non cessant. Execrabuntur liberi parentes, quòd à se flagitijs iusta castigatione non coercuerint. Execrabuntur parentes liberos, quòd propter nimium eorum amorem, indignos se fecerint amore diuino, nihil pensi habentes Deum offendere, dum ipsis blandiuntur, propter ipsos auaritiæ cupiditatique dediti, & semper per illicitos quæstus diuitias, quas eis relinquant, comparantes. Maledicet frater fratri, amicus amico, quòd sibi perperam actorum socius comesque fuerit, & non æqui, non honesti sedulus monitor atque consultor. Maledicet filia matri, quòd impudicitiæ sibi exemplum fuerit. Maledicet filiæ mater, quòd dum eam corripiendo lædere cauet, ipsa correptionem non caueret vltionis diuinæ. Maledicet, inquam, alius alium, dū suam quisque considerat ærumnam, suæque pœnæ stimulatur aculeis. Attamen etiam quisque (vt diximus) propinquorum amicorumque tormentis quos iuxta se cernet torquebitur, mutuaque inter illos commiseratio communis afflictionis erit incrementum. Vellent pœnas eorum non videre, quibus coguntur maledicta ingerere. Sua singulis cruciatio excitabit iram, aliena multiplicabit terrorem. Quid multa? nihil ibi scietur, nihil videbitur, nihil audietur, nihil sentietur, nihil cogitari poterit, nisi quod pœnis cumulū addat, quodque afflictos magis pre-

Isaiæ 33.

Digitized by Google

mat ac vexet. Heu, heu teterrima damnatorum sors! Quanto melius cum illis actum esset, si omnia mala, quæ hic haberi possunt, pertulissent: & quæ illic habentur, euasissent? Si, sicut Adonibezech, manibus pedibusque abscissis, inutilis truncus facti fuissent: Si, sicut Sichemitæ, quos Abimelech in phano Berith compulerat, fumo & igni necati essent: Si, sicut Sedechias, liberos coram se crudeliter cædi vidissent: Si, sicut Ammonitæ, quos Dauid oppida eorum Rabba expugnato cœpit carpentorum substrati rotis, contusi atque contriti expirassent: Si, sicut Aman, de summo penè dignitatis gradu repentè ad imum deuoluti, & in crucem suspensi, ignominiosa morte vitam finissent: Si, sicut mulier illa, quæ Zachariæ Prophetæ in medio amphoræ apparuisse dicitur, plumbea massa in os indita suffocati fuissent: Si, sicut Danielis accusatores à leonibus, vel Eliszei derisores, ab vrsis: vel Achab regis vxor, à canibus membratim discerpti dilaniatique essent: Si denique, sicut illi septem Machabæi fratres, tyranno sæuiente, linguis mutilatis, capite pelle sua deglabrato, pedibusque ac manibus defectis, in sartagine fricti atque exusti fuissent. Nullum crudelitatis genus est, cuius toleratu inferorum tormenta redimi non debuerint. Introibunt enim in inferiora terræ peccatores, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Dentibus frement & tabescent, & omne desiderium illorum peribit. Et vt Amos Propheta ait: Leuabunt eos in contis, & reliquias eorum in ollis feruentibus. Atque etiam in Apocalypsi scriptum est: Fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum, nec habebunt requiem die ac nocte. Quid ergo agimus, ô anima? quid desidia torpescimus? & fallacium voluptatum blanditijs deliniti, vitæ religiosæ laborem subire cunctamur? Sit graue in paupertate ætatem agere, nisi multo grauius est siccis faucibus anhelantem vna aquæ stilla perpetuò indigere. Sit ignominiosum humilitate subijci & se nihili reputare, nisi multo ignominiosius est, omnia immundorum spirituum ludibria sine fine sustinere. Sit durum ac difficile con-

Iudith 1. *Ibid. 9.* *4. Reg. 25* *1. Par. 20.* *Esther 7.* *Zachar. 5.* *Daniel. 6.* *4. Reg. 2.* *Ibid. 9.* *2. Mach. 7* *Psal. 62.* *Psal. 111.* *Amos 4.* *Apoc. 14.*

Digitized by Google

le contempta carnis lasciuia castitati studere, nisi multo durius difficiliusque est, gehennæ flammas, abyssi tenebras, dæmoniorum iniurias, totius inferni multiplices variosque horrores atque supplicia semper perpeti, semperque perpetienda expectare, nunquam finienda. Hactenus de damnatorum pœna, nunc è diuerso de Beatorum gloria, sicut proposuimus, dicere aggrediamur, vt si quem fortè tantæ perditionis metus ad bene beateque viuendum non satis mouet, moueat saltem promissi præmij spes, cælestiumque cupiditas gaudiorum.

De Beatorum gloria. CAP. XV.

Claritas corporum.

ILLI igitur, qui post mirabilem corporum suorum resumptionem ad possidendum æternitatis regnum à Domino euocati fuerint, iam primum multo splendore renitent, ac veluti lucentia sydera Solem iustitiæ comitantes, Angelorum mixti agminibus cælum versus ferentur. Inerit sacris artubus infusa beatitudinis fulgor, dum eos Maiestatis diuinæ aspectus ita illuminat, sicut Sol iste, quem videmus, Lunam ac stellas. Quòd si Moysi facies ex colloquio diuino sic radiabat, vt multorum oculi præstringerentur, nec in eum tueri possent, cùm tamen ille corpore corruptioni obnoxio ac mortali adhuc in terra degeret: quanto lucidiores facies eorum erunt, quorum corpus immortalitatem induet & incorruptionem, qui nunquam à Deo separabuntur, qui non terram hanc, sed terram viuentium, id est, cælestem patriam semper inhabitabunt, iam ciues facti Sanctorum, & domestici Dei, & cohæredes Christi? Fulgebunt ergo iusti (sicut scriptum est) & tanquam scintillæ in arundineto discurrent: tunc semet-inuicem admirabuntur, & mutuo affecti gaudio dicent: O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! De hac sanè illorum claritate prophetabat Baruch, dicens: Stellæ dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus, & luxerunt ei cum iocunditate qui fecit illas, hic est Deus noster. Et Daniel: Fulgebunt,

Sapient. 3.

Ibid. 4.

Baruch 3.

Dan. 12.

gebunt, inquit, quasi splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas æternitates. Hoc idem testatus est ipse
Matth.13. Dominus, & ait: Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno
Isaiæ 30. Patris eorum, Solem autem septempliciter lucidiorem futurum prophetica nobis vox attestatur. Hoc ergo Sole, in quem prospicere visus noster non sufficit, multo clariùs coruscabunt corpora iustorum. Quod vt in-
Matth.17. dubitanter crederetur, idem Dominus in seipso manifestum facere voluit, quando in monte & Sole lucidior & niue candidior apparuit. Nec splendor ille fuit, qui tædium oculis adferret, sed qui tanta mentem Apostolorum dulcedine perfunderet, vt Petrus ibi construi tabernaculum sedemque perpetuam sibi constitui expetierit, & cum ipso fulgente in deserto vel solus permanere, quem non fulgentem in ciuitate celebriqueque in loco etiam nosse denegauit. A Patre luminum splendorem istum oriri, & per Filium Sanctis communicari, ipse Filius ad Patrem loquens confitetur, cùm ait:
Ioan.17. Claritatem quàm tu dedisti mihi, dedi eis, non quòd aliquando ipse claritatem non habuerit, sed quòd à Patre eam etiam acceperit, qua nunquam caruit: Veruntamen pro meritorum mensura claritas ista singulis impertietur: vt quisque plus lucis capax fuerit, ita plus accipiet. Et sicut cæteris beatitudinis dotibus alij alios antecellent, ita & hac splendoris gloria, dicente Apo-
1.Cor.15. stolo: Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Nec tamen diuersitas gloriæ inuidiam inter eos parere poterit. Nam quamuis alius
Psal.16. alio plus hauriet, omnes æquè pleni erunt. Satiabor (inquit Propheta) cùm apparuerit gloria tua. Denique nullus erit ibi liuori locus, vbi perfectus amor etiam minores præstantioribus aliorum bonis ita gaudere compellet, vt suis. Rursum idem Apostolus, omnia beatitudi-
2.Cor.3. nis insignia in Deum referens, ait: Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tan-
Philip.3. quam à Domini spiritu. Et iterum: Saluatorem expectamus,

Digitized by Google

mus, inquit, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem qua etiam possit subijcere sibi omnia. Ioannes quoque Apostolus ille, qui in sepulchro positus fulgere cœpit: Scimus, inquit, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. *1. Ioan. 2.*

Præter claritatem istam, & hoc beato corpori accedet, quòd nihil penitus in se habebit, quo grauari retardarive aliquando possit, semper præpes atque agile erit, vt ibi præstò sit, vbi voluerit, quasi qui oculis aut cogitatione (cùm libitum est) multa terrarum spatia momento temporis percurrat, atque adeò ipsas mundi regiones, Orientem, Occidentem, Meridionalem, Septentrionalemque cæli plagam quàm celerrimè peruagetur ac lustret. Scriptum est enim: Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum. Cuius quidem doni spe atque expectatione exhilaratus Abacuc Propheta ait: Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum. Et super excelsa mea deducet me victor, in Psalmis canentem. Hoc idem Isaias prophetando promittit, dicens: Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas sicut aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient. Mutabunt, inquit, fortitudinem, quia nemo nunc ita fortis, vt sine peccato esse possit, ne puer quidem vnius diei. Tunc autem nemo erit cum peccato, nemo ibi peccare poterit, vbi nulla iniquitas prævalebit. Pennas verò aquilæ illis tribuendo, gressus eorum velocitatem expressit. Ne lassitudo aliqua fatigatione itineris timeretur, non laborabunt, ait, neque deficient. Leue quippe & expeditum corpus erit, quia excusso omni penitus terræ puluere, totum defæcatum, totum purum, & ab omni prorsus labe alienum, mortalitatis corruptibilitatisque naturam in immortalitatem & in incorruptionem conuertet, vt diuinum potiùs quàm humanum sit. Quamobrem non solùm *Agilitas corporum.* *Psal. 126.* *Abacuc 3.* *Isaiæ 40.*

Digitized by Google

refulgens ac leue agileque erit, sed etiam impassibile, suaue olens, penetrabile, subtile, attamen palpabile.

Apoc. 7. Impassibilitas corporum.

Impassibile erit, quia in Apocalypsi scriptum est: Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, neque vllus æstus, quoniam Agnus, qui in medio Throni est, reget illos, & ducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà, non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà quæ prima

Apoc. 21. obierunt. Et dixit qui sedebat in Throno: Ecce noua facio omnia. Et vt sciamus gratiæ munera ista esse, non naturæ, ait: Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Idem in Isaia legimus, ac penè ijsdem verbis scriptum:

Isaiæ 49. Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & & Sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.

Suaue olẽtia corporum. Cant. 3. & 4.

Suaue etiam olens erit. Quia in Cant. Canticorum de Sponsa, id est, de Ecclesia canitur: Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus Myrrhæ & Thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Et iterum. Odor, inquit, vnguentorum tuorum super omnia aromata. Quòd si nunc etiam videmus beatorum corpora in sepulchris posita atque ex anima magis egregiè fragrare amomo Assyrio & thure, & Myrrha, & balano, & cardamo, & nardo, & opobalsamo, & omnibus splenijs: quanto præstantiùs fragratura eadem crediderimus suis animabus iuncta, supra cælum sublata, ante conspectum summi Dei viuentia & lætantia?

Penetrabilitas & subtilitas corporum.

Penetrabile præterea & subtile erit, neque tam corporeum corpus quàm spiritale, vt quemadmodum aqua pisci, & aër volucri, ita illi quæque solidiora cedant, & (quod mirabilius est) sine fractura, sine apertura peruia sint, veluti cùm solares radij permeant vitrũ vel lapidem specularem, vel aliud perspicuum, nõ offensa eius materia, neque vlla in parte læsa. Sic enim & Saluator noster

Ioan. 20. Luca 24. non aperto sepulchro cùm surrexisset exijt. Sic ad Discipulos clausis ianuis ingressus est. Et ne phantasma putaretur: Palpate & videte, inquit, quia spiritus carnem & ossa non

Digitized by Google

ossa non habent, sicut me videtis habere. Itaque post resurrectionem eiusdem naturæ corpora Sanctorum erũt, cuius fuit corpus Christi, vt membra sua capiti suo conueniant, & digna sunt quæ in Deo manent, & in quibus habitet Deus.

Post hanc corporum prærogatiuam cumulabitur gratia gaudiumque perpetuum ex loci præstantia, iustorum consortio, Angelorum societate, malorum euacuatione, repletioneque bonorum, Deique cõspectu. Locus igitur beatorum sicuti sublimior cunctis est, ita & pulchrior, nobilior, amplior, atq; splendidior. Hic quippe supra cœlos est, & terra viuentium dicitur, vt terram istam, in qua nunc sumus, morientium, non viuentium, esse intelligas, & eò ascendere, vbi vera vita est, concupiscas & enitaris. Quòd si in ista etiam terra quædam & visu iucunda, & vsu grata esse non negamus; quanto in illa, quæ suprà est, omnia tum iucundiora tum gratiora existere dixerimus? Laudantur multis in partibus florentes campi, fœcundi colles, ameni valles, montes argenti, auri, gemmarumque feraces, piscosa maria, molliter labẽtia flumina, perspicui fontes, dulces aquarum scatebræ, diffusi lacus, non insalubria stagna, præstantissimæ etiam vrbes, & in ijs delubra, fora, porticus, cæteraq; ædificia, cum marmorum specie tum artificum opere mira. Et si tot egregia in hoc infimo visuntur elemento, quanto omnia excellentiora esse credi par est illo in loco, qui cũcta supereminet elementa, qui cuncta sibi subiecta, & quasi sub pedibus posita despicere videtur, & sua sublimitate se omnium nobilissimũ profiteri, quem summus & immortalis opifex fabricauit atque ornauit Deus, vt esset Angelorum sedes hominumque beatorum domicilium sempiternum. Videmus ista etiam quę sub cœlo sunt, Solem, Lunam, sydera, cuncta terrena corpora luce sua formositateque superare, nec dubitamus ea quæ supra cœlum sunt, longè illustriora formosioraque esse, quę mortales oculi videre nõ possunt. Nouimus prẽterea concepti formatiq; hominis primam habitationẽ maternum vterum esse; secundam, hunc terrarum orbẽ;

Digitized by Google

tertiam, si sanctè pieque vixerit, regnum ipsum cęlorum. Quanto igitur primam secunda, tanto secundam tertia superat decore, claritate, amplitudine. Prima quoque in vtero habitatio nouem mensium est, secunda in terra, cũ longissima, centum annorum est. At verò tertia in cœlo perpetua est & æterna, nullo temporis spatio concluditur, nullo annorum numero terminatur. Quæ quantum cæteras diuturnitate præcellit, tantum etiam operis pulchritudine, materiæ nobilitate, naturæ virtute, bonisque omnibus præcellere putanda est. Quid quòd mundus homini simillimus sit, adeò vt à principibus Philosophiæ viris homo ipse microcosmus nuncupetur? Sed in homine ipso apparet, vt quæque membra infirma sunt, ita minus insignia esse minusque habere decoris. Infima sũt pedes, femora, inguina, venter: suprema sunt pectus, manus, collum, facies, vertex: & hæ quidem partes nudæ sũt, vt quas formæ suæ minimè pudeat: illas verò quasi erubescentes plerumque tegimus, & operimentis celamus. Inferiora autem nullum sensum præter tactum habent: at in superioribus cuncti pariter sensus conuenere. Cor sedet in pectore, vbi cogitationum conceptaculum est animique passionum. In manibus præter tactum, qui toti corpori communis est, etiam perfectio earum voluntati est, quæ operationem exigunt. In collo siue palato gustus est, quo sapores discernimus: lingua, qua vocem formamus. In facie odoratus, visus, auditus. In vertice intellectus, quo Deum cognoscimus: memoria, qua præterita recordamur: voluntas qua à malè agendo declinamus, & ad bene beateque viuendum disponimur. Animaduerte igitur huius minoris mundi, id est, hominis, quanto superiora inferioribus ornatiora generosioraque ac meliora sunt: ita maiorem quoque mundum te habere crede, vt quantum cœlum distat à terra, tantum quoque & cœlorum regnum à regnis terræ, rerum omnium copia atq; magnificentia distare nunquam dubites. Quin potiùs cũ Baruch Propheta attonitus exclama: O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus. Vel illud

Bar. 2.

Digitized by Google

illud cũ Psalmista: Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Et: Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudine dierum. Adhæc etiam nemo ignorat, inferiora ista per illa superiora regi & gubernari. Inde nobis dies, inde nox, inde numeramus annos, inde anni partes distinguimus, inde discernimus menses, inde terra concipit, inde animantibus alimenta supeditat. Multo ergo nobilior locus vnde talia donantur, quam hic qui recipit donata. Hic certè sine illius munificẽtia ac liberalitate stare non posset, ille verò nulla huius ope indiget, neque quicquam pro quotidianis beneficijs repetit, sed etiam multa bona largiendo, ad plura possidenda sursum nos inuitat, seque nobis vltro offert, & si per viam quæ ad illum ducit contenderimus, bonis eius perfruemur. Cuius quidem pulchritudinem Propheta admiratus, dicebat: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locũ habitationis gloriæ tuæ. Et: Quàm dilecta tabernacula tua, Domine Deus virtutum: cõcupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Et: Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Postremò si loca ipsa ex ijs qui in ipsis manent considerauerimus, (debet enim domus forma habitatoris personæ dignitatiq; respondere) omnis terræ pulchritudo cœlestis machinæ pulchritudini collata deformitas erit. Hic mortalium habitatio est, illic immortalium, hic peccatorum, illic iustorum: hic hominum, illic etiam Angelorum, etiam Dei. Superni ergo cœlestisque habitaculi elegans & ineffabilis decor, & nulli comparanda structura, & omnibus lignis, omnibus gẽmis, omnibus metallis magis excellens materia, pars magna gaudij lætitiæque beatorum erit.

Psal. 86. *Psal. 92.* *Psal. 25.* *Psal. 85.*

SED profectò magis etiam gaudebunt sua inter se societate sanctorumque Angelorum, Electus gloriosusque conuentus immensam singulis pariet animi voluptatem. Illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini. Illic sunt primi parentes nostri, illic Patriarchæ, illic Prophetæ, Sacerdotes, Duces, Iudices Reges, Reliquique veteris

Societas Sanctorũ. *Psal. 17.* *Ioan. 1.*

Digitized by Google

teris legis obseruatores, non per legem, sed per gratiam, quæ successit legi, beatitudinē adepti, quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Illic itaque cum Christo & Apostoli eius sunt, & Pōtifices, & presbyteri, & Diaconi, & Monachi, & Anachoretæ, & Martyres, & Virgines, & Viduæ, & omnes Christi serui, omnesque fideles, qui fidem synceram, & spem firmam charitatem veram in fide non deseruere. Hi omnes tam veteres quàm noui, quoniam verique vnū in Christo sunt, concordi inter se consortio lætabuntur, paresque animis ac voluntate delectabuntur (vt Propheta ait) in multitudine pacis. O si modò, sicut speramus, eò conscenderimus, quale nobis gaudium erit, viuos præsentesque cernere in cœlo quorum nunc ossa in sepulchro iacentia, multorum interdum dierum multique periculi peregrinationibus videre expetimus, visaque veneramur? Quanta iucunditas erit, loquelas eorum audire, quorum nunc scripta admiramur? Qui si mortali adhuc ore tam comptum elegantemque sermonem edere consueuere: quanto dulciore nunc iubilant sono, cùm mortis expertes sunt, cùm nihil terrenum sapiunt, sed tātùm spiritalem diuinamque sapientiam mente concipiūt incorruptibili. O quantum oblectamentum erit, eorum nunc consuetudine familiariter vti, quos tametsi nunquā viderimus, memoriam tamē ipsorum festis, ceremonijs, ritu que solenni celebramus.

Psal. 36.

Societas Angelorū.

Quid præterea de societate Angelorum dicam? Vnum quandoque sub hominis figura conspexisse, magni miraculi loco habetur: sed quid miraculi erit, eos in propria imagine videre? Nam & hoc beatis oculis datum erit, vt cernere angelicos spiritus possint, & non vnum tantum, aut duos, aut tres, sed tot millia millium, & quorum numerum scit ipse qui creauit. Deinde quo ordine disponantur, quibus discernantur dignitatibus, qua quisq; præstet autoritate. Hic sunt Angeli, illic Archangeli, alibi Throni, alibi Dominationes, alibi Virtutes, alibi Potestates, alibi Cherubin, alibi Seraphin, Gabriel, Raphael, Michael, & si qua alia sunt illorum nomina, qui in cœlo sunt.

Digitized by Google

lo sunt. O iucũdissimum spectaculum, in quo licebit nobilissimam Dei creaturam ineffabili visionis dono clarè intueri, & cum ea fraterna iam charitate coniungi, consortioque eius perpetuo frui, & vnà cum ipsa communè Dominum semper laudare, in Psalmis & Canticis illis, quorum iublius omnia musica instrumenta superat suauitate: & non tubæ, non cytharæ, non lyræ, non cymbala, non tympana, non nabila, non organa, non symphoniæ, non sambucæ, non Psalterium, non cornu, non vlli qui in terra sunt hominum auium ve cantus illi valent comparari. Cunctis dulcius est angelicum melos, cunctis iucũdior beatorum vox, cunctis delectabilior canticis cœlestis festinitas, Alleluyaque sempiternum.

Sed quid tandem de ipsa Virgine beata loquar? Quàm etiam iucundum erit, sacram eius micantemque faciem cernere? quæ pulchrior est quàm Luna, fulgentior quàm Sol, cuius decorem Angeli mirantur, Sancti obstupescũt, vtrique honorant. Hæc est cœli Regina, stellis coronata. Sole amicta, supra omnes mulieres benedicta. Hæc est Dei mater, & tamen Virgo, ipsum genuit, per quem ipsa facta fuit, imò per quem facta sunt omnia. Hæc est virga de radice Iesse, de qua flos ascendit Christus. Hæc terra, quæ germinauit mundi Saluatorẽ. Hæc porta clausa, per quam non apertam Dominus Deus Israel ingressus est. Huius virtus, huius gloria talis est in cœlo, vt ordinatæ castrorum aciei comparetur: quòd sanè partim ad ipsam partim ad comitatum ipsius aptè accommodateque referre possumus. Ad ipsam, quia nihil post Christum ita compositum est, ita ordinatum, ita omni fortitudine, omni bonitate, omni gratia plenum: ad Comitatum, quia Virgines Virgini assistunt, seruiunt Sancti, Angeli quoque ancillantur, & ipsa innixa super dilectum suum omnibus præsidet, præ omnibus conspicitur sublimis, quoniam sublimissimus est, qui de ipsa nasci dignatus est.

Societas Virginis beatæ.

Isaiæ 11. Ibid. 45. Ezec. 44. Cant. 6.

Eleuata est enim magnificentia eius super cœlos, vt sit sanctæ Ecclesiæ caput, & Sacerdos, & Dominus. Per ipsum accessus patet ad Patrem, quia Dei & hominũ media-

Psalm. 8.

Societas Christi.

Digitized by Google

diator est, & Dei Filius, & imago, & virtus, & sapientia,
Galat. 3. & lux, sedens à dextris Maiestatis eius, ipsi omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, ipsum omnis spiritus laudat, omnis lingua confitetur, quia ipse est Verbum, in quo cõdita sunt vniuersa (sicut Apostolus
Coloss. 1. inquit) in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Ipse Redemptor, ipse Saluator noster, ipse salus nostra, pax, gaudium, beatitudo. Cum illo habitabunt Sancti in hæreditate cœlesti, in lumine inenarrabili, in gloria sempiterna. Ait e-
Ioan. 12. nim: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Et: Pater
Ioan. 17. quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecũ, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. O felix societas hominum & Angelorum, & præ omnibus desiderabilibus magis desiderandum consortium, vbi & Virgo Dei mater & Christus Dei Filius, non in imagine picta aut ficta, nec sub aliena specie, sed in propria forma proprioque decore conspicui præsentesque apparent, & ab omnibus illa honoratur, hic colitur & adoratur. O plenum perpetui gaudij spectaculum, & nullius vnquam aduersi particeps felicitas! Procul est à te omnis solicitudo, omnis metus, omne periculum, procul omnis labor, omnis dolor, omne tædium; nullus tibi proximat morbus, nulla te infestat ægritudo, nullus inquietat hostis, nulla cõturbat contentio, nullum vexat odium, nullum tentat vitiũ abest æstus, abest hyems, abest tempestas, abest omnis vẽtorum imbrium que procella, omnisque maligni aeris intemperies. Nemo est qui de casu aliquo sorteve conqueratur, nec qui sibi præter id quod habet, amplius optet, iucundius desideret, melius concupiscat. Tecũ est quies & securitas, gaudium & gratia, salus & pax, concordia & charitas, iustitia & virtus, ver perpetuum, amœnitas perennis, & indicibili suauitate cuncta permulcens sancti Spiritus aura. Omnes in te exultant, omnes iubilant, oẽs omnibus bonis plenos esse, ac semper fore se agnoscunt.

Hoc

Digitized by Google

Hoc illis præstat clara visio inuisibilis Dei, & lucis illius inaccessibilis gratuitus conspectus. Quanquam diuinus Euangelista Ioannes dicat: Deum nemo vidit vnquam. Et vas electum Paulus: Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Quæ quidem dicta sic accipienda sunt, vt vel ad maiestatis eius immensitatem referantur, quam nemo comprehendere potest, nisi qui immensus est: vel ad eam formam, quæ corporis oculis cerni nequit, quia Deus spiritus est, & sicut in spiritu eum adorare oportet, ita & spiritu aspicere, vt qui carneis oculis inuisibilis est, mentibus beatis visibilis fit, & hoc quidem verè aperteque, sed modo mirabili atq; inaudito, & qui verbis exprimi nō potest. Hinc sanè idem Apostolus, qui Deum à nemine videri posse dixerat: Videmus, inquit, nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Et ille quoque qui Deum à nemine vnquam visum asseruerat, rursum ait: Charissimi, nunc Filij Dei sumus, & nōdum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et iterum: Serui eius seruient illi, & videbunt faciem eius. Et ipse Dominus in Euangelio: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: Discipulis quoque rogantibus ostendit sibi Patrem, respondebit primò id quod credere debeant: Ego in Patre, & Pater in me est. Deinde quod sperare: in illo die, inquit, vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. O immensam erga nos diuinæ bonitatis charitatem: in hominibus manere dignabitur, vt ab hominibus cognoscatur, cognitus videatur, visus beatos efficiat. Vnde sequitur: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Diligit nunc nos Dominus vt credamus, postea diliget, vt quod credidimus, manifestè videamus, qua scilicet visione & Angeli semper vident faciem Patris qui in cœlis est. Dabit ergo nobis credentibus Paracletum Spiritum, vt maneat nobiscum in æternum. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia

Societas Dei.
Ioan. 4.
1. Tim. 6.
Quomodo videtur Deus.
Ioan. 4.
1. Cor. 13.
1. Ioan. 3.
Matth. 5.
Ioan. 14.
Matt. 18.
Ioan. 14.

Digitized by Google

quia non videt eum, nec scit eum. Nos autem cognoscemus eum, & apud nos manebit, & in nobis erit. I nunc insane seculi amator, dilata tibi honorum philacteria, magnifica iactantiæ tuæ fimbrias, cumula opes, posside regna, impera terrarum orbi: nunc quàm tam magnus eris, vt te conferre possis cum Christi amatore, qui accipit quod mundus nó potest accipere, & videt & scit, quæ tu neque videre neque scire potes. Tu cum pompis & delitijs mox deficies, ille cum suis semper erit. Delitiæ tuæ terra tecum simul transibit. Delitiæ tuæ Deus stabit in æternum, cum illo permanebit, & in illo erit. Nihil ei vnquam ad beatitudinem deesse poterit, cui semper tam præsens propitiusque aderit omnium bonorum omnisque perfectæ felicitatis largitor Deus, Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi. Beati ergo, non qui terrenum & caduceum regnum obtinebunt, sed qui cœleste & æternum. Hi quippe videndo illum, qui summum bonum est, omnibus quæ desiderantur bonis replebuntur, incorruptione, immortalitate intellectus, illuminatione, cordisque lætitia sempiterna, beatitudineque perfecta. In lumine videbunt lumen, in in Deo Dei verbum, & ab vtroque procedentem Spiritum. Intelligent quomodo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sint vnus Deus, discreti in personis, vnum in substantia. Aperientur eis mysteriorum libri, & secreta cœlestis arcani pandentur, vt quod nunc fide tenent, tunc sicuti est videndo intelligendoque agnoscant. Audient arcana illa verba, quæ non licet homini loqui. Deniq; quod Oratorum princeps Demosthenes, aut par illi in dicendo Tullius nunquam eloqui potuissent, quod gentilis Philosophiæ antistes Plato, aut ipso argutior Aristoteles nunquã inuestigare valuissent: hoc minimus inter cœlestes patriæ ciues deprehendet, intelliget, tenebit, possidebit, dicente Domino per Prophetam: Dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt scias, quia ego Dominus. Oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quantum aut quale sit bonum illud, q̃ præparatum est iustis, quod fidelibus repositum est in thesau-

Psal. 111.

2. *Cor.* 12.

Isaiæ 45.

1. *Cor.* 2.

Digitized by Google

sauris æternitatis. Cui Apostolicæ sententiæ adstipulatur Isaias Propheta, dicés: A seculo non audierunt, neq; auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te. *Isaiæ 64.*

De reuelationibus cœlestis Beatitudinis.

CAP. XVI.

IMmensam quidem & inenarrabilem esse gloriam illam, Sanctorum quoq; nobis exempla certis manifestisq; argumétis ostédunt. Iacob in quiete scalã vidit de terra ad cœlum vsque extensam, Angelosque per eam ascendentes ac descendentes. Vidit Dominum scalæ innixum, sibique benedicentem, & euigilans ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam, simulque obstupefactus. Quàm terribilis est, inquit, locus iste? non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cœli. Somnians ergo imagines menti oblatas vidit, & tanta demum admiratione correptus fuit. Quod si beatos spiritus & inuisibilem Deum, non in imagine, sed in veritate, in qua ab ijs qui in cœlesti regno sunt, videntur, conspexisse? *Iacob. Genes. 28.*

Idem cum viro luctatus, marcescente, tacto ab eo femoris neruo, claudicauit. At vbi in viro Deum agnouit, gloriatus est, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Cõtempsit exteriorem corporis læsionem, dum ex præsentia Dei intus in mente exultat, dumque animæ salute lætatur, membri non sensit detrimentum. Sed quanto magis tunc exultasset, si claram non adumbratam faciem Dei vidisset, & salutem tam animæ quàm corporis perpetuam perennemque fuisset assecutus. *Idem. Genes. 32.*

Moysi Dominum in flamma Rubi apparuisse legimus, atque ad se accedenti dixisse: Non appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est, & ego sum Deus patris tui, Deus Abraã, Deus Isaac, Deus Iacob. Expauit ille tãti nominis horrore perculsus, nec iam aspicere flammam audebat, ad quã ausus fuerat accedere. Quam magna igitur cœlicolarum *Moyses. Exod. 3.*

Digitized by Google

felicitas, quibus nec accessus denegatur, nec visionis diuinæ fruitio subtrahitur?

Idem. Exod. 33. Sub alijs quoq; creaturâ formis latens Creator Moysi apparebat, & (vt testatur Scriptura) loquebatur ad eum facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum, & tamen ad ipsũ Moyses: Si inueni gratiam in conspectu tuo, inquit, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos. Et iterum: Ostende mihi gloriam tuam. Quibus verbis indicatur, tametsi figuram ignis aut nubis cerneret, & inde vocem emissam audiret, non tamen se faciem illam videre, quam in Paradiso beati vident. Vnde respondit Dominus: Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & viuet.

Idem. Exod. 24. Post hæc Moyses de monte Sinai descendens, cùm ad populum verba faceret, apparuit ficut (scriptum est) facie cornuta ex consortio sermonis Domini. Ea cornua quosdam lucis radios fuisse exponunt. *2. Cor. 3.* Et Apostolus gloriam vultus eius appellat, qua luce ita illorum ad quos loquebatur visum præstringebat, vt nisi velatus aspici nõ posset. Et si tantus gloriæ splendor in hominis adhuc mortalis vultu effulsit, quanto fulgentiores futuros putamus vultus eorum, qui induent immortalitatem? qui non momentanea & breui, vt olim Moyses, sed perpetuò & in æterna mansione cum Deo erunt, & faciem quam ipse videre non poterat, clarè aperteque spectabunt.

Idem. Num. 12. Sunt tamen quidam, qui Moysi Deum clarè & secundùm naturam suam quandoque apparuisse asseuerent, ex eo quod dicitur: Palàm, & non per ænigmata & figuras Deum videt. Dictum est autem, non quòd Dei essentiam viderit, sed quod colloquijs eius vsus sit simplicibus & apertis, nõ per somnium neque per ambages verborum, aut res aliud quàm ostendunt significantes, vt tanto cæteris Prophetis prælatus videatur, quantò minus obscura oracula meruerit accipere.

Elias Propheta. ELIAS curru igneo per turbinem in cœlum raptus videri potuit beatus, quoniam non est morte solutus, ne

ficuti

Digitized by Google

sicuti cæteri omnes ante Saluatorem, ad inferna descenderet. Sed quanto illi beatiores erunt, qui resumpto corpore obuiam Christo in aera rapiẽdi sunt, nec vt ille per turbinem, sed per resurrectionis gloriam, nec vt ille in cœlum, sed supra cœlum, nec ideo beati futuri, quia ad inferna non descendent, sed quia diuino semper fruentur conspectu. Vis nosse quantum inter se differant? & ipsi in fine moriendum est, Antichristo perimente, deinde resurgendum Christo resuscitante, vt ad solidam hanc (de qua loquimur) consummatamque perueniat felicitatem. 4. Reg. 2.

EZECHIEL Propheta vidit super firmamento sedentem in Throno, & cùm multa alia quæ viderat enarrasset, postea intulit: Hæc visio similitudinis gloriæ Domini. Quantæ autem admirationis, quantive mysterij sint ea quæ vidit, legere possumus, explicare non possumus. Et si tam stupenda gloriæ similitudo, qualis quæso ipso gloria? Et si similitudinem videns, territus (vt ipse fatetur) cecidit in faciem suam, quomodo sustinuisset eius, qui sub illa similitudine latebat, Maiestatis conspectum? Nisi fortè eodem spiritu confirmatus, qui iacentem erexit, de quo ait: Et ingressus est in me spiritus, & statuit me supra pedes meos. Ex quo coniectare libet, quanto illi fortiores sint, qui gloriam ipsam videntes exultant, si hic similitudinem tantummodo eius videns tam vehementer timuit. *Ezechiel Propheta.* *Ezech. 1.* *Idem 2.*

PORRO vt iam perfectioris gratiæ vtamur documentis, ipse Dominus noster Iesus Christus coram Petro, & Iacobo, & Ioanne in monte transfiguratus refulsit, ita vt splendorem illius cernentes, futuræ beatitudinis dulcedinem degustarent, & bonum esse nobis hic esse dicerent. Nondum plenè gloriam eius videbant, sed tantùm quoddam gloriæ simulachrum: & tamen vbi ipsum sic coruscantem viderunt, ibi cum ipso quamprimum permanere exoptarunt. Moysen & Eliam circa eum stare conspiciunt, & ecce quos nunquam antea viderant, diuino fulgore mentem illuminante agnoscunt. Exclamat Petrus: Domine si vis, faciam hic tria tabernacula: tibi *Christus.* *Matt. 17.* *Luc. 9.*

Digitized by Google

vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum: cur quartum sibi fieri nō petijt? quia sub eodem tabernaculo cum Domino habitare concupiuit, cuius aspectum tantæ suauitatis esse persensit. Sed cur ab eo Moysen & Eliam seducebat? vt ostenderet sufficere sibi solùm Christum. Cæterùm vt imbecillitatem humanæ naturæ agnoscamus, nubis luci dæ superuentu, & de nube diuinæ vocis sono conterriti Apostoli, in faciem ceciderunt. Maiora itaque restabant quæ nondum sustinere poterant, & quibus nunc glorioſi fruuntur.

Stephan⁹ Protomartyr. Actor. 7.

CHRISTVM tamen cum gloriæ suæ sublimitate Stephanus primus Martyr ante vitæ finem vidisse creditur. Sic quippe de illo legimus: Cùm esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dexteris Dei, & ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dexteris virtutis Dei. Plenus igitur Spiritu sancto sit oportet, qui vult videre Christi gloriam. Cuius visa iucunditate captus Stephanus cum lapidaretur, non vt mortem euaderet orauit, sed vt per mortem cum Christo viuere inciperet, dicens: Domine Iesu, suscipe spiritum meum.

Paulus Apostol. 2. Cor. 12.

PAVLVS quoque Apostolus gloriam Dei vidisse creditur, sed ad tertium vsque cœlum raptus, idque vtrum in corpore an extra corpus sibi contigerit, nescit: & cum ita sit, manifestum est, ad videnda que vidit, & audienda quæ audiuit, non sensibus corporis vsum, sed alio quodā sensu longè puriore diuinioreque. Et audiui, inquit, arcana verba, quæ non licet homini loqui. Profectò si aure audisset, & lingua eloqui valuisset. Sed supernæ gloriæ bonum maius est, quam vt ijs instrumentis aut percipi queat, aut exprimi possit.

Ioannes Apost. Apoc. 1.

IOANNES in Apocalypsi se in cælo fuisse testatur, nō tamen cum corpore, sed in spiritu. Ibi vidit sedentem in throno, voces audiuit, sensit tonitrua, lampades conspexit, & quatuor animalia Deum laudantia, & viginti quatuor Seniores, honorem officiumque deferentes sedenti in throno. *Apoc. 4. Idem 21.* Vidit sanctā ciuitatē Ierusalē tanquā sponsā ornatam viro suo Christo. In qua neq; luctus, neque clamor

Digitized by Google

mor, neque dolor, neq, mors erat, sed gaudiũ, pax, quies, vitaque sempiterna. Cuius muri ex lapide pretioso, ipsa aurum mundum, templum eius Deus omnipotens & Agnus. Claritas Dei illuminat illam, & lucerna eius est Agnus, Non intrabit in ea, inquit, aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium. Vidit fluuiũ aquæ viuæ procedentem de sede Dei & Agni, de quo in Psalmo dicitur: Fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei. Vidit lignum vitę reddens fructum & folia ad sanitatem eorum, qui seruient Deo, & faciem eius intuebuntur, & nomen eius frontibus inscriptum gerent. Non egebunt, inquit, lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in secula seculorum. Quàm præclarè Apostolus reuelatam sibi supernæ gloriæ descripsit dignitatem? Audimus quidẽ verba, consideramusque Mysteria & miramur. Sed vbi sunt, quæso, illa ineffabilia? Profectò si omnium insuper hominum linguæ hac de re sola quotidiè loquantur, semper bonum illud residuum erit, quod dici non potest, quodque omnem exuperat fandi pariter & scribendi facultatem. *Idem 22. Psal 45. Apoc. 22.*

Idem Apostolus iam ferè centenarius senex, cùm supremus vitæ dies vrgeret, sepulturam sibi parari iussit, quam dum palàm intrat, ingenti lumine diuinitus operitur. Lux recessit, sed ipse non comparuit. Locus in quo se animam redditurus collocauerat, Mãna adhuc scaturire cernitur. Illum itaque cum corpore ad cœlum assumptũ credimus: tum quia nusquam terrarum reliquiæ eius ostenduntur, tum etiam quia non incógruè assumptus videtur: Nam quemadmodum beata Virgo carne & spiritu sanctificata post Filium, quem genuit supra cœlum ascendit: sic decuit, vt etiam iste adoptiuus filius, carne & spiritu sanctificatus, sanctam sequeretur Matrem, & integer eò perueniret, quò ipsa, cui cõmendatus fuerat, integra abijt. En quanto largior noui quàm veteris Testamẽti gratia. Tulit Deus cum corpore Enoch, tulit Eliam, sed vt differret mortem eorum, non vt auferret. Ioannes verò ita sublatus est, vt amplius mori non posset. Illi *Idem.*

Digitized by Google

futuram in fine corporum resurrectionem expectant, hic multo antè præuenit, prius resurgens, quàm esset sepultus, priùs cœlum penetrans quâ putaretur mortuus. Nec mirum si feruens oleum membris illis nocere nõ potuit, quæ tanto priuilegio mox donanda erant.

Petrus Apostol. In Petri Apostoli Martyrio à multis Angelos visos tradunt, coronas illi rosarum liliorumque porrigentes, atque etiam iuxtà stantem Christum, apertumque librum manu tenentem, in quo ea scripta conspiciebantur, quæ Petrus ad populum fando expromebat, & dum plebs eũ subtrahere neci vellet, ne oblatam sibi gloriam impediret, petijt. Sed quota hæc beatitudinis eius pars? quæ tãtum ad fidelium consolationem, vel infidelium conuersionem, se ostendit, cùm ille etiam inuisibilibus intra se iam frueretur bonis, quæ pleniùs liberiùsque amplecti affectans, crucifigi optauit, & tam immane supplicium gratanter subijt, neque mors ei grauis, sed dilatio mortis erat.

Paulus Apostol. PAVLI Apostoli caput à corpore dissectum, ter per humum profilijt, ter Iesu Christi nomen inuocauit; tres fonticulos, quà saliendo terram contigit, scaturire fecit. De vulnere eius lac primo deinde sanguis emanauit. Quorsum tot miracula in morte Sancti huius? nisi vt hæc tam magnifica oculis nostris obiecta penitentes, quanto illa in cœlo magnificentiora sint eius præmia, quæ oculus non videre potest, cogitemus. *Gregorius Turon. de gloria Martyrum capit.* 28. *& Augustinus Sermone* 26. *de Sanctis.*

Andreas Apost. Philip. 1. ANDREAS quoque Apostolus, cùm in crucem Egeæ Proconsulis iussu actus esset, deliberantibus turbis, vt ipsum per vim irruentes eriperent, non acquieuit, dissolui cupiens & esse cum Christo. Cùm igitur iam biduum de cruce ad illos verba fecisset, vitæ æternæ promissis omnes erigens, si religionem à se prædicatam constanter tenuissent: postremò animam Deo commendans, luce de cœlo lapsa circum fusus expirauit. In quãto ergo lumine viuunt Sancti, si etiam moriendo luce fepiuntur?

Sic

Digitized by Google

Sic & Odilo Abbas Cluniacensis, qua die defunctus est, Gregorio monacho multa luce refulgens apparuit, seque æternæ beatitudinis præmio potiri dixit. Sic quadraginta martyrum apud Sebasten Armeniæ oppidum combustorum ossa in fluuium proiecta, sub aquis veluti micantium stellarum imagines lucere visa sunt, & ab Episcopo, qui ea quæsitum ierat, lætanter collecta, reuerenterque seruata. Sic supra Nicolai Remensis Episcopi & fororis eius tumulum, quos capta vrbe effera Vandalorum gens Christum confitentes peremerat, & lampades ardere visæ, & Angelorum cantus auditus. Sic denique multorum vel in sepulchris corpora, vel in visu apparentes imagines, dum miro fulgore splenduissent, fidem fecere, illos æterni luminis beatitudinem in cœlesti gloria consecutos: contra eorum prauitatem atque dementiam, qui ad vltimum vsque iudicij diem & bonis differri dixerunt Paradisum, & infernum malis. Quod si ita esset, profectò plus gloriæ cadauera Sanctorum nunc suaui odore fragrantia, nunc ingenti luce conspicua haberent, quam ipsæ animæ, nescio vbi neque quo veterno consopitæ.

Odilo Abbas Sur. Tom. 1. fo. 49.

Quadraginta Martyres Basitus Hom. in 40. Mart.

Nicolaus Episc. cum sorore.

Legat & intelligat hæc Hæretici.

Diui quoque Hieronymi corpus, cùm spiritum reddidisset, subita lux circumfulsit, visi sunt Angeli, & Christi vox audita, quæ illum ad possidendum cœleste regnum inuitaret. Lux cũ spiritu abijt, odor suauissimus cum corpore remansit. Eadẽ hora Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus animam eius Angelicis manibus gestatam cœlũ versus tẽdere conspexit. Eodẽ die sancta hæc anima miro radians fulgore, Augustino Hippone apparuit. Thuroni etiam duo monachi lucentẽ globũ aera transire, & inde dulciter canentium choros audiri, dum admirantur, intellexerunt Hieronymi Presbyteri animam tunc apud Bethlehem defuncti ab Angelis ad Paradisi quietem ferri, & hoc quidem pro laboribus, quos ipse in vita exhausit, Dei laudibus & hominum vtilitati semper intentus. Tot præterea signa de illo, tot miracula enumerantur, vt mihi certè vel præcedere reliquos beatos apud Deum dignatione videatur, vel paucos habere pares.

Hieron. Presbyter

Epist. 205 inter Epist. Augustt.

Digitized by Google

Paulus primus Eremitæ Hierō. de vit. Pauli Ammon Abbas.

PAVLI etiam primi Eremitæ beatam animam Angelico ministerio ad cœlum tolli vidit Antonius Abbas, mox defunctum esse deprehendit, & questus est, quòd se in itineris comitem non assumpsisset, nihil dubitans, quin è corpore statim ad beatitudinem translatus esset. Idem Antonius, non modico locorum intervallo discretus, Ammonis Abbatis obitum cognouit, cùm animam eius multo candore illustrem, & in sublime tendentem conspexisset. *In vitis Pat. fol.* 31.

Abbates. Martyres. Episcopi. Monachi.

ADHAEC Pafnutij, Benedicti, Stephani, Egidij, Spei Abbatum; Tyburtij, Valeriani, Maximi, Marcellini, Petri, Iustini, Pastoris, Quintini, Seueri, Martyrum; Decimi Leonis Papæ, Amatoris Antisiodorensis Episcopi, Germani Capuani Episcopi, Onophrij Solitarij in Aegypto, Speciosi in monte Cassiano Monachi, complurium que aliorum, quos enumerare longum esset, felices animæ, quo die corpora sua reliquerunt, eo ad cœlum tolli visæ sunt, & dum tollerentur, melos interdum lætantium Angelorum auditum, Deo volente, felicitatis, ad quam euocabantur, testimonium in terra residere, ne alios pigeret eorum vitam imitari, quos beatos esse tã certo indicio agnouissent.

Augustī. Episcop.

AVGVSTINVM quoque, quo die corpus etiam mandatum sepulturæ fuit, monachus quidã procul inde manens, & in spiritu raptus, vidit infula & pōtificalibus indumentis insignem, sedere intra nubem candoris eximij, de oculis eius promicantes radij totam illuminabant Ecclesiam, & vbique incredibilis odoris fragrantia nares oblectabat. Post hæc à Bernardo Abbate visus est, dū per noctē sermones eius à fratrib' in Ecclesia legerētur, limpidissimas ore aquas vomēs, quibus totū Ecclesiæ pauimentum supra modum inūdabat. Verè n. ille quasi quidam inundans fluuius Ecclesiam Dei salutaribus documentis irrigauit, & lumine ingenij Scripturarum obscura clariora fecit. Sanctitatis etiam virtutumque suarum odorem tam latè effudit, vt nomen eius & in terris celebre sit, & in cœlo. Palam igitur factum est, quibus potissimè meritis ad æternitatem vitæ peruenerit, inæstimabilemque mercedem.

Quo

Quo die Abbas quidam duos lectos ineffabili ornatu comptos, multoque nitore splendentes, ab Angelis ferri viderat, atque audierat, in altero Hugonem Abbatem Cluniacensem collocandum, in altero Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem: cognouit ambos tunc simul vita ista defunctos, & in lectis veræ felicitatis requieuisse, de quibus dictum est: Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Hugo Abbas. Anselmus Archiepiscopus. Psal. 149.*

ERASMO Episcopo Martyri, post ingentia pro Christo fortiter tolerata supplicia, visi sunt sancti Apostoli & Prophetæ coronam sibi de cælo afferre. Qua visione delectatus, orauit vitæ huius finem, eoque impetrato, spiritum exhalauit. Nunc itaque Martyrij gloria coronatus exultat, & in conspectu Dei Optimi Maximi clarus atque inclytus incedit, eorum vtens consortio, à quibus coronari & ad cælum vsque deduci meruit. *Sur. Tom. 1.* *Erasmus Mart.*

In Dominici quoque Prædicatorum Patris obitu, ad quantam ipse migrasset beatitudinem, testatum est duorum visione, Guualæ Præpositi Conuentus Brixiensis, & Rhaonis fratris. Alteri somnianti apparuit cælum apertum, & Angeli Dominicum eò de terra transferentes, & IESVS Christus multa cum iocunditate eundem suscipiens, ac susceptum Mariæ matris offerens amplexibus. Alter cùm Missam celebraret, sensibus corporis consopitis tantùm, spiritu vigilans, illum cum reuerendo quodam virorum comitatu ab vrbe Bononia processisse vidit aurea corona micantique fulgore conspicuum, quem nondum vita audierat defunctum. Quanti ergo esset apud te, Domine, Dominicus tuus, neminem latêre voluisti. Quoniam præueniisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Cælum illi sicut Protomartyri tuo Stephano patêre feciisti, & sicuti Ioannem Apostolum tuum, ita & hunc seruum tuum Virgini matri Virginem commendasti, vt pariter ostenderes, quantum ipse meruisset & prædicandi officio, & proposito castitatis. *Sur. Tom. 4.* *Dominicus. Psal. 20. Actor. 7. Ioan. 19.*

Digitized by Google

Francisc.

FRANCISCI etiam Patris (à quo Minorum Ordo cœpit) vt vita ita vitæ finis nobilis ac magnificus fuit. Quo expirante, quidam fratrum animam eius in stellæ specie de ore eius emicuisse cælumque petijsse vidit: eadem illa hora Minister Terræ laboris grauiter ægrotans, cùm iam deficiente spiritu & languescente lingua obmutuisset, repentè in vocem prorupit, dicens: Expecta me, pater, expecta me. Et interrogatus, Patrem Franciscum se videre dixit, multa cum luce cælum versus tendentem. Hoc dicto de corpore exijt, & verba re comprobauit, illum continuò sequens quem cernere se aiebat: nunc cum illo simul cælestibus fruitur diuitijs: quo cum simul terrenas contempsit. Cæterùm Franciscus sicut hîc multis humilior, ita illic clarior, Quod ne dubitaremus, in visu apparens, figuram stellæ fulgentis præ se tulit. Nam etsi alij quoque Sancti stellis comparentur, stella tamen à stella differt in claritate, sic & ipse in gloriæ dono. Nec mirum, si illic proximus accedit Christo, qui hic stigmata portauit Christi. *Benauent. cap.* 14.

1. Cor. 13.

Martinus Episcopus.

MARTINI Episcopi vultus, cùm obijsset, splendidus apparuit, vt non mori eum, sed ad immortalitatem transire fidem cuiuis faceret. Angelici præterea cantus circa ipsum auditi. Eadem hora Seuerinus Colonienſis Episcopus animam eius ab Angelis ad cælum ferri vidit. Seuerus etiam Monachus ipsum in quiete conspexit, niueo tegumento, vultu rutulo, radiantibus oculis, librum manu gerentem, summa cæli petere. Et euigilans audiuit eundem tunc decessisse. Ambrosio quoque Missam Mediolani celebranti & in spiritu rapto visum est, se exequijs eius interesse, & cùm ad se redijsset, nuntiauit astantibus, Martinum Turonensem Præsulem obijsse. Tot itaque testimonijs declarata est eius beatitudo, vt si pietatis iustitiæque opera, quæ fecerat, laterent, beatus tamen crederetur. Rursum tanta eius probitas fama celebris fuit, vt si nulla in morte signa apparuissent, in Sanctorum tamen numero ab omnibus habendus esset. *Seuer. Sulpit. in vita eius.*

NICO-

Digitized by Google

NICOLAVM Myreæ Episcopum, adhuc infantem, vitæ æternæ prædestinatum esse, signis quibusdam miraculisque apparuit, sed præcipuè visione Sabatij Religiosi viri in secessu mentis abducti. Aiebat enim, se in cælo vidisse diuersorium quoddam regio luxu instructum, auro gemmisque fulgens. In quo & sedile erat, tam opere quàm materia imprimis insigne, atque ita coruscans, vt Solis radios vincere videretur. Audisse autem, ea Nicolao puero præparata, & in cælesti reposita regno. Præscius quippe futuræ vitæ eius Deus præmium ei decreuerat ante pugnam, coronam ante victoriam. *Ioan. Diacon.* *Nicolaus Episcopus.*

THOMAE quoque Cantuarienfi Archiepiscopo adhuc viuo, sedem contiguam sedibus Apostolorum à Deo concessam, se vidisse dixit quidam, qui mortuus mox reuixerat. Inde dum Thomas pro iuribus Ecclesiæ sibi commissæ staret, ab impijs cæsus Martyrio coronatur, dumque illi exequiæ à Clero agerentur, Angelorum accinentium vox audita testis beatitudinis eius fuit, fidemque fecit, haud vana fuisse de illo visa hominis rediuiui, quę Apostolis annumerandum significarent. *Sur. Tom. 6.* *Thomas Archiepiscopus.*

GREGORIO Pontifici Maximo (qui vnus ex columnis est Ecclesiæ Christi) dum Missale Sacrificium offerret, & iuxta ritum ad plebem conuersus, Pax Domini sit semper vobiscum, diceret, Angelica vox cunctis audientibus respondit; Et cum spiritu tuo. Exinde mos inoleuit, vt Pontifici ea verba repetenti nihil à Clero respondeatur; vt scilicet dignum se exhibeat, cui Angeli respondeant, non homines. Præstare enim cæteris vitæ sanctitate debet, qui præstat officij dignitate. Beatitudinis verò Gregorij hoc quoque testimonium additur, quòd Petrus eius discipulus pluries capite ipsius Spiritum sanctum in figura columbæ consedisse viderit. Cumque id prodidisset: No credite, inquit, nisi me nunc mori conspexeritis. Hac tanti veri assertione vsus est, vt inuidiam nonnullorum reprimeret, qui scripta Pontificis lacessentes, delenda igniq; tradenda cẽsebant. *Gregorius Papa.*

Scio-

Digitized by Google

Sciebat autem moriturum se, vt primum secretum illud vulgasset. Ipso igitur Petro sicut prædixerat moriente, expauefacti aduersarij, illum quem paulo antè petulanter mordere non dubitarant, venerari cœperunt, sanctumque ac beatum dicere. Itaque Gregorij beatitudinem, & qui sciebat, moriendo probauit, & qui liuebant, admirari compulsi sunt. *In vita Gregor. lib. 4. cap. 70.*

Ricarius Solitarius.

Ricario Solitario sepulto, discipulus eius Sigobardus, in spiritu raptus, vidit ipsum in aula quadam decoris & odoris incredibilis confidentem, splendoreque coruscum, ac per hæc visibilia beatitudinem inuisibilem ei obuenisse facilè intellexit, magisque mores magistri sui æmulari & effingere conatus est, quem tantam felicitatem consecutum fuisse minimè dubitauit. *Pet. de Natal.*

Torquatus Episcopus.

In ciuitate Acitana ad tumulum Torquati Episcopi die eius natalitio, hoc est, Idibus Maijs, olea florem mittit, fructum facit ac maturat. Inde expressum oleum, cuiusque generis ægritudini efficax habetur. *Ado, in Martyrolog.*

Baudelius Martyr.

Pari miraculo Remansi Galliarum vrbe secundùm sepulchrum Baudelij Martyris laurus fuit, cuius foliis contacti infirmi curabantur, & ab immundo spiritu vexati liberi fiebant. Quid per ista Dominus significare voluit, nisi animas eorum apud se habitare, de quorum sepulturis tanta procederet virtus?

Monachus quidam.

Monachus quidam cùm mortem obijsset, à Mutio Abbate interrogatus, Vellet ne ad vitam quam reliquerat redire? Ie cum Christo esse malle, respondit, nec amplius locutus est. Cum Christo igitur beatorum animæ sunt, non cum sopore, quo veriùs illi dormiunt, qui beatitudinem earum ad diem Iudicij differri somniant. *In vitis PP. fol. 11.*

Alexius pauper.

ALEXIO Romæ defuncto vox cælestis insonuit: Quærite virum qui oret pro Roma. Ille sub pauperculi humilitate latens, mundo ignotus erat, & monstrante cælo patuit. Cur autem vt pro Roma oret, quæri iussus sit, qui iam mortuus erat, nisi quia post mortem melius vincere cœperat,

Digitized by Google

perat, dignioréque esse, qui quod orasset, impetraret. Vir iustus igitur & post obitum orat, non pro se, quia beatus est, sed pro alijs qui nondum beati sunt. Siquidem quanto quis proximior Deo est, tanto citiùs quod orarit, exorat. Hinc nempe Ecclesiæ mos est, illos quos in Sanctorum catalogo redactos colit, vt pro se deprecentur, precari. Ita nunc & Alexius ipse, vt oret pro nobis inuocatur, qui priùs à nemine noscebatur. Sed quoniam soli Deo notus esse studuit, notus factus est omnibus, & id quidem post vitæ huius finem, quando multi qui noti sunt, venire in obliuionem solent, & cum nomine pariter sepeliuntur. *Metaphrast.*

VICTOR Martyr persecutoris gladio cæditur, & continuò vox de cælo auditur: Vicisti Victor beate. Non propter illum hoc contigit, qui iam cum Deo erat, sed propter illos, qui fortasse tormentorum, quæ perpessus est, memores, beatum esse dubitarent, nisi tam certo indicio verum didicisset. Quanta autem beatitudo ea sit, docet in Martyribus vitæ huius contemptus, intrepida suppliciorum toleratio, & nulla vnquam sæuiendi arte superata Christum confitentium firmitudo. Nihil quippe tam durum est, vt durum esse possit, dum perenne bonum speratur; neque quicquam tam dulce est, vt dulce esse queat, cùm diuina suauitudo deguſtatur. *Victor Martyr.*

AGILVS Resbacensis Abbas, cùm annos plurimos Deo seruisset, confidenter precatus est, vt è vita decederet, & responso accepto, eiusce voti peracto biennio compotem se futurum, gaudere cœpit, vtpote qui tum demum veram vitam inchoaturus esset, cùm hanc finisset. In obitu eius Ado monachus lætantium Angelorum cantus audiuit. Duo præterea, alter febri laborans, alter dentium dolore vexatus, tactu corporis eius curati sunt. Si quis igitur visionum reuelationibus parum credit, experimento credat operis. Palàm est, beatas esse animas eorum, quorum mortua corpora tanto adiumento viuis sunt. *Agilus Abbas.*

SERGIVS & Bacchus Martyres, carceris angustia con-

Digitized by Google

Sergius & Bacchus Martyres.

constricti, beatæ vitæ spe gaudebant. Et cùm prior Bacchus per tormenta consumptus animam exhalasset, Sergius relictum se querens, valde animo affligebatur, vbertimque flebat. Flenti noctu Bacchus apparuit, visu iocundus, luce decorus, gemmea corona insignis. Tum ne lugeret iussit. Mox enim fore, vt ipse quoque pœnis conficiatur, sibique iungatur. Non immeritò igitur Sergio supplicij dilatio supplicium erat, si post supplicia ad tantam gloriam Bacchus peruenerat.

Mercurius Martyr.

MERCVRII Martyris apud Cæsaream passi corpus capite truncum splendore fulsit, odore fragranit, quo miraculo primi ad Christianam credulitatem conuersi sunt; iam certi, animam eius cælesti perfrui beatitudine, in cuius cadauere, contra aliorum cadauerum naturam, & lux pro pallore erat, & odor pro fœtore. *Pet. de Natal.*

Marcellus Tudertinus.

MARCELLVS Tudertinæ vrbis non ignobilis ciuis, magis tamen animi probitate notus, (vt in Dialogo beati Gregorij relatum legimus) cùm mortuus iaceret, à Fortunato Episcopo ad vitam reuocatus est. At verò non dissimulauit, hoc se oppido quàm ægre ferre, quòd diceret, ad quietis beatæ loca iam se perductum fuisse, cùm ad corpus redire iussus est, annuente Domino precibus Fortunati. Vixit itaque iterum moriturus, ita tamen, vt beatitudinis præmia quæ acceperat auxisse potius credatur, quam minuisse, adeò se ipso melior euasit, dum intermissa amittere timet. *Greg. Dial. lib. 1. cap. 10.*

Vrsinus Presbyter.

VRSINVS Nursiæ Presbyter, castus ac sanctus, dum animum ageret, lætus exclamauit, gratias agens ijs, quos ad se venisse solus cernebat. Et quærentibus qui ei assidebant, qui essent illi quorum aduentu tantopere gauderet: Numquid non videtis, inquit, Petrum & Paulum Apostolos hîc adesse, & euocare me? Mox ad eos, quos tantùm ipse videbat, conuersus dum repeteret: Venio, venio, ecce venio; cum ijsdem abiens, corpus exanime reliquit. O felix animula, quæ nec mortis dolorem sensit, dum conspectu Sanctorum lætatur, nec de futura salu-

Digitized by Google

salute dubitauit, dum à Sanctis vt secum veniret inuitatur. *Ibid. lib. 4. cap. 11.*

Probus Episcopus.

De Probo quoque Reatino Episcopo memoriæ proditum est, quòd cùm ex languore mox se decessurum cognouisset, omnibus qui ei assidere solebant tunc fortè summotis, præter vnum puerum, vidit ad se intrantes Iuuenalem & Eleutherium Martyres, quorum aduentu puer conterritus, & repentino fulgore stupefactus, vbi qui essent didicit, fugiens prorupit è cubiculo, familiam clamore concitat, ad locum vbi Episcopus iacebat concurrunt, neminem inueniunt, præter corpus eius iam exanime. Quo quidem relicto, ipse cum illis abierat, quorum domicilium in cælo non in terra erat. *Ibid. cap. 12.*

Seruulus mendicus.

SERVVLVS paralyticus moriens homines circa se psallentes silere iussit, quoniam Angelos audire cœpit. Et cùm ad cælestem cantum, quem sentire solus poterat, oculos, aures, animumque intendisset, corporis vinculis solutus abijt. Tam autem suauis odor à corpore iam extincto exhalauit, vt nemini dubium esset, quin eius animam cantus illi, quos ipse audierat, egredientem suscepissent, & in beatorum sedibus collocassent. *Ibid. cap. 14. & Homil. 15. in Euangel.*

Duo à Longobardis suspensi.

Duo Valentij Abbatis discipuli in Valeria Prouincia à Longobardis ad arborem laqueo suspensi, necatique, vesperè diei illius psallere auditi sunt, ita vt carnifices ipsi, qui eos interemerant, attoniti terrerentur. Quid hoc est, nisi vt credamus, eos qui Deo seruiunt, tunc demum feliciter ac beatè viuere incipere, cùm contingit mori. *Ibid. cap. 21.*

Quidam vir.

Neque hoc omnino prætermittendum, quod beato Gregorio testante verum fuisse non ambigitur. Quidam religiosæ vitæ vir moriens, Ionam & Ezechielem & Danielem Prophetas vidit, visos cognouit, cognitos salutauit, & dum reuerentiæ illis, quos nemo alius cernebat, cùm multi adessent, officium exhibet, mortem opetijt. Si hic corpore adhuc grauatus eos, quos nunquam viderat, statum cognouit; quanto clarior certiorque erit notitia illorum,

Digitized by Google

rum, qui vel modò sarcina carnis deposita ad cælum evolant, vel postea cum eadem carne beatificata, illuc ascensuri sunt. *Ibid. cap.* 34.

Fœmina. Maria Magdalena. Tantæ beatitudinis magnitudo non minùs in fœminis illis conspici considerariqúe potest, quæ ipsam non solum feliciter sed etiam manifestò assecutæ sunt. Mariam Magdalenam, cum in solitudine vitam ageret, solitarius quidam Presbyter ab Angelis in cælum tolli, & iterum loco suo restitui vidit. Ab ipsa deinde quid hoc esset curiosè scisscitatus, didicit, triginta iam annos eam non alio cibo sustentatam, præterquam cælestium gaudiorum contemplatione: beatis, quemadmodum ipse conspexerat, spiritibus eò se perducentibus ac reducentibus, & iam finem vitæ huius facturam, vt vitam illam inchoet, quæ nullo concluditur fine, nulla carpitur molestia, nullo indiget bono. O quanta hæc diuinæ dilectionis gratia, id mortali corpori concedere, quod concedi solet immortali, & tamdiu sine alimento viuat, & terrenum adhuc in tam sublime feratur. Sed cur tandem solutam animam Deo reddidit? ne scilicet animæ perpetuæ beatitudini impedimento esset, cuius alternam aliquatenus non impedierat. *Metaphrast.*

Margarita Virgo. MARGARITAE Virginis capiti, dum ipsa grauibus afficeretur pœnis, nec interim cessaret confiteri Christum, cunctis qui aderant cernentibus, columba de cælo aduolans, auream corollam imposuit. Eo miraculo quatuor millia hominum relictis idolis Christum colere cœpêre, nec timuerunt capitis subire discrimen, dum diuinitus coronam concupiscunt. Haud quaquam sic præsentem vitam despicerent, nisi meliorem certissimè expectarent. *Idem.*

Dorothea Virgo. DOROTHEA Virgo & Martyr, ad Paradisum Sponsi sui Christi se per tormenta peruenisse probauit, brumæ tempore missis rosis Theophilo scribæ. Quam rem ille impensiùs considerans, cùm priùs Christianorum religionem irrideret, sequi cœpit; ita vt gratanter & ipse iugulum gladio submitteret, nihil iam ambiguus de beatitudine adipiscenda, quam tali argumento in Christo

Digitized by Google

Christo tantùm esse didicerat. Præferens igitur huius vitæ voluptatibus cælestes rosas, vltro martyrium adijt, & illarum odore decoreque captus mori optauit. *Euseb. Hist. Eccl. lib. 8. cap. 6.*

EVLALIAE Virginis, post multa tormenta capite cæsæ, anima sub columbæ volantis figura visa est cælum petere, & nubibus condi; vt palàm esset, Martyrum animas carnis nexu expeditas illo protinus tendere, quò ipse præcessit, pro cuius amore torqueri, vri, occidique gauderent. *Prudent.* *Eulalia Virgo.*

PRISCA Virgo dum Christum confitens torqueretur, luce de cælo lapsa circumfunditur, cum Sanctis in carcere sibi apparētibus psallit, carceris pedor in odorem suauissimū vertitur, ipsa ab angelis in Throno diuini fulgoris gloriosè collocatur. Si tanta illi inter tormenta affuit beatitudo, quantam exhaustis iam tormentis consummatoque agone secutam credimus? Neque enim æqua esse debet merces pugnantis adhuc, & post pugnam iam victricis: illic auxilium petitur, hîc triumphus debetur. *Prisca Virgo.*

SEPTEM mulierum, quæ cum beato Blasio Episcopo ad Sebasten martyrium passæ sunt, cùm capite cæderentur, animas virginali forma à corporibus egredi viderunt, cælumque versus ferri, candidas admodum, & corollis circa capita fulgentibus decoras: & hoc ipsi significarij testabantur, à quibus interemptæ sunt. Nunquid non satis verum putabitur, quod ne inimici quidem negare potuerunt, eas videlicet statim post necem, beatitudinis æternæ fructum percepisse? *Metaphrast.* *Septem mulieres Martyres.*

AGATHA Virgo & Martyr per Apostolum à vulneribus curatur, & peracto agonis cursu cùm mortua efferretur, Angeli sub visibili specie exequias celebrant, & literis in marmore incisis, beatitudinis eius testimonia relinquunt: Mentem sanctam, spontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem. Quis dubitat, quin ab ijs ad Sponsi vsque thalamum perennesque nuptias ducta fit, quorum tanto obsequio in morte meruit honorari? At cur Apostolorum consortio non dignam dixerimus, ad quam sanandam Petrus de cælo ad terras descendere iussus sit? *Agatha Virgo.*

Digitized by Google

Agnes Virgo. AGNES Virgo post Martyrium parentibus ad sepulturam suam excubantibus ac lugentibus glorioſa apparuit cum ſplendido elegantique Virginum comitatu, aureis armillis, candidulo que amictu multum fulgens, & Agnum niue albiorem dextera baiulans. Tum repreſſo parumper gradu, parẽtes ipſos dulciter admonuit, ne ſe velut mortuam flerẽt, ſed potiùs cum Chriſto beatè viuenti congratularentur. A Sanctarum, inquit, Virginũ quas videtis recepta collegio, ei in cœlo iuncta ſum, quem in terra poſita toto corde dilexi. Meritò igitur nõ ſolùm Martyrij eius diem feſtum agit Eccleſia, ſed etiam eum quo ſe talem oſtendit celebrem habet. In martyrio, quę paſſa ſit, recoluntur; hîc autem, ad quantam beatitudinem poſt paſſionem peruenerit, commemoratur. *Amboſ. Serm.* 90.

Cæcilia Virgo. CAECILIA Virgo Angelorum viſione fruens, roſarum liliorumque media hyeme vernantium odoramentis, quæ ſibi de Paradiſo allata fuerant, Valerianum & Tiburtium conuertit, tam ſuauiter illa redolebant, vt iſti repentè cõtempto ſimulacrorum cultu Chriſtum ſequerentur, qui ſibi ſeruientes talibus iam impertiret donis, indeque coronari cupientes, libenter ad Martyrium perrexêre. Ipſa quoque nullis auerti à Chriſto ſuppliciis potuit, quoniam certa erat eius conſortio ſe in cœlo vſuram, cuius Angelos videre meruerat in terra. *Ado in Martyrol.*

Catharina Virgo. CATHARINAM Virginem, cùm poſt tormenta capite truncanda eſſet, orantem vox de cælo conſolata eſt, quæ diceret, preces ſuas exauditas eſſe, & iam aperto cæli aditu à Domino aduentum ſuum exſpectari. Itaque læta & hilaris ceruicem gladio ſubiecit perſecutoris. Defecto autem collo, lac pro ſanguine exilijt, corpus ab Angelis ad montem Sinai delatum eſt. Talis itaque honor corpori exhibitus teſtatur, quanto magis in cælo ſpiritus eius honoretur. Colligamus cuncta ſimul, & ſummatim perpendamus, quali beatitudinis gloria in illius ineffabilis Maieſtatis conſpectu Sanctorumque omnium Virgo iſta repleatur, cui in conſpectu hominum tot mira contigerunt: vox de cælo blandiens, lac pro cruore manans, Angeli corpus referentes. *Metaphraſt.*

THEO-

Digitized by Google

THEODORA Alexandrina, quæ sexu dissimulato inter Monachos perfanctè vixit, cum decessisset, Abbati in quiete apparuit cum quadam nuptiali pompa, Sanctarum exultantium agmine eam circumuallante, ipsa in medio gemmis auroque coruscans. Tunc se illam esse confessa est, quæ Theodorus Monachus diceretur, mas credita. Mox deinde experrectus, vt sibimet redditus Abbas, continuò cellam eius adijt, & defunctam esse reperit, & fœminam fuisse cognouit. Denique constantiam mulieris inter viros tam diu tam integrè versatæ miratus, beatitudinem quoque palàm prædicare cœpit, atque in quali eam gloria exaltatam conspexerit, vltro prodere. Glorioſa quidem sunt, quæ de illa vidit, sed multo glorioſiora sunt, quæ videre non potuit. *In vit. PP.* *Theodora Theodorum dicta.*

Apud Alexandriam Paulus Antonij Abbatis discipulus, in spiritu ad cælum vsque pertractus, vidit thalamum quendam miro ornatu excultum, lateque fulgentem, & Antonio paratum putabat, donec audiuit, Thaidi meretrici illum seruari. Ex quo cognitum est ei, mulieri peccata per pœnitentiam dimissa esse, & cælestem beatitudinem condonatam, dicente Domino: Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cælorum. *Ibidem.* *Thais Meretrix conuersa.* *Matth. 3.* *Ibid. 4.*

SCHOLASTICAE Virginis animam frater eius Benedictus Abbas in columbæ forma ad cælos euolantem vidit. Cognitoque quòd obijsset, corpus illius ad monasterium suum deferendum curauit, & in sepulchro quod sibi parauerat condidit, vt iunctis ossibus in terra cubarent, qui animis iungendi erant in Paradiso, parique vitæ merito pari beatitudine fruituri. *Greg. Dial. lib. 2. cap. 34.* *Scholastica Virgo.*

Thebaidis monasterij Abbatissa Euphraxiam Viduam propediem vita decessuram intellexit, cùm Antigonum eius virum in cælesti beatitudine constitutum per somnium vidisset, ac supplicantem, vt ipsa iam de terris euocata sibi in cælo copularetur. Somnij fidem probauit euentus, & Euphraxia (sicut prædictum fuerat) breui defuncta, ad eandem beatitudinem ascendit, ad quam præcesserat maritus. Euphraxiæ quoque eius Deo dicatæ Virginis eadem Abbatissa obitum prædixit, deindè *Euphraxia Vidua.*

Digitized by Google

Præpositæ eius Iuliæ, postremò suum, neque secus quàm prędixerat euenit. In vno conditorio tres positę vna beatitudine gaudent in Paradiso. Quoniam ideo in proximo secum hinc migraturas Abbatissa præcognouit, quòd quanta ipsis parabantur præmia, antè supra cælum in spiritu rapta vidit. *In vitis PP.*

Gertruda Virgo. GERTRVDIS Virgo Nigellani Monasterij qua die obijt, Abbatissę Treuerensis monasterij ante Altare oranti apparuit, seque ad Sponsum suum ire dixit, cælesti gloria fruituram. Alio quoque miraculo beatam esse patuit. Cùm monasterium arderet, supra tectum visa est candenti velo flammas premens, restinctoque statim incendio, cùm totum ædificium consumptùm iri timeretur, nihil damni illatum fuit, igne Virginis imperio cedente, quia illi iuncta erat, cuius voluntati subiecta sunt vniuersa. *Mol. in Natal. S. Belgij, 17. Martij.*

Edeltrud. Virgo. EDELTRVDIS Virginis corpus, cùm post sextum decimum obitus sui annum ad aliud sepulchrum transponeretur, integrum inuentum est, ineffabilique odore fragrans, quin etiam (quòd multo mirabilius est) in vocem prorupit, dicens: Sit gloria nomini Domini. Ex quo apparet, quanta sit animæ eius cum Deo viuentis beatitudo, cuius mortuum etiam corpusculum Deo laudes gratesque ageret. Præterea tactu eius multi, qui morbo affecti fuerant, protinus conualuerunt. Et si cadauera sanctarum animarum sic separata sanctitatis earum sentiant virtutem, quantæ virtutis futura sunt, cùm illis iterum fuerint copulata? *Bed. Hist. Angl. lib. 4. cap. 19.*

Galla Romana. GALLAE Romanæ Christi ancillæ ægrotanti, Gregorius autor est, Apostolum Petrum apparuisse, atque illam vt secum veniret inuitasse, eo quòd peccata sua dimissa essent. Hanc visionem cùm alijs ipse retulisset, corpore exuta cum illo vtique abijt, cui claues datæ sunt regni cælorum. Illum igitur beatitudinis locum ascendit, cuius ianitor est qui inuitauit, hic iacentem vocauit, hic venienti aperuit. *Gregor. Dialog. lib. 4. cap. 13.*

Romula Virgo. ROMVLAE quoque Virginis beatitudo, ex eo planè percipi potest, quòd paralysi dissoluta, cùm ad vitę finem perue-

Digitized by Google

peruenisset, luce repentè circunfusa est. Cuius lucis fulgore attoniti qui ei assidebant, & expauefacti, magis etiam timuerunt, cùm mox conuenientis illuc turbę strepitum persensissent, & neminem viderent. Represso deinde ambulantium fragore, succesſit suauitas odoris, qui ibidem tandiu permansit, donec Romula spiritum tradidit. Tunc etiam ante ostium cellulæ eius psallentium cantus auditus. Haud dubium quin ideo, vt palàm fieret, dignam fuisse animam illam, quam hinc abeuntem Angeli exultantes comitarentur, & cum tripudio ad cælum perferrent, atque in illo æterni Sponsi thalamo feliciter collocarent. *Ibid. cap.* 15.

HANC Angeli comitati sunt, Trasillæ verò Virginis beati Pontificis Gregorij amitæ animam, ipse Angelorum Rex & Dominus Iesus Christus. Huic primùm in visu apparuit Felix Pontifex, & perpetuæ lucis illi sedem ostendens: Veni, inquit, & fruere consessu hoc beatorum. Mox ipsa febris morbo affecta, & iam animam agens, vidit ad se venientem Iesum, & eis qui aderant, vt assurgerent iussit, eo quòd aduenisset Dominus. Tum ad visionem, quam sola cernebat, mentem oculosque dirigens expirauit, atque illico odor suauissimus nares omnium occupans, nemini dubium reliquit, quin verè ibi Dominus ipse affuerit. Sed quis dicere poteſt, quanta is Trasillam felicitate beatificarit in cælo, qui ad consolandum descendere dignatus est in terram? *Ibidem, cap.* 16. *& Homil.* 38. *in Euangel.* *Trasilla Virgo.*

DE MVSA puellula idem autor Gregorius tradit, ei per visionem nocturnam Dei Genitricem Mariam cum Virginum choro apparuisse, atque iniunxisse, vti risu iocisque & omni vanitate abstineret. Futurum enim, vt post trigesimum diem suo suarumque virginum consortio gauderet. Tota itaque immutata est, tantoque promisso illecta nihil egit, ob quod eo indigna videri posset. Inde morbo implicita, & tandem die qui prædictus fuerat imminente, eadem visione iterum consolata, quasi vocanti se respondere cœpit: Venio, Domina, venio. Sub ijs verbis efflauit spiritum, ipsam cæli Reginam Virgi- *Musa Virgo.*

Digitized by Google

nesque eius ad cælum præeuntes, tam exultanter secuta, quàm feliciter. Neque enim de beatitudinis possessione mox capienda dubitabat, cuius pollicitationem ex ore ipsius, cui concessum est vt dare possit, acceperat. *Ibidem, cap. 12.*

xhorta- HIS & huiuscemodi exemplis (vt antè diximus) edo-
e. cemur quanta sit illa inuisibilis & incomprehensibilis nobis Sanctorum felicitas, cùm tam mira sint, quæ de ipsis mortales oculi videre potuerunt. Gaudeamus igitur, quia maius est bonum illud, quàm vt quis (donec carnis huius pondere premitur) aut cernere possit, aut dicere, aut etiam cogitare. Gaudeamus, inquam, quia tam in-
Cor. 2. gens immensumque bonum promissum est nobis ab ipso qui veritas est, ab ipso qui neminem fallit, & in cuius ore
Pet. 2. non est inuentus dolus neque mendacium. Erimus ineffabilis beatitatis perpetui possessores, modò breuis vitæ huius cursum post illum qui via est dirigamus, post illum qui lux est pietatis iustitiæque passibus ambulemus. Hic magister noster, hic dux, hic Dominus, hic omnium sequentium se Saluator est. Quomodo autem eum sequi oporteat, & ipse docuit, & Sanctorum suorum egregia præclaraque exempla, quibus totum opus istud contextum est, satis nos abundeque instruxerunt. Horum itaque dum licet, dum res tempusque suppetit, vestigijs insistamus, vt vbi illi sunt, & ipsi simus. Non declinemus neque ad dexteram, neque ad sinistram; non pes titubet, non mens vacillet; constanti fide, spe firma, forti magnoque
ipient. 5. animo viam salutis ingrediamur. Modicum laborabimus, multum metemus. Accipiemus enim (sicuti scriptum est) regnum decoris, & diadema speciei de manu
saiæ 62. Domini Dei nostri. Ipse dextera sua teget nos, & in brachio sancto suo defendet nos. Ipse ponet consolationem lugentibus Sion, dabit coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Ipse sustollet nos super altitudines terræ, in hæreditatem inæstimabilium diuitiarum, regnique cælestis, ibi erit (vt
dem 66. Isaias ait) mensis ex mense, Sabbatum ex Sabbato, nullus denique finis, nulla vnquam decessio erit gloriæ Beatorum.

Digitized by Google

rum. Non cesset igitur manus nostra operando, lingua orando, oculi vigilando, mens contemplando, corpus abstinendo. Contemnamus opes, renuntiemus voluptatibus, parui pendamus honores, nihil terrenum concupiscamus, nihil nisi quod naturæ necessitas exigit, habeamus. Non efferamur prosperis, nec frangamur aduersis. Irrisorum cauillationes, inuidorum morsus, maleuolorum odia, superborum contumelias, indignantium minas, furentium verbera, omnisque generis offensas atque iniurias æquo animo toleremus: diligendo qui de illos, qui nobis infesti sunt, & pro persecutoribus nostris deprecando, nec malum pro malo, sed potiùs bonum reddendo. Paruus breuisque omnis labor est, si propositę nobis mercedis immensitas æternitasque pensetur.

NVNC, quoniam tandem ad instituti operis finem peruentum est, & sexto iam peracto volumine, Sabbatum instat quiescendi, tibi cæli terræque Conditor ac moderator Deus gratias ago, manipulos offerens de plenioribus Ecclesiastici agri spicis variè consertos, vt quos tuis auspicijs tuoque auxilio collegerim, tuo etiam nomini consecrentur. Tu da, vt horum semina in terra cordis nostri sata cælestis gratiæ imbre irrigentur, & fructum faciant in tuis horreis recondendum. Da, vt Sanctorum tuorum (quos passim commemorauimus) vestigia obseruantes, post vitæ huius miseriam ad illas veræ felicitatis perducamur mansiones, in quibus ipsos accipere dignatus es, & cum ijsdem Angelorum tuorum iuncti choris, tuoque conspectu beatificati, in te gloriantes, in te exultantes, te vnum in Trinitate, & trinum in Vnitate adorantes, visibilibus inuisibilibusque perfruamur bonis æuoque sempiterno. Amen. *Peroratio.*

✠

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM ATQVE EXEMPLORVM.

A.

Aaron à Deo electus, in monte Hor sepultus est. 552

Aaron & Maria sinistre Moysen iudicantes, Maria lepra percutitur. 427

Aaron & filij eius intrando tabernaculum vinum non biberunt. 209

Abdemelech charitatis amore liberatus est. 170

Abraam Patriarcha cum posteris suis sepeliri voluit in spelunca. 552

Abraam in seruitio Dei perseuerauit vsque in finem. 534

Abraam solitarium, ficti habitus simulatione, neptim profugam reduxit. 315.173

Abraam, Isaac, cæteriq; Patriarchæ Deum contemplati sunt. 111

Abraam credidit Deo, &c. 128

Abraam vxorem suam sororem dicebat. 306

Abraam aranda prolem optatam meruit. 91

Abraam Eremita veste ciliçina indutus erat. 54

Abraam filium suum immolare voluit ex charitate. 157

Abraam Ægyptium contempta hæreditate eremum ingressus est. 4

Abraam Patriarcha Angelos suscepit hospitio in specie humana. 24

Achior dux Ammonitarum interrogatus veritatem dixit. 305

Achab correptus est à Domino propter inobedientiam. 293

Achab rex pessimus audito Prophetæ pertimuit pœnitentiamque egit. 371

Adam & Eua tunicis pelliceis contenti erant. 231

Adam & Eua fructibus arborum aliti sunt. 268

Adam & Eua à Deo compulsi sunt peccata sua confiteri. 400

Adam & Eua serpenti credentes, maledictionibus succubuere. 413

Adam & Eua consilio serpentis à mandato Dei receſſerunt. 224

Agapetus pontifex verbis pijs Augustum ad fidem conuertit. 143

Agar cum Ismaele fonte ab Angelo ostenso refocillatur. 279

Agatha virgo omnia contempsit, vt virginitatem illibatam Deo offerret. 352

Agatha virgo in infirmitate spem totam in Deo posuit. 476

Agathon abbas nunquam somnum cepit nisi prius reconciliatus proximo. 218

Agathon abbas lapillum in ore portabat. 227

Agilius monachus persequenti se beneficium referens. 458

Agnes virginitatis fulgore infamem locum honestauit. 354

Agnes virgo ferro iugulatur, cui ignis pepercerat. 403

Albanus martyr pœnitudine peccata diluit. 381

Albinus

Digitized by Google

Albinus circumuentos criminationibus liberari posse monstrauit. 103.

Albinum obedientem etiam elementum honorauit. 297

Alcimus sacerdos *Assidæis* proditor fit. 222.

Alcimus pace simulata, viros pacis interficit. ibid.

Alcibiadi panis, sal, & aqua cibus erat. 277

Aldebertus Praga episcopus ad modestius viuendum episcopatum reliquit. 199

Alexander episcopus philosophos ad fidem Christi conuertit. 140

Alexius in domo paterna 17. annos mansit incognitus. 39

Alexius Romanus paupertatem in tantum adamauit, vt gauderet se à seruis patris suieleemosynas recipere. 57

Amasius vir Dei obediẽdo hostes superauit. 293

Amata abbatissa de hac vita migraturа, se veluti sepeliendũ in sepulchro composuit, & sic expirauit. 566

Amator episcopus coactus vxorem duxit, cum qua castè vixit. 329.

Amator episcopus mortem sibi imminere longè præsciuit. 563

Ambrosius Episcopus felicitatem seculi periculum animæ mõstrauit. 466

Ambrosius episcopus expansis brachijs orans expirauit.

Ambrosius episcopus Imperatori insultare non dubitauit. 210

Ambrosius episcopus suis prædicationibus Augustinum ab hæresi purgauit. 167

Ammon abbas terribilem draconẽ sua oratione necauit. 98

Amandus episcopus quindecim annis pane tantùm & aqua sustẽtatus est. 274

Amona abbas mille quingẽtis monachis præfuit. 398

Amos propheta ob veritatem per tempora transfixus est. 305

Amos eremita proximos in charitate correxit atque conuertit. 183

Amos abbas cum vxore castitatem seruauit. 338

Ammonius linguam sibi se amputaturum protestatus est, potiùs quam episcopatum acceptaret. 44

Anastasia prætulit nobilitatis altitudini charitatis humilitatem. 177

Andreas cuidam Nicolao libidini dedito continentiam impetrauit. 96

Antonius abbas episcopus presbyterisque submittebat crucem captans benedictionem. 37

Antonius abbas mansit in solitudine viginti annis pane & aqua contentus. 63 64

Antonius monachus magnam sc:ẽtiam legendo acquisiuit. 124

Antonius abbas hæreticos suis prædicationibus conuertit. 189

Antiochus sedi fragus contra pacis iuramentum venit. 221

Anianus Episcopus *Aurelium* ab obsidione [illegible]um precationibus liberauit. 104

Antonius abbas manibus laborabat. 230

Digitized by Google

Ananias per Ieremiam de mendacio arguitur. 305
Antonius abbas hora vespertina panem cum sale comedebat. 260
Anianus episcopus intuitus mulierem, scandalizantem oculum eruit. 245
Antonius Abbas semper flexis genibus orabat. 84
Anna vxor Elcanæ oranit & exaudita est. 88.89
Anna filia Phanuelis die noctuque orabat. 88
Anna Elcanæ coniux prece prolem impetrauit. 106
Anna prophetissa annos quadraginta octo in viduitate consumpsit. 351
Animæ in purgatorio, viuentium orationibus iuuari possunt. 101
Anselmus episcopus fratrem à dæmonibus liberauit. 103
Antonius vidit orbem terrarum laqueis refertum. 113
Antonius Minorum Ordinis euangelizandi munus humilitate acquisiuit. 202
Anacletus præcepit summum honorem presbyteris deferendum. 209
Antonius abbas sacerdotes in summo honore habuit. 210
Angelus Antonium induxit ad laborem manualem. 232
Antonius abbas dicebat fernis Christi non expedire domos secularium frequentare. 226
Anna vxor Elcanæ flendo orabat. 264
Anna filia Phanuelis abstinendo & orando intellexit quod Scriba non perceperunt. 265
Andreas Apostolus ab hora tertia vsque ad nonam pro Nicolao Episcopo oranit. 384
Andreas tergum feminæ tetigit, de quo iactantem dæmonem audiens, postea cautiùs egit. 527
Antonius abbas visus est ab angelis ad cælos ferri. 384
Antonius Minorum ordinis ei qui se mutilauerat ob pœnitentiam membrum restituit. 383
Antonius nulla vnquam iniuria etiam à dæmonibus deterretur. 410
Antonius in eremo perseueranit, & angelorum sortitus est gloriam. 588
Anna filia Phanuelis perseuerantia castitatis meruit Saluatorem in carne videre. 541
Antonius abbas in eremo perseueranit, humilitatemque tenuit. 555
Antonio monacho dictum est, ne differret migrare, quia ei peccata dimissa essent. 560
Antonius Patauij in extremis laborans, hymnum Gloriosa decantauit. 564
Apollonij motiuum intrandi eremum fuit vitare inanem gloriã. 32
Apollonius suis manibus hospitibus pedes lauabat. 36
Simili modo Nytriæ monachi, & Hor abbas. ib.
Apostoli perseuerantes erant in oratione. 83
Apostoli calceati fuerunt in sandaliis. 232

Digitized by Google

Apollonius abbas collobio stuppeo operiebatur. 234
Apostoli etiam post conuersionem manibus laborabant. 228
Apostoli ieiunio vsi sunt. 258
Apostoli spicas segetum manibus confricabant. 272
Apostoli veritatis assertores extitere. 306
Apostoli in mansuetudine omnia pertulere. 320
Apollonius suis fratribus mansuetudinem impetrauit. 34
Apelles monachus diabolum sub mulieris forma ferro cãdenti percussit. 348
Abra virgo precata est mori casta, quàm nupta viuere. 362
Apostoli paupertatem strictissimam seruauere. 34.60
Apollonius centies in die flectebat genua ad orandum. 84
Apostolorum tempore maxima obedientia fuit. 294
Apostoli omnia constanti animo reliquerunt. 461
Aplaides virgo toto tempore sanitosa, nullo alio cibo vixit, quàm Eucharistiæ pane. 478
Apostoli cum gaudio contumeliam passi sunt. 482
Apronianus, Christianus vnd die & martyr effectus. 491
Apostoli in veritate perseuerarũt, morientes prius quàm tacentes. 586
Apollo abbas oblitus est mundi, & ob hoc mortuum se putabat. 549
Apostoli martyresque pro Christo mortui sunt. 555
Arrogantia in oratione fugienda est. 84
Arnulphus episcopus oratione animam ab inferno liberauit. 101
Arsenius abbas nedum feminarum sed etiam virorum consortia vitabat. 243
Arsenius quadraginta annos solitarius sedit. 68
Idem hominum consortia fugit. ibid.
Arsenio somnus breuissimus fuit. 87.74
Archebius monachus parentes labore manuum honorabat. 233
Arsenius opus faciens lachrymas fundere solebat. ib.
Arnulphus etiam post remissionem peccatorum eremum repetijt. 383
Arsenius abbas ob frequentes lachrymas turgidulis ocellis fuit. 387
Arnulphus septim duxit vxores, non vt carne sed spiritu ingerentur. 340
Archebius solitarius modico damno simulato charitatem vtilitati præferebat. 314
Asella virgo pane & aqua contenta fuit. 265
Assuerus, cognita innocentia Iudæorum, vertit sententiam in accusatorem. 431
Augustinus ex diuinis scripturis Christianus effectus est. 122
Augustinus Episcopus Anglorum, fide cæcum illuminauit. 134. 135
Augustinus episcopus audiendo tantùm agnouit veritatem. 143

Digitized by Google

Augustinus episcopus in vestitu similis illis fuit quibus præfuit. 333
Augustinus noluit habitare cum sorore. 342
Augustinus contemplans nihil exteriorum percipit. 113
Augustinus in extremis dicebat neminem debere discedere sine cõfessione. 584

B.

Bartholomæus Syriæ regum orinine clarus non dedignatus est in piscatorum numero haberi. 2
Bartholomæus à dæmonibus obsessos liberauit. 96
Basilius dedit se ad Scripturas diuinas. 112
Basilius magnus, explorator philosophiæ, demum Christo credere cæpit. 139
Basilius magnus episcopus Ecclesiã ab Arianis possessam iterum accepit. 142
Bartholomæus indutus fuit collobio albo. 232
Basolus precibus fontem obtinuit. 278
Basoli abbatis mansuetudinem fera ostendit. 321
Basiani episcopi benignitatem cerua ostendit. 322
Banon monachus pœnitudine catalogo Sanctorum inscriptus est. 381
Bartholomæus apostolus argentum aurumque contempsit. 49
Barbara oratione præmissa à patre protecta est. 107
Basilius magnus Indæum ad fidem Christi conuertit. 132
Basilio intercedente is, qui diabolo se manciparat, liber euasit. 385
Barbara virgo à patre interfici potuit, cogi verò vt castitati præferret nuptias non potuit. 354.
Barbara post longissima tormenta à patre proprio capite trũcatur. 502
Banon suffragante angelo sacram Communionem accepit. 422
Barnabas igne cõsumptus martyrij gloriam accepit. 484
Benedictus Abbas impubis parentes reliquit, eremumque iuit. 5
Bernardinus Minorũ Ordinis prandiolum suum cum pauperculis partiri consueuit. 12
Bernardus abbas fratres suos religiosè dormire docebat. 76
Bernardinus minorum Ordinis super pauimento vestitus iacere consueuerat. ib.
Bernardus contemplator nesciebat vbi equitarat. 115
Bernardus abbas sola assiduitate legendi intellexit scripturas. 123
Bernardinus minorum Ordinis ex delectatione scripturæ religionẽ ingressus est. ibid.
Bernardinus in charitatis negotio assiduus fuit. 175
Beno abbas nunquam iratus visus est. 218
Benedicto abbati quidam presbyter prandium attulit. 277

Digitized by Google

Beon abbas in summo silentio vixit. 328
Benedictus abbas corpus suum in spinas proiecit. 342
Bernardus abbas docuit in prædicatione inanem gloriam esse fugiendam. 202
Bercharius ob obedientiæ promptitudinem vinum effusum recuperauit. 298
Bernardus abbas pecunia sublata Deo gratias habuit. 466
Beniamin eremita fratribus supplicare solebat, ne corporis sui sed animæ curam haberent. 474
Bernardus abbas oratione discipulum à tentatione recedendi liberauit. 518
Benedictus abbas discipulum virgis à tentatione liberauit. 518
Beda presbyter Domino reuelante cognouit se corporis vinculis exuendum. 562
Benedictus papa, intercedente Odilone abbate, à purgatorio liberatur. 574
Bonifacio archiepiscopo ieiunia pro delitijs erant. 259
Bonitius vestimentum miri candoris à beata Virgine in viso accipit. 113
Bonifacius pœnitentiam agens cœlum ingreditur. 380
Bonifacius archiepiscopus euãgelizando verbum Dei nudis pedibus incessit. 250
Bonifacius, ad supplicium accedẽs, alios ad martyrium hortabatur. 494
Brigida abbatissa omnia humilitatis opera in monasterio faciebat. 40. 356
Briccius episcopus prunis ardentibus suam innocentiam ostendit. 437

C.

CArilephus muliebres gressus semper refugit. 245
Cassius episcopus Eucharistiã sumpturus crebrò in fletum prorũpebat. 388
Cain ob mansuetudinem qua fratrẽ suũ imitari debebat, interfecit. 319
Cassius quotidie communicans ad cœnam æternam vocatur. 432
Chananæa mulier perseuerans in oratione à Saluatore exaudita est. 390
Cassius episcopus per visum accepit se Natalitio Petri & Pauli migraturum. 504
Catharina virgo non est verita insultare tyranno propter periculum proximorum. ibid.
Catharina virgo ob Christi fidem decapitata est. ibid.
Catharina virgo patienter tolerabat tormenta propter virginitatem. 353
Cæcilia virgo cilicio squalebat. 253
Celestinus papa pontificatum inuitus gerebat. 46
Cecilia Romana codicem euangelij nunquam à se dimisit. 126
Cæcilia virgo angelum habuit defensorem virginitatis. 353
Cæcilia virgo credere maluit quam thori habere consortem. 356

Digitized by Google

Cæcilia virgo ob fidem Christi in ignē deijcitur, & illæsa permanens decollatur. 504
Cæci inclamare perseuerantes, quod volebant assecuti sunt. 587
Cyriacus dona oblata recusauit. 49
Cyprian⁹ Christi amore capitis amputatione martyrium sumpsit. 500
Cyprianus magus Christianus effectus tyrannorum tormenta facilè contempsit. 138
Clara discipula Francisci vidit puerum Iesum in die natiuitatis quasi iam natum. 108
Cornelij centurionis eleemosynæ ascenderant in memoriam in cōspectu Dei. 11
Constantinus monachus osculatus est eos qui eum despiciebant. 31
Copres presbyter ignem illæsus in fide ingressus est. 142
Columbanus abbas annis sexdecim herbis tantùm sustentatus est. 227
Columbano abbati vrsi obtemperauere. 321
Cosmas & Damianus munera regis repudiauere. 49
Constantinus Augustus Christo tēpla construxit. 131
Consortia non sunt habenda cum ijs qui sibi sapientes videntur. 224
Columbam virginem vrsus ab iniuria tutatus est. 355
Columbani discipulus mori appetebat. 549
Crato philosophus prædicatione Ioannis sua vendens eleemosynas dedit. 10
Christus docuit nos ante orationem corda nostra præparare. 82
Christus docuit semper orare. 38
Christophori cruore regis oculus sanatus est. 185
Christus nasci voluit sub pace in orbe terrarum. 215
Christus ieiunabat & dæmonem vincebat. 257
Christus discipulis ieiunandi documentum ingessit. 257
Christus beatos dixit esurientes & sitientes. 171
Christophorus in tētationibus Dominum inuocabat. 348
Christiana virgo interemptos propter eam ad vitam reuocauit. 185
Christus docuit proximos diligere. 176
Christus suo exemplo docuit parentibus obediendum esse. 295
Christus de virgine nascēs virginitatem commendat. 336
Christus docuit pro iniuria vindictam non quærere. 446
Christus ignominiosissimam mortē sustinuit. 482
Christophorus post longa tormenta capite mulctatur. 492
Christus à dæmone tentatus eum verbis scripturæ superauit. 514
Christus exemplo docuit pijs actionibus inhærere. 536
Christus nobis memoriam mortis ingerebat dicendo Vigilate. 447
Christus suo exemplo viuere & mori docuit. 554
Christus nos confiteri oportere inuebat, cùm mundatos leprosos ad sacerdotes mitteret. 373
Christus patientiam docuit dicendo, an-

Digitized by Google

do, auferenti pallium tunicam non esse negandam. 462
Chananæa flendo post Dominũ misericordiam impetranit. 390
Charitas est ignis quem Dominus misit in terram. 160
Charitas Apostolum Petrum ambulare fecit super aquas. ib.
Charitas beatum Petrum fecit omnia credere. ib.
Chusi simulabat amicitiam ab Absolon. 310
Cudberto Episcopo obitus suus diminitus prænunciatus fuit. 561

D.

Quid septem horas Canonicas orandi documentum reliquit. 80
Dauid exultabat in spe, & misericordia 146
Dauid lætabatur in reductione arcæ. 157
Dauid Saul regis in se odium beneficijs æquauit. 165
Dauid propter pacem Saulem fugit. 214
Dauid ieiunanti peccata dimissa sunt. 257
Dauid finxit insaniam, & liberatus est. 309
Daniel flexis genibus orabat. 81.
Danieli in oratione numerus annorum Christi nativitatis indicatus est. 65
Daniel munera cõtempsit. 48
Dauid monacho pœnitẽtiam agẽti, peccata dimissa sunt. 262
Dauid latro spe ductus monachus factus est. 262
Dauid monachus sperãs misericordiam Dei consecutus est. 149
Daria virgo persequẽtes ad fidem convertit. 178
Daniel manibus laborans precium pauperibus erogat. 231
Daniel propheta contempta regis mensa legumina comedebat. 270
Dauid pœnitẽtis magnus dolor extitit, qui tam repẽtè veniam meruit. 293
Dauid pœnitẽs & mærẽs deliquisse confitetur. 378
Daniel etiam pro populi peccatis fleuit. 373
Daniel peccata populi confidens, mox liberationem futuram audiuit. 403
Danielem abbatem puer ab infamia liberanit. 436
Daniel leonibus devorandus traditur. 484
Dauid peccatum pœnitudine delenit, sinceriùsque vixit. 555
Dauid reminiscens se esse mortalẽ, ab iniustitia recessit. 545
Dauid morti proximus dedit præcepta filio suo Salomoni. 553
Deus aliquibus sanctis specialem prærogatiuam intercedẽdi concessit. 105
Desperãs non cõsiderat diuinã misericordiam. 264
Deicoli lenitudinem aper ostendit. 821
Dines purpuratus Lazaro negãs eleemosynam sepultus est in inferno. 12
Dionysius philosophus per Paulum apostolũ ad fidem cõuersus. 138

Dicta

Dicta Hieronymi de laudibus eremi. 72
Dionysius in passione millies passurus Christum se nunquam negaturum dixit. 487
Dominicus Hispanus libros vendens pecuniam pauperibus erogabat. 12
Dorotheus & Gorgonius post multa tormenta laqueis suspensi obiere. 498
Dorothea capitale supplicium subijt, rosasque post obitum Theophilo misit. 506
Dominicus incidēs in latrones martyrium non expauit. 501
Donatus episcopus instāte die dormitionis orauit donec exhalaret spiritum. 563
Dominicus vltimo vitæ suæ die fratribus humilitatem, charitatem, paupertatemque legauit. 564
Doctoris officiū in Mose apparuit. 189
Doctoris officium est detestari vitia hominum. ib.
Drusiana ob eleemosynas suscitata est à mortuis. 23
Dunstanus Episcopus post morbum religioni se dedit, multaque vitæ sanctitudine pollere cœpit. 475

E.

EAdmūdus Archiepiscopus prædicans præcepit imbri ne verbum Dei impediret. 201
Eadmundus archiepiscopus ieiunabat in pane & aqua. 259
Eadmundus & Bibliam legentem candela super librum cadens insensum reliquit. 125
Eadmundus semper cilicium gestauit, & in quadragesima loricam. 244
Eadmundus archiepiscopus oppressus somno à diabolo debilitatur. 528
Eduardus rex Britannorum cum vxore castitatem tenuit. 340
Egidius corpore læsus ad Deum orauit ne sanitatem acciperet. 474
Egidio abbate intercedente, regi Carolo peccati venia conceditur. 385
Egidius genere nobilis seipsum despolians amiculum proprium mendico dedit. 6
Egidius iactationis casum fugiens in eremum se recepit. 33
Egdarus rex sedecim annos in summa quiete regnauit. 218
Eduardus rex Missam audiens Christum ea corporis forma quam de matre sumpsit vidit. 413
Effren monitis magni Basilij à temerario iudicio resilijt. 438
Eulalius monachus maluit in spelunca habitare, quàm foris ab hominibus honorari. 33
Euphemianus cum vxore Aglae pauperesia domo propria reficiens, proprijs manibus ministrabat eis. 11
Eustachius ob eleemosynas Christū in cruce inter cornua cerui vidit. 11
Euphraxia humilia semper affectauit, vt inanem gloriam vitaret. 35

Digitized by Google

Euphraxia vidua suscepta vnica prole cum viro castitatem tenuit. 364
Euphraxia æmulæ veniam impetrauit. 187
Euphraxia continuè laborabat. 237
Euphraxia virgo vacuum cibo vētrem gerens vt animam virtutibus repleret. 226
Euphraxia Romana post mortem viri nubere noluit. 7
Euphraxia virgo superatis patentibus iniurijs, nulla iniuria ab humilitatis officio amoueri potuit. 441
Euphrosyna, causa obedientiæ, triginta annos mansit in cella. 302
Euphrosyna virgo parentes patriāque dimisit, ne nuptui traderetur. 360
Eustachius martyr cum vxore & liberis igne adustus martyrium sumpsit. 495
Eusebius in extremis dæmones videns, clamauit. 557
Eustratius post tormentorum congeriem igne consumptus est. 487
Eustachius Romanus amissis fortunis Christum nunquā dimisit. 465
Eugenia virgo electa in abbatem, semper tamen infirmis & alijs fratribus ministrabat. 40
Euagrius in puteum, Bernardus abbas in lacum descendere castitatis amore. 347
Eugenius Aphricæ rex vitiare timuit virgines Florum & Lucillam. 360
Euagrius presbyter pœnitens Eustri nomen accepit. 388
Eugenia virgo munera refutauit. 51
Eusebius Episcopus virginitatem ab ineunte ætate custodiuit. 349
Eulogius presbyter patientiæ virtute meruit coronari diademate. 453
Euphemia post maxima tormenta gladio confossa spiritum tradidit. 504
Elpidius abbas tantùm bis in hebdomada comedebat. 260
Elphegus suis spoliatus charitatis amore facilè pertulit. 103
Edildrida virgo cum marito castitatem seruauit. 358
Elphegus archiepiscopus post deceptionem dæmonis reingressus carcerem, martyrium sumpsit. 525
Elpidius abbas orando nunquam vertit se ad occasum. 591
Elizabeth Pannonum regis filia defuncto marito pauperibus seruiuit. 9
Elizabeth ob assiduam benignitatem in pauperes mater eorum cognominatur. 22
Elizabeth leprosis variisque languoribus granatis ministrabat. 39
Elizabeth paupertatem summo animo affectabat. 61
Elizabeth Christum in nubilus vidit. 117
Elizabeth virgo interdum in contemplatione velut exanimis iacebat. ib.

Elizabeth vidua corpus suum flagellis verberabat. 117
Elizabeth virgo quotidie se flagellis cædebat. ib.
Elizabeth, vt obedientiam seruaret, loris diuerberata fuit. 253
Elizabeth post mortem viri castitatem seruauit. 364
Elizabeth animo orationi intendebat. 90
Elizabeth viduam quendam iuuenē ad Christum conuertit. 107
Elizabeth vidua multis laboribus corpus suum fatiganit. 237
Elizabeth gaudebat se iniuriā pati pro Christo 457
Elizabeth vidua diem extremum agens Christum vidit, à quo ad cœlestem thalamum inuitata mox ire perrexit, 567
Elizabeth de Sconaugia toto corpore vlceribus tabefacta, ob hoc nunquam tristitiam vultu prætulit. 478
Elias, Eliseus, Ioannes Baptista solitudinem affectabant. 62
Elias ieiunabat quadraginta dies & quadraginta noctibus. 255
Elias miraculo fidem ostendit. 129
Elias vxore caruit. 335
Elias eremita vidit animā Theodosij senatoris infernum meremis. Hieronymo intercedente, ad purgatorium decerni. 572
Elias memoriam mortis habuit, dum vita defungi optauit. 546
Elias eremita in cibo exiguus fuit. 273
Elias monachus septuagintā annos solus in solitudine perdurauit. 67
Elias Propheta plauiam oratione impetrauit. 92
Elias abbas dum caruis molestus ferre nequiret ad eremum se dedit. 310
Elias præsens mori non timuit. 546
Eliseus Propheta remuit accipere munera. 47
Eliseus terram oratione fœcundauit. 92
Eliseus viginti panibus, centum homines pauit. 269
Eremita quidam digitos combussit castitatis amore. 347
Eleutherium diuersa genera tormētorum pro fide Christi expertum est. 497
Eleazarus non edens cibos prohibitos, in lege audacter vapulatus est. 159. 481
Episcopi etiam paupertatem colunt. 60
Epiſ. epipœna, prædicationis officium exercere molentis. 199
Ephesius nunquam ante vesperum quicquam gustauit. 264
Equitius abbas semper secum portauit libros sacræ Scripturæ. 124
Equitius abbas prædicandi auctoritatem à Deo accepit. 203
Equitius abbas dum immundis cogitationibus quateretur, ad precum confugia recurrebat. 349
Erasmus à coruis sustentatus est. 278
Ezechias rex plebem filare iussit. 346

Digitized by Google

Ezechia rege deprecante Assyrij percussi sunt. 93
Ezechias oratione ab infirmitate conualuit. ib.
Ezechias rex pœnitudine hostium multitudinem prostrauit, vitaque prolongauit. 372
Ezechias ob peccatum patienter sustinuit. 461
Ezechiæ exemplo docemur, in mortis hora maximè mœrore pœnitentiæ opus esse. 553
Ezechias ægrotans expers delicti fuit, sed mox vt conualuit iactantiæ crimen incurrit. 469

F.

Familiaritas fœminarum Samsonem compulit ad necem, Dauid ad adulterium. 224
Farra virgo plura ob virginitatem pertulit cùm vinci non potuit. 317
Faustinus & Ionita sacramentum à columba acceperunt. 417
Felix monachus liberaliter dedit ei qui furari venerat. 182
Felicula virgo abstinentiæ virtute roborata est ad martyrium. 266
Felicitas cum septem filiis pluribus tormentis fatigati martyrij palmam sumpsere. 508
Flocellum passionibus superatis per patientiam tandem præfocatione belluæ interijt. 487
Florentius solitarius pro inferentibus iniuriam inconsolabiliter tristatur. 454
Fortunatum peregrini simulata forma à diabolo sumpta infamia pollunit. 438
Franciscus beatus apparenti paupert eleemosynam elargitus est. 21
Franciscus beatus se coram hominibus vilipendere iussit, vt vitaret inanem gloriam. 32
Franciscus amator paupertatis, vestes suas pauperi dedit. 57
Franciscus vidit in contemplatione Seraph in specie crucifixi. 116
Franciscus vnica tunica contentus fuit. 225
Franciscus funè durè se verberabat. 252
Franciscus precibus obtinuit fontem à Domino. 278
Franciscus in lutem se immersit. 347
Franciscum orantem diabolus tentauit. 10
Franciscus Sacerdos semper honore maximo prosecutus est. 211
Francisco assiduitas plorandi hebetauerat visum. 387
Franciscus obliquæ suspicionis culpam in fratre castigauit. 435
Franciscus perfectus factus postquam maximas infirmitates incurrisset. 475
Franciscus post Christum vadens paratus erat omnia aduersa pati, quam à proposito recedere. 589
Franciscus expectans extremum diem vitæ suæ, nudum se super nudam humum deponi fecit. 561.

Digitized by Google

G.

Gallicanus gener regis Augusti monachus effectus omnia opera seruilia fecit. 36
Gallus abbas facto docuit non solum mandati rem, sed etiam verba esse perpendenda. 301
Galla vidua nubere noluit. 363
Galla vidua omnes infirmitates perpeti maluit, quàm ad coniugium redire. 477
Galla Romana à beato Petro visitata enotataq; ex hac vita migrauit. 566
Gabaonitis mendacium attulit salutem. 309
Gallicanus Romani dux exercitus conuersus à coniuge sibi pacta, quàm victoria acquisiuit, religionem ingressus est. 4
Gerbonius episcopus mori maluit, quam pauperes quos habebat hospitio trudi. 27
Germanus episcopus lectum suum cinere strauit. 75
Germanus episcopus naufragium patientibus oratione subuenit. 99
Germanus episcopus tenuissimo cibo contentus à vino abstinuit. 274
Geraldus monachus tempore tentationis ad orationem fugit. 102
Gerualius & Protasius legẽdo fidẽ conseruarunt. 124
Geminianus electus à populo honorem fugit. 43
Genebaldus episcopus pœnitendo sanctus factus est. 382
Goar monachus Dominum deprecatus est pro infirmitate, vt non eligeretur episcopus. 42
Gregorius antequam Pontifex, vbi Romæ senator erat, sed sua propter Deum dispersit, & monachi vitam duxit. 3
Gregorius aliquãdo angelis sub forma mendicãtium eleemosynam elargitus est. 13
Gregorius interdum Christũ hospitio accepit in personapauperũ. 26
Gregorius primus Papa fuit qui se seruum seruorum appellauit. 38
Gregorius desperans se posse effugere episcopatum, dolio se condi & exportari fecit. 45
Gregorius episcopus panes hordeaceos esitabat. 277
Gregorius Papa Eleutherio abbate intercedente ieiunare potuit. 264
Gregorius papa dum Corpus Christi porrexit mulieri, id ipsum in carnem versum est. 373
Gregorius adhuc abbas quendam fratrem de gramissimis pœnis liberauit. 382
Gregorius elegit quamdiu viueret languoribus agitari, quà bidno post mortem in purgatorio vexari. 473
Gregorius martyr capitis amputatione martyrium sumpsit. 487

H.

Heli exteriorem gestum in Anania annotauit, sed Deus intima cordis respexit. 387
Heli, filios suos remisse arguens, Deum

Digitized by Google

Deum offenderat. 429
Hero solitarius diabolo credens cecidit in lacum, & post triduum miserabiliter obijt. 523
Hilarion Palæstinus dispersis temporalibus eremum ingreditur. 5
Hilarion flebat quotidie se cū fratribus habitare propter inanem gloriam. 34
Hilarion non habens quod pro mercede vectori daret, euangelium cœpit offerre. 55
Hilarion abbas viso Antonio mutauit habitum, & vasta eremo fruebatur. 65
Hilarion abbas corpus suum sacco tegebat. 225
Hilarion abbas pectus pugnis cædebat. 347
Hilarion abbas super humo nuda cubitauit. 74
Hilarion nunquam ante Solis occasum cibum gustauit. 263
Hilariō abbas in extremis laborās apertis oculis loquebatur. 556
Hilarion abbas arma latronum nō timuit, dum ad mortem paratus fuit. 550
Hieronymus de laudibus eremitarum. 69
Hieronymus eremi incola fuit. 550
Hieronymus in eremo corpus suum fatigabat. 67
Hieronymus magno studio legit diuinas Scripturas. 112
Hilarion scripturas quasi Deo præsente recitabat. 112
Hieronymus sacceā tunica erat indutus. 225
Hieronymus ex mansuetudine cōcionem fugiebat. 298
Hieronymus in contēplatione meruit haurire ingentem dulcedinem. 114
Hieronymus fide Christi fidem Sabiniani extinxit. 144
Hieronymus Demetriadem virginem hortabatur, vt posset saluare animam suam. 237
Hieronymus die noctuque laboribus verberibusque corpus suum fatigabat. 249
Hieronymus corpus suum ieiunijs & vigilijs fatigabat. 263
Hieronymus corpori in iuuentute iustam alimoniam tribuendum ait. 291
Hieronymus dicit quosdam per septennium silu isse. 310
Hieronymus monuit Celātiam moderati esse sermonis. 332
Hieronymus docuit non omni tempore esse loquendum. ib.
Hieronymo quotidie gemitus lachrymæque erant. 387
Hieronymus in extremis Corpus Christi sumpturus super humum se deponi fecit. 517
Hieronymi intercessione tres viri à mortuis suscitati. 571
Hippoliti membra diuidi potuerūt, Christi verò amor ab eo scindi non potuit. 500
Hor abbas scientiam litterarū non studio sed oratione didicit. 100
Honoratus abbas adhuc parulus à carne abstinebat. 273
Hor abbas herbis radicibusque sustentatus fuit. ibid.
Hospitius pane & pomis vescebatur. 256. 276
Honophrius herbis fructibusque contentus fuit. 65. 274

Digitized by Google

Hanophrius nullum certum locum dormiendi habuit. 74
Hobitius monachus ferro solebat lumbos præcingere. 210
Hugo abbas oratione tentationibus restitit. 517
Hugo abbas exhortationibus fratres suos à tentatione liberauit. 517

I.

Iacobus Maior Apost. Philetem Magum ad fidem conuertit. 127
Iacobus Iustus habuit amiculum lineum. 233
Iacobus Iustus vinum & siceram non bibit. 272
Ieremias mandatum accepit, ne uxorem duceret. 335
Iacob simulauit se esse primogenitum. 188
Iacobus Deartuatus pœnitens gloriam meruit. 269
Iacobus Denodatus sperans misericordiã adeptus est. 150
Iacobus Sizaram adacto in tempora clauo interfecit. 268
Iacob manuetudine fregit odium fratris. 329
Iacobus Apost. dixit confessionem faciendã inuicem 403
Isaias in duas partes sectus. 305
Ieremias loqui se negabat. 190
Iacobus Maior ab Herode Agrippa capite detruncatur. 482
Iacobus Deartuatus consummauit martyrium. 401
Iacobus minor lapidatus fullonisque fuste interemptus est. 483
Iacob Labanis seruiuit, & rerum successu potitus est. 535
Iacobus Apost. vitã præsentem vaporem appellauit. 548
Iesus Sirach iubet os custodire. 227
Iehu rex propter obedientiam regnare meruit. 293
Iesus Sirach mortis memoriã commendabat. 493
Ignatius præfocatus, à leonibus martyrizatus est. 490
Inanem gloriam Christus vitare docuit. 10
Inanem gloriã vitãdam esse, beatus Apionius dixit. 30
Iosaphat Indiæ Auenir regis filius, Barlaã eremitæ salubri persuasu, terrenum regnum contempsit propter Christum. 7
In auaritiam. 52
In opulentiam & luxum clericorum. 57
In impudicos. 365
Ioãnes patriarcha pauperes dominos suos appellabat. 15
Ioannes monachus Aegyptius renuit de se dicere bona ad vitandum inanem gloriam. 30
Ioannes patriarcha moriens Deo gratias egit quòd nihil habuit. 60
Ionas de ventre ceti ad Deum clamabat, & liberatus est. 95
Ioãnes Drusianã à mortuis suscitauit. 96
Ioãnes Chrysostomus ab Arrianis à Deo protectus est. 141
Ioãnes & Paulus Terentiani præfecti filium à dæmone liberum reddidere. 181
Ioannes Abbas nunquã fuit iratus. 218
Ioab Isboseth & Amasã dolo interfe-

Digitized by Google

terfecit. 220.221
Ioannes Syndone amictus. 233
Ioannes Abbas opere fabrili tempus terebat. 238
Ioannes Baptista erudis herbis & aqua frigida sustentatus sustentatus fuit. 277
Ioseph finxit se fratres suos nō noscere. 307
Ioseph mitissimi ingenij adolescens fuit 320
Iob pœnituit se locutum esse. 326
Ioannes nunquam locutus est cum mulieribus. 143
Ioannes eremita solitariè habitauit triginta annis. 66
Ioannes eremita tribus continuatis annis stetit semper eramitque. 67
Ioannes patriarcha exemplo populum docebat audire totam Missam. 87
Iosue oratio Sol & Luna immoti steterunt. 93
Ioachaz rex oratione ab iniuria liberatus est. ib.
Iosaphat inimicos oratione fugauit. 94
Ioannes fuit in spiritu, & audiuit arcana Dei. 112
Ioannes Apostolus in fide venenū bibit 133
Ionathas erga Dauid amicitiā non immutauit. 168
Iob charitatem erga pauperes ostēdit. 169
Ioannes Eleemosynarius nepoti iniuriam facienti benefecit. 184
Ioannes Damascenus iniuriam sibi irroganti à morte liberauit. 385
Ioannes Baptista formam prædicādi exhibuit. 191
Iosaphat rex correptus est propter amicitiam factam cum Ochosia rege. 225
Ioannes Baptista de pilis camelorum vestitus fuit. 231
Ioannis pontificis equi vsus sacerdoti honorem tribuere docuit. 211
Ioannes monachus sub cana montis rupe tres annos reclus perstitit. 231
Ioannes Abbas nihil aliud quā Corpus Christi gustabat. 263
Ioannes Abbas nunquam aliquid docuit, quod prior ipse non fecisset. 296
Ioannis Abbatis duo discipuli ob obedientia mandatum fame interierunt. 300
Ioannis Cassiani doctrina de silentio. 328
Iosaphat rex Iuda, implorans Deū, meruit auxilium. 372
Ioram rege pœnitentiam agente, summa inopia comersaest in Samaria copiam. ib.
Ioachaz rex pœnitentiam egit, & datus est illi saluator. ib.
Ioseph adolescens à domina adamatus consentire noluit. 335
Iob gaudebat se non esse deceptum super aliena muliere. 336
Ioannes Baptista virginitatem meruit. ib.
Ioannes Euangelista virgo erat. ibid.
Iosias rex pœnitens omnium calamitates euenit.

Digitized by Google

Iob iustus carnem suam cinere operuit. 376
Ioannes Baptista durissimam pœnitentiam egit. 378
Ioannis Apostoli cura sūma peccatores ad pœnitentiam trahere fuit. 384
Iob rectum à Deoque probatum, Hus habitatores iudicarunt iniustum 429
Ioannes episcopus etiam publice peccātes absentes taxari vetuit. 435
Ioseph in se fratrum invidiam beneficiorū relatione cōpēsauit 443
Iob ab omni semper prorsus vindicta fuit alienus. 446
Iob patientia. 461
Ioannes Baptista in gratiam adulteræ obtruncatur. 482
Ioannes Baptista perseruauit in abstinentiæ proposito. 536
Ioannes abbas non comodit nisi occasus Solis adesset. 549
Iob memoriam mortis in omnibus habuit. 545
Iosue in extremis filios Israel hortabatur ad observātiā legis 553
Ioannes Anachoreta diem obitus sui præscivit. 556
Iphigenia ad Egypti regis filia castitatem vouit. 350
Isaac Monachus indignum se iudicabat sacerdotio. 42
Isaac patriarcha semper quæsiuit vbi tranquillus viuere posset. 214
Ismael Godoliam incautum necauit. 221
Idem octoginta viros eodem facinore necauit. ibid.
Israelitæ à periculis liberati sunt. 268
Isaac monachus dies tres & noctes totidem continuas orauit. 85
Isaac malas sibi inferre desiderantibus cibos obiulit. 463
Isaac per cæcitatis errorem ad posteritatis suæ felicitatem à Deo promissam peruenit. 467
Isaac Deo fidelis in finem perseuerauit. 534
Iudocus regnum à fratre oblatum accepiare nolēs, clam profugit. 69
Iudocus pro modico pane accepit duas naues plenas fructibus. 19
Iudocus Britanniæ de regum stirpe in eremum se transtulit propter inanem gloriam vitandā. 33
Iuuenalis episcopus vnius incredibili pœna multis causam credendi dedit. 199
Iudith ieiunijs & abstinentia certauit. 89. 106
Iulianus hospitator pœnitentia factus est cæli habitator. 381
Iustus episcopus fugiebat dignitatem, solitudinem intrans. 46
Iudas Thaddæus aurum & argentum recusauit. 49 97
Iudas Machabæus orationibus magis quam armis debellauit hostes. 94
Iudas desperans damnatus est. 148
Iudith figmento fugit ab Hebræis 87. 74
Iudam Dominus tutatus est, quoniam eum inuocauerunt. 379
Iulianus martyr cum Basilissa castitatem seruauit. 338
Iudith vidualitatem prætulit nuptiis. 350

Digitized by Google

Iuoni ad prædicandum eunti aqua submissa est, donec pontem transiret. 200
Iuo presbyter matrem cum filio pacificauit. 217
Iuo ieiunia Ecclesiæ in pane & aqua ieiunabat. 260
Iuonis benignitatem quædam auis ostendit. 323
Iuoni presbytero celebranti globus igneus super caput ipsius visus est. 416
Iuo presbyter moriens, intentis in imaginem Crucifixi oculis, obijt orando. 563
Iustina virgo munita signo crucis, magijs Cypriani supplantari non potuit. 355
Iudas Ischariotes falso iudicio perditionem vocat vnguentum, quo Saluator perfunditur. 432
Iuliana virgo capitis cæsione martyr effecta est. 506
Iulita capitis amputatione martyrium sumpsit. ib.
Iuliana virgo in carcerem post pœnas recepta diabolum vinxit. 531
Iustina virgo recipiens in seruitutem dæmonem virginitatem se vouisse asserens, cruce signata effugit. ib.
Iustus monachus intercessione beati Gregorij à purgatorio liberatus est 574
Iuda Machabæo teste, efficax est pro defunctis oratio. 575

K.

KVnegundis Henrici imperatoris coniunx post obitum mariti religionem intrauit. 9
Kunegundis virgo super candentes vomeres inoffensa ambulauit. 359

L.

LAmon monachus mori præoptauit, quàm episcopus viuere. 43
Lambertus ob obedientiam exhibitam abbati meruit restitui in sedem episcopatus. 300
Latro sperauit consequi misericordiam. 378
Latro pœnitens ad paradisum euolat. ib.
Laurentius Leuita thesauros Ecclesiæ dedit pauperibus. 16
Launomarus abbas orans à dæmone tentatur. 109
Laurētius ob Christi amorem martyrium epulas vocauit. 500
Launomaro Abbate orante in Ecclesia, diabolus lampadem extinguit, reincensam diuinitus. 527
Leo papa castitatis amore manum sibi abscidit. 341
Leonardus natione Gallus, dilargitis facultatibus suis, religioni se tradidit. 6
Leonardus in curia regis Galliarum præcipuus in Aquitaniam discedens fugit episcopatum. 44
Leonardus dona oblata respuit. 50
Leonardo monacho oranti serpens in sinum eius reptauit. 109
Liberalis alimonia Corporis & Sanguinis Domini sustentabatur. 262
Libertinus monachus ab abbate

Digitized by Google

graviter percussus, tacitus in cellam suam se recepit. 451
Libertinus præpositus accipientibus equum etiam flagellum dedit. 462
Lot Angelos accepit hospitio in specie peregrinorum. 25
Lodouicus Gallorum rex cilicium portauit. 249
Lodouicus Gallorum rex dum ægrotaret, non in sericis, sed in cinere iacere voluit. 564
Lucas manibus post vocationem laborauit. 229
Lucia illæsa manfit à flammis. 24
Lucia virgo letabiliter vulnerata mori non potuit, donec Eucharistiam à sacerdote sumpsisset. 383
Lucia virginitatem vitæ habuit chariorem iuuene cui pacta erat. 351
Lupus regia stirpe Galliæ ortus pro indesinente in cælo thesauro bona sua pauperibus elargitus est. 6
Lupus Episcopus quosdam clericos oratione ad continentiam addu xit. 102
Lupus Episcopus ciuitatem ab Attila precatione liberauit. 104
Lupus Archiepiscopus à Domino vinum precatus est. 278
Lupus Episcopus diebat non offendere obloquentium verba, quem propria non inquinat conscientia. 463
Lupus Episcopus patientia, quam habuit, inimicos mansuetos reddidit. 449

M.

Matthæus publicanus statim vt à Christo vocatus est, telonium reliquit. 3
Mariâ Magdalena & Martha, venditis hæreditatibus suis, pecuniam proiecere ante pedes Apostolorum. ibid.
Martinus pauperis nuditatem dimidiata chlamydis sua parte operuit. 16
Martha Christum hospitio recepit. 28
Maria Gallica, vt humilitatem seruaret, vitam solitariam duxit. 35
Martinus Episcopus seruo suo ministrabat. 38
Marcus Euangelista, vt sacerdotio reprobus haberetur, pollicem sibi amputauit. 42
Martinus Episcopus frangebat somni mollitiem lecti rigore. 75
Magnobonus Episcopus impetrauit captiuorum liberationem à Deo. 96
Mariæ Magdalenæ assidua meditatio. 117
Mariam Ægyptiacam Zozimas orantem corpore super terram suspensam vidit. 117 212
Vixit nuda in eremo. 226
mortua est. 566
Machabæi fratres maxima tormenta sustinuerunt. 159
Maria Decegnies lepræ morbo affectis seruiebat in charitate. 777
Maria Deceguies virgo stagris acriter distringebat se. 253

Digitized by Google

Maiori Episcopi ieiunium. 259
Maxentius pane & aqua victitauit. 277
Martha virgo, post mortem Domini, quotidianum seruauit ieiunium. 280
Magdalena diuinis alimentis sustentata est. ib.
Maria de Oegnies pane & aqua contenta fuit. 290
Mariani monachi benignitate ostendit aper. 321
Marinus solitarius vrsum pro asino habuit. 322
Maxentij Abbatis manibus insidere aues. 323
Martius solitarius solus habitabat, ne mulierem aspiceret. 354
Margarita virgo sponsum dimisit castitatis amore. 361
Marinus monachus tam humanus fuit, vt aper ad illum confugiebat. 28
Malachias Episcopus quotidie pro sorore defuncta celebrabat. 101
Marcellinus papa pœnitens gaudia æterna meruit. 379
Maurilius Episcopus post pœnitudinem cœlum ingressus est. 382
Maiorus Archiepiscopus dignitatem fugiens eremum intrauit. 46
Martinus eremita nulla difficultate ab ærario discessit. 70
Maria Magdalena annis triginta in deserto vixit omnibus incognita. 71
Maria Ægyptiaca diu in deserto vixit, vitamque in eo concluſit. ibid.
Martinus monachus totam Missam audiebat. 85
Martinus Episcopus etiam laborando orabat. ibid.
Maria virgo mater Dei multum oranit. 89
Martha centies in die orabat. ib.
Maximum monachū diabolus tentauit superbia. 108
Maria virgo Dei genitrix lectionibus vacabat. 125
Marcellæ viduæ ardor incredibilis in diuinas scripturas. 126
Manasses petijt misericordiam, & exauditus est. 147.375
Matthæus & Zachæus misericordiam consecuti sunt spe. 148
Maria Magdalena speranti, peccata dimissa sunt. 153
Maria Ægyptiaca pœnitens misericordiam adepta est. ib.
Maria neptis Abrae, misericordiam pœnitendo recuperauit. ib.
Maria Magdalena amore Christi mundum contempsit. 167
Maxentius Abbas virtute charitatis aliquos ad fidem conuertit. 183
Maurus à persequente liberatus, eidem vitam impetrauit 184
Martinus Episcopus sacerdotē pratulit Imperatori. 210
Maria Ægyptiaca sacerdotes honorauit. 212
Marcellini sacerdotis honorem ignis demonstrat. ib.
Maria Virgo in Templo laborauit. 226
Maiorus Episcopus semper cilicium gestitauit. 248
Macharij sacem fabulo repletus contra tentationes remedio fuit. 249

Digitized by Google

Martinus monachus catena ferrea pedem saxo affixit. 251
Maria Ægyptiaca quadraginta annis herbis sustentata fuit. 266
Maria Decegnies tribus annis in pane & aqua ieiunauit. 257
Maria de Oegnies cum marito castè vixit. 358
Mardocheo ad Deum clamante, Deus liberauit populum Israel. 375
Maria soror Aaron commissum doluit, & veniam meruit. 377
Maria prior consolari meruit, quæ vberiùs lachrymas fudit 389
Maria mater Dei virgo electa est, vt Deum pareret. 351
Margarita virgo corporis cruciatus pati maluit, quàm matrimonio copulari. 553
Maria de Oegnies sub Missa formã pueri vidit. 373
Maioro Episcopo orante, Angelus sacram Communionem ter porrexit. 376
Marcus scriptor Eucharistiam ab Angelis suscepit. ib.
Matrona Alexandrina aluit viduam patienter sustinens sibi iniuriantem. 456
Mamartini Abbatis patientia. 455
Mammes septennis puer patientia crudelitatem tyranorum superauit. 487
Marius cum vxore & filijs patienter capitis truncationem sustinuit. 489
Marcus & Marcellianus fratres & martyres lanceis confossi patienter martyrium adepti sunt. 491
Maximus martyr, obrutus lapidibus, martyrium adeptus est. 493
Margarita victo diabolo signo crucis capitalem sententiam subijt. 504
Matthæus oratione suscitauit mortuum. 97
Matthæus de telonio ad apostolatum vocatus est. 148
Matthæus cuspide transfixus est. 483
Matthias lapidatus securique percussus interijt. 484
Maxima & Donatilla ambæ capitis abscisione palmam martyrij sumpserunt. 510
Macharius abbas nõ obstupuit dæmones decubans in sepulchris. 521
Martinus Episcopus diabolum trãsfiguratum in Angelũ lucis verbis Christi vicit. 525
Margarita virgo in carcere post tormenta glutita à dæmone euomitur sana. 531
Maria Magdalena perseuerans ad sepulchrum, Christum meruit videre. 542
Martinus episcopus obitum suum multo antè prædixit, nec mori timuit. 561
Maria Magdalena humiliter ante Altare postrata spiritum tradidit. 565
Martha virgo decessura lampades accendi iussit. ib.
Medericus abbas quendam monachum à carnis tentatione liberauit. 348
Melania vidua monasterium intrauit. 365
Metron confessor post pœnitudinem beati-

Digitized by Google

beatitudinem ingressum est. 383
Menæ eremitæ pauculà tantùm alnearia victum suppeditabant. 54
Mederici abbatis cilicium etiam alijs contra tentationes remedio fuit. 249
Mendacium pernicioſum quid. 306
Medardus presbyter vastatorem vineæ suæ deprehendit, illæsumque absolvit. 464
Merulus monachus diu sepultus suauissimi odoris fuit. 560
Micheas propheta Achab nihil locutus est ad gratiam. 304
Michol vxor Dauid punita est, quia regem Dauid despexit. 430
Miphiboseth pedum ægritudo contulit vt diutius viueret. 478
Moyses abbas videri noluit propter vitandam inanem gloriam 30
Moyses feruenter oravit pro filijs Israel. 80
Moyses pro Maria Deum oravit, & à lepra curata est. 179
Moyses ex malitia populi nunquam commotus est vt benefacere cessaret. ib.
Monachi in Ægypto strictissimum silentium seruarunt. 329
Moyses monachum post magna peccata multa charitatis opera operatus est. 380
Moyses abbas recto corpore orabat. 85
Moyse intereedente, plagæ Ægypti cessabant. 91
Moyses veritatem fidei sapissime ostendit. 128
Moyses abbas latro fuit, sed monachus factus est. 149
Monachi Ægypti nullum accipiebant nisi obedientem & laboriosum. 235
Monica Augustini mater lagendo pro filio oravit, & exaudita est. 391
Moyses saluatur, cuius mansuetudo egregiè apparuit. 319
Moyses abbas exemplo docuit pœnitenti fratri veniam indulgere. 434
Moyses illatam sibi contumeliam fratri statim ignouit, & pro Maria sorore deprecatus est. 444
Moyses semel peccando prohibitus est intrare terram promissionis. 315
Moyses sepultus est in valle terræ Moab. 552
Mutius abbas ex quadam visione ad fidem conuersus est. 179
Mutius abbas tantùm Dominica die comedit. 261
Mulier Chananæa desecta orare nõ destitit. 89
Mulier in adulterio deprehensa seuerando misericordiam adepta est. 152
Mutius abbas proprium filium obedientiæ causa submergere voluit. 299
Mutius abbas pro altero Deum precatus spatium ad pœnitendum impetrauit. 385
Mutius abbas cum filio octenni ingressus est monasterium 539
Musa virgo, visa beata Virgine, beta de corporis carcere exijt. 568

N.

Nazarius & Celsus tantum beneficium retulerunt, quantam

Digitized by Google

tam iniuriam acceperant. 181
Natalia vidua fugam fecit ne nubere cogeretur. 362
Nazaræis præceptum fuit ne vinũ biberent. 270
Nabuchodonosor pœnitens sanitati regnoque restitutus est. 376
Nathanael Anachoreta desertum derelinquens, viso diabolo in forma terribili reuertitur. 519
Nemo potest perfectè diligere, qui non credit. 159
Nicolaus Mireæ Episcopus, parentum vnicus hæres; omnia distraxit in pauperum alimenta. 3
Niuardus relictis parentibus hæreditateque magna, Ordinem sancti Bernardi ingressus. 5
Nicolaus infantulus adhuc ieiunabat. 149
Niceta martyr castitatis amore linguam dentibus dissecauit. 498
Ninuitæ fiduciam habentes misericordiam consecuti sunt. 47
Nicolaus senex spe diuinæ misericordiæ saluatus est. 150
Nicolaus cognomento peregrinus, insaniæ stimulatione circumiens ciuitates, morbum languores sanauit 316
Nicomachus passionibus superatus, idolis sacrificans, miserabiliter interijt. 492
Nicolaus quidam breuissima oratione dæmones effugauit. 428
Noe perseuerauit omnibus diebus vitæ suæ in seruitio Dei. 534

O.

Obedientia triplex est. 292
Obstetrices maluerunt mendacio vti, quàm regi parere. 308
Oddo coactus abbas effectus est. 42
Odilonis Abbatis ieiunium quadragesimale. 254
Odo abbas ei qui equum abegerat veniam petenti indulsit. 464
Odilonem abbatem dæmon in extremis terrere non potuit. 584
Olympius Arrianus à Christo percussus est propter nominationem Trinitatis. 141
Onophrius tantùm verenda foliis tegebat. 235
Onophrius sexaginta annos in solitudine vixit. 65
Onophrius solitarius animam exhalans visus est ab Angelis in cælum tolli. 568
Oratio pro defunctis cibus defunctorum est. 101
Oratio iustorum etiam vinis suffragari solet. 102
Orationis tempore diabolus tentat specialiter. 111
Oratio quibus verbis facienda. 82
Orationes ab Angelis offeruntur Deo. 108
Orestes super lectum ferreum vstus patienter martyrium sumpsit. 488
Osualdus rex solitus erat quotidie pauperes alere. 10
Othilia Abbatissa pro stragulo vrsina pelle, propulullo saxum erat. 78
Othilia virgo legũminibus & pane vsa fuit. 291
Othilia patrem precibus liberauit, qui mortem ei machinatus est. 188
Othilia virgo cæca nata, Dei gratia

Digitized by Google

tium egit, ac tandem visum recipere meruit. 466

P.

Pala Romana. 8.41
Paulinus Nolanæ vrbis episcopus seipsum in eleemosynam tradidit. 17.173
Paula vt eleemosynam daret, pecuniam nunquam accepit. 22
Paulus Apostolus præcepit hospitalitatem. 28
Paulus Apostolus docuit vitare inanem gloriam. 30
Pacomius abbas infirmis fratribus diligenter ministrabat. 37
Postumius monachus renuit acceptare abbatis honorem. 42
Paulus primus eremita à iuuentute habitauit in spelunca saxea vsque ad mortem. 63
Paula Romana super durissimam humum quiescebat. 78
Paulus Apostolus claudum à natiuitate sanabat. 97
Pacomium ad cultum Dei adduxit charitas. 175
Pafnutius Thaidem in charitate ab impudicitia auertit. ib.
Patritius Episcopus primus in Scotia fidem Christi euangelizauit. 188
Pafnutius cuidam viro cum vxore comparatus est. 217
Pastor abbas docuit pacem etiam cum inimicis habere. ib.
Paulus primus eremita tunica de palmæ foliis contexta operiebatur. 234
Paulus Apostolus manibus laborabat. 223
Pacomius Abbas corpus suum veteribus castigabat. 251
Postumio abbati panis tantum & aqua victus erat. 373
Palamon monachus in die Paschæ holus oleo & sale conditum comedit. 274
Pambo abbas in solitudine nunquam panem gustauit.
Paulus monachus per triennium nulli locutus est. 276
Paulus abbas solitudinem ingressus est, ne fœminam videret. 342
Pafnutius intellexit tutius esse habitare cum dæmonibus, quam cũ muliere. ibid.
Paula vidua post obitum mariti cũ viris nunquam comedit. 362
Postumius semper super nuda humo cubitauit. 74
Postumium ab orandi studio nulla infirmitas impediebat. 85
Paulus abbas solitus erat semper prius orare, quàm laborare 86
Paulus Apostolus raptus est ad tertium cælum. 112
Paulus Apostolus hæreticos dixit esse vitandos. 145
Paulus Apostolus spe diuinæ gratiæ vas electionis factus est. 149
Pacomij Abbatis monachi omnes manuum labore victum comparabant. 234
Paulus Abbas quotidianum laborem fugiendi otij causa sumebat. ibid.
Paulus primus eremita nongenta annis hominibus incognitus fuit. 227
Paulus Apostolus corpus suum fatigabat laboribus multis, spiritúque subijciebat. 358
Paula vidua corpus ieiuniis & labo-

Digitized by Google

boribus debilitabat. 269
aulus simplex etiam absurda, obedientiæ causa, nunquam distulit perficere. 295
acomius quendam ex fratribus suis ad pœnitentiam conuertit. 386
aulus Apostolus viduas virgines-que ad castitatis obseruantiam hortatur. 337
aulus abbas discipulo alapam dedit, qui tanta patientia pertulit, vt nec quidem mutiret. 552
afnutius presbyter pro infamante se oranit, & à dæmone libera tur. ib.
aulus simplex deprehendens vxorem in adulterio, se vindicare noluit. 455
aula vidua nihil quicquam molestè ferebat. 457
aulus solitarius paralyticus cæteros ægrotantes curabat, pro sua valetudine nihil solicitus. 475
aula Romana ob ægritudinem noluit ab instituto vitæ monasticæ declinare. 477
aulus apostolus flagellatur & torquetur, demum Romæ capite truncatur. 483
anthaleon martyr capite punitus est. 493
aulus sola gratia opitulante sperat euadere Satanæ tentationes. 515
acomius abbas inimicum fugauit Crucis signo. 526
acomius monachus visibili libidini resistens, magnas tentationes superauit. 469
aternianus episcopus dæmonē sub forma visibili tentantem, Deo adiuuante vicit. ibid.
aulus primus eremita in Dei seruitio perseueranit, vnde meruit diuinitus nutriri, & ab Antonio sepeliri. 538
aulus simplex in orando perseueranit, & ab Antonio receptus est. ibid.
acomius abbas coronam mereri legitimè certando dixit. 539
aulus primus eremita oranus expiranit. 555
aſcaſius precibus Germani episcopi à purgatorio liberatus est. 573
ax mala detestanda. 219
ax simulata fugienda. 210
ax cum impijs non habenda. ib.
etrus telonarius ex furore paxem proiecit pauperi, & saluatus est. 18
etrus telonarius gaudebat in contumelijs. 38
etrus Apostolus orationibus Ecclesiæ à vinculis liberatus est. 96
etrus apostolus maledixit Simoni mago. 136
elagia spe diuinæ misericordiæ à lasciuia se conuertit. 153
ergentius & Laurentinus fratres orarunt pro inimicis. 181
etrus Apostolus vno die tria millia hominum baptizauit, & alio quinque. 195
etri tegumenta fuere tunica & pallium. 361
etronilla maluit casta mori, quam nupta viuere. ib.
etrus & Ioannes munera contemserunt. 48
etrus vidit cælum apertum. 112
ergentius & Laurentinus in fide Christi

Digitized by Google

Christi nudis pedibus super pruinas ambularunt. 134
petrum in charitate super mare ambulauit. 161
In charitate crucifixus est. 164
peccatorès in sermone modestè corripiendi sunt. 205
petrus Apostolus ardentissimus, tùc refrixit, cùm impiorũ colloquijs se implicuit. 226
petri exemplo iussa superiorum sine cunctatione capessenda sunt. 293
petrus & Paulus interdum simulauerunt de Iudaismo propter Gẽtiles. 313
petrus negationis culpam amarè fleuit. 268
peccatrix in Euangelio fleuit, & ob pœnitudinis humiliationem sancta obijt. 389
petrus Apostolus castitatis amore vxorem reliquit. 337
petronilla ne sine viatico discederet, à presbytero Nicodemo panem Trinitatis accepit. 383
petrus Abbas oculo amisso se ab pontianus post multa tormenta superuno inimicorum liberum aiebat. 470
petrus ob prædicationem Christi morti addicitur cruci. 483
pelagia idololatra cõuersa per Christum diabolum tentantem vitit. 536
periculum vitæ solitarie. 73
pessius monachus nunquam iratus prædicatores apud discretos mafuit. 448
pharon Episcopus nauem ab imo in summas aquas enatare fecit. 100
philiberto Abbati oranti oculi veluti sydera fulsere. 88
philoronius presbyter abstinentia fatigabat, manibusque laborabat. 233
philippi Apostoli quatuor filiæ virginitatem seruauere. 352
pimenius Abbas maluit fame affligi, quàm ambitione deliniri. 37
pior Abbas deambulando cibum sumebat. 276
pior Abbas sororem suam aspicere noluit. 339
pygmenius presbyter equo animo ferebat quod captus oculis esset. 471
polemus Indorum rex, Bartholomæi Apostoli prædicatione conuersus, reliquit imperium. 7
potamiena virgo illum, à quo tormenta acceperat, saluari petijt. 186
polycarpus dicebat periculosum esse religiosum habitare cum mundanis. 227
populus Israel manna alitur & aquâ potatur. 269
praxedis virgo orduit huius vitæ finem & impetrauit. 438
prædicatores apud discretos meant hospitio. 193
prædicator non deperit meritum propter obstinationem auditorum. ib.
prædicator sit prudens & simplex. 194

prædicator non prædicet his quos credit Euangelium contemnere. 195
prædicator prædicet his à quibus invitatur ad sermonem faciendum. ibid.
prædicanti Euangelium adulari non decet. 205
prædicatores mala detestentur, & veniæ spem proponant. ib.
prædicator solicitus cautusque esse debet in sermone. 193
prædicatores boni multum prosunt. 206
presbyteri Susannam accusantes, falsitatis conuicti lapidibus obruti sunt. 428
proximos diligere tenemur. 167
probus Episcopus in extremis laborans. 539

Q.

Quiriacus Episcopus & martyr gladio transuerberatus, post longa tormenta. 493
Quibus verbis orandum. 82

R.

Rahab meretrix pietatis causa mendacium dixit. 308
Radegundis regina cilicium portabat. 253
Radegundis filia, postquam aliquod tempus vixit cum marito, castitatem tenuit. 364
Radegundis reginæ orationibus vincula ferrea dirupta sunt. 107
Rasias mortem sibi conscisit, ne cibos inhibitos gustaret. 481
Regulus Episcopus Ioannis Apostoli discipulus plures ad fidem convertit. 198
Remigij Archiepiscopi mansuetudinem passeres ostenderunt. 323
Remalchus Episcopus officium deposuit, solitudinem ingressus. 46
Romualdus Abbas pelagi ventorumque sæuitiam oratione placauit. 98
Romualdus panem & fabas comedit. 276
Romualdus Abbas captus, sanctorum verborum meruit accipere anagogem. 113
Roboam cum seruis suis audito propheta pœnitentiam egit. 371
Romualdi Abbatis filentium. 330
Romanus post multa tormenta martyrij coronam accepit. 499
Romula virgo, sacra Communione accepta, psallentium choros audiens expiauit. 561
Ruth pro modico cibo gratias egit. 279

S.

Sabba monachus, dans vnas propter Deum, in triplo accepit compensam. 20
Salomon sapientissimus regum ex totis præcordijs Deum precatus est 81
Sauinianum martyrem nullus ausus est adire tempore orationis. 103
Sanctulus abbas in charitate semetipsum ad vincula dedit pro diacono suo. 175
Sabinus Episcopus Venustianum præsidem eum martyrizantem sanauit. 180
Sacerdotes honorandi sunt multis de causis. 208
Sacerdos quam perfectus esse debeat. 212
Sanctæ abbatissæ oculorum continentia. 145

Sanne-

Digitized by Google

Samuelis deprecationes & populi ieiunium respexit Deus. 255
Saul & Ionathas virtute ieiunij præualuerunt. ibid.
Samson archiepiscopus per totam quadragesimam bis vel ter comedebat. 260
Salaberga vidua genitis quinque filijs deinceps Deo seruiuit. 364
Samuel propheta noluit accipere pecuniam. 47
Sara vxor Tobiæ dies treis in oratione perseuerauit. 88
Samson archiepiscopus necem sibi molientem ad pœnitentiam hortatus est. 185
Sara vxor Tobiam ieiunando seruauit incolumem. 264
Salomon à vino abstinebat, vt sapientior fieret. 270
Saul inobediens regnum perdidit. 293
Salomon veritatem simulatione inuestigauit. 310
Samuelis admonitione ad pœnitentiam inclinantur Israelitæ. 370
Samson liberauit pœnitentes. ibid.
Salomon in iudicando errare timès sapientiam postulauit. 430
Sara filia Raguelis ab ancilla appellata est virorum interfectrix. 440
Samsonis fortitudinem non minuit cæcitas. 468
Sara Abbatissa tentationem carnis diu passa vicit. 528
Salomon ex memoria mortis aiebat: Vanitas vanitatum. 545
Sauina virgo Deum orauit ne vltrà viueret. 550
Salaberga Abbatissa iam moritura incundissima visione roborata fuit. 566
Sacerdotibus solis in Altari ministrari conuenit. 209
Serapion monachus bis seipsum vendidit propter Christum. 17
Serualus mendicus cibum residuum pauperibus dabat. 20
Seuerinus Abbas oratione glaciem soluit. 98
Seruatius Episcopus prædicando à diuersis nationibus intelligebatur. 200
Serapion Abbas mercede manuum victum quærebat 231
Seuerus Abbas tantùm Dominica die comedebat. 260
Secularis quidam vndecim annos castè vixit cum vxore. 340
Seruatio Episcopo oranti ignens radius apparuit. 56
Seruulus mendicus ex eleemosynis libros comparauit. 324
Serapion seipsum vendidit, vt proximam de inferno liberaret. 162
Serui Saul reuerentiam sacerdotum domino furenti præstulerunt. 219
Seculo renuntiantes fugere debent consortia potentum. 218
Seuerus presbyter vsque ad mortem silentium tenuit. 330
Seuerus presbyter cuidam mortuo vitam impetrauit, vt confessionem faceret. 364
Serapion Abbas crapulæ morbo tentatus, mox vt confessus est, eam vicit. 404
Sergius elephantiaco morbo liberatus, Deo seruiuit toto animo. 495
Sebastianus fustium cæsione interijt. 488

Digitized by Google

Syluester Papa, pauperes scribebat in libro, vt subueniret eis. 3
Similiter Clemens Papa fecit asse dicitur. ibid.
Simon monachus daps cibum suũ pauperibus, à Christo cibatus fuis. 20
Siluester Papa omnibus ad vrbem aduentantibus pauperibus hospitium dedit. 26
Simon Magus à dæmonibus in aera sublenatus est. 136
Simeon monachus fune corpus suũ circundedit. 251
Sisinius Episcopus adhuc vagiens in cunabulis ieiunabat. 259
Simulare & mentiri quando necessarium sit. 306
Simon monachus dicitur habitasse duobus annis super columnam. 52
Sisinius abbas tribus continuatis annis orauit nunquam sedens. 85
Syluia eloquentissima lectitando Deum considerabat. 125
Syluester Papa fidem Christi miraculis firmauit. 131
Simeon monachus scribendo victũ comparabat. 235
Syluanus fratres exemplo laborare instruxit. ib.
Simon Pharisæus à Christo falsæ existimationis conuincitur. 433
Syluani infamia non temere iudicare docuit. 437
Syluia virgo in infirmitate medicinam renuit, cauens mollitiem carnis. 477
Simeon monachus tredecennis ingressus monasterium, acerbius se cruciatu afflixit. 539
Syluanus episcop. ex frequenti meditatione mortis, mortem non timuit. 549
Spes abbas oculis captus videre cæpit cùm è vita egrederetur. 477
Spiritualis consolatio nõ reuelanda propter inanem gloriam. 33
Spoletana virgo inscio patre monasterium intrauit. 357
Stephanus presbyter impleuit quæ legit. 123
Stephanus orauit pro lapidantibus se. 178
Stephano abbati fuit vestis rudis modicaque. 233
Stephanus presbyter singulis noctibus totum Psalterium legebat. 86
Stephanus protomartyr fidem Christi prædicauit. 130
Stephanus anachoreta doctus euasit diuinitus. 203
Stephanus solitarium morbum existimauit otiositatem. 232
Stephanus presbyter herbas cum sale comedit. 261
Stephanus virtute patientiæ malũ illatum pro nihilo reputauit. 463
Stephanus anachoreta infirmans nõ intermittebat laborem manuũ. 474
Stephanus lapidatus est. 484
Stephanus Papa iugulatus, ante altare Domini martyrium sumpsit. 493
Stephana vxor cuiusdam militis discerpta est. 506
Stephano abbati Angeli in extremis astitere. 561
Sunamitis Elisæum hospitio recepit, & ob hoc mortuum filium sanum

Digitized by Google

ſanum accepit. 27
Suſanna, ab iniquis iudicibus damnata, precatione liberatur. 106
Sulpitius Epiſcopus, confidens in Domino, à tentationibus liberatus eſt. 108
Sulpitius Epiſcopus dæmones horrentes precibus expulit. 528

T.

TAbita virgo vitam ſolitariam duxit, vt vitaret inanem gloriam. 35
Taurinus Epiſcopus ſigno Crucis à Magis liberatur. 138
Thaïs meretrix Paſnutij admonitione conuerſa eſt. 154
Tacere non ſemper vtile eſt. 328
Thaïs ad pœnitentiam conuerſa peccata luxit multum. 372
Tharſicius Martyr maluit mori, quam corpus Chriſti infidelibus publicare. 427
Theodora virgo cum vno milite capite plexa eſt. 178
Theonas abbas vxorem dimiſit, & caſtè vixit. 340
Theodora Romana oratione maritum ad Chriſtum conuertit. 107
Theophilus ſpe diuinæ miſericordiæ ſaluatus eſt. 151
Theophilus presbyter egit pœnitẽtiam. 386
Theodora adulterij commiſſi conſcia, virum relinquens monaſterium intrauit. 391
Tecla virgo Paulo euangelizante credidit, & virgo manſit. 351
Tecla virgo multis tormentis mactata, demum quietè obijt. 506
Theodoſia poſt plura tormenta capitis cæſione obijt mortem. 593
Theodorus monachus matri poſcẽti egreſſionem Religionis diſſenſit. 539
Timotheus eremita in eremo mansuit. 229
Timotheus eremita palmæ fructibus & aqua ſuſtentatus eſt. 275
Tyburtius & Valerianus ab Almachio pro Chriſto paſſi ſunt. 496
Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis quotidie pauperibus pedes lauabat. 36
Tobias cum lachrymis orauit. 81
Thomas Didymꝰ Sinticæ oculos redintegrauit. 97
Thomas Aquinas ſolebat priùs orare quàm quicquam agere. 100
Idem in contemplatione altitudine ferè cubitali in aere pendere viſus eſt. 115
Tora virgo ſemper veſtimenta peiora ſumpſit. 226
Tobias charitatem erga pauperes oſtendit. 169
Thomas archiepiſcopus tunicam & femoralia cilicina geſtitauit. 248
Thomas Aquinas filẽtio doctiſſimꝰ enaſit. 330
Tobias ob patientiæ meritum viſũ poſt quartum annum recepit. 468
Thomas Aquinas domi à fratribus carnalibus incluſus redire in ſeculum renuit. 540
Tobias in fine vitæ ſuæ docuit filiũ ſuum. 553
Traſilla in genibus capitisque duritiem camelorum habuit. 90

Digitized by Google

Tranquillus martyr lapidatus est. 492
Triphon sub pacis specie Ionatham mecauit. 222

H.

VBaldus episcopus in periculo audax factus est pacis amore. 217
Vbaldus episcopus cæco persuasit, vt visū sibi reddi expeteret 472
Vando Abbas de operibus manuū suarum vixit. 232
Vando Abbas non potuit compelli vt castitatem non seruaret. 379
Venerius monachus post obedientiam solitudinem dimisit. 301
Veneranda virgo illum, à quo tormenta passa est, Deo credere fecit. 186
Venerius abbas manibus labora bat. 232
Veritas colenda. 235
Venantius martyr post tormenta multa capitis supplicium passus est. 495
Vgoni Abbati frater quidam post mortem apparuit, qui mox confessus, à pœnis liberatus est. 406
Vidua Eliæ non dubitauit totum quod habuit dare. 23
Vincentius prædicator parcus somni. 27
Vitalis ex charitate libēter tolerabat correctionem. 174
Vincentius in Hispania quinque millia Iudæorum ad fidē Christi conuertit. 201
Victorinus pœnitentiam faciens, vitam meruit æternam. 180
Vitalius monachus pro suo percussore oranit. 184
Vitus martyr puerque, omnia tormenta superans, quietè emisit spiritum. 486
Vincentius multis tormentis superatis, Martyrium adeptus est. 488
Victor superno splendore fulcitus, coronam martyrij subijt. 487
Vrbanus Papa thesauros Cæciliæ dispensauit pauperibus. 16
Vrsinus presbyter in extremis sensit adhuc ignem concupiscentiæ. 244
Vrias pro Lege Dei interfectus est. 479
Vrsinus presbyter in visione Angelos vidit. 560

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

COLONIAE AGRIPPINAE,

Excudebat Stephanus Hemmerden, Sumptibus Bernardi Gualtheri.

ANNO M. DC. IX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Státní knihovna ČSR - Praha
odd.ochrany a restaurování fondů

Signatura: 36 D 69

Provedena povrchová konzervace
bílé usně dle čs.vynálezu PV

-čištění : isopropropanol
-dočinění+neutralizace : kyselý
uhličitan sodný, formaldehyd
-mazání+desinfekce : silik.olej,
reesterifik.kliháren.tuk,
vosk E, Septonex.

Ošetřeno v roce : 1985
Podrobný záznam archiv.uložen.

Digitized by Google

Digitized by Google